

Del colegio de la comp. de jesu. de granada
CONFUTATIO
RESPONSIONIS *B-5407*

GVLIELMI VVHITAKERI
IN ACADEMIA CANTABRIGEN-
si Professoris regij, ad Rationes decem,
quibus fretus EDMVNDVS CAMPIANVS
Anglus, Societatis I E S V Theologus cer-
tamen Anglicanę Ecclesię Ministris obtu-
lit in causa fidei.

Auctore IOANNE DVREO Scoto,
Societatis I E S V Presbytero.



26
PARISIIS,

Apud Thomam Brumennium, in clauis
Brunello, sub signo Oliuę.

M. D. LXXXII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Del colegio de la comp. de jesu. de granada



Del Colegio de la Comp. de J. de Granada
CONFUTATIO
RESPONSIONIS *B-5407*

GVLIELMI VVHITAKERI
IN ACADEMIA CANTABRIGEN-
si Professoris regij, ad Rationes decem,
quibus fretus EDMVNDVS CAMPIANVS
Anglus, Societatis I E S V Theologus cer-
tamen Anglicanę Ecclesię Ministris obtru-
lit in causa fidei.

Auctore IOANNE DVREO Scoto,
Societatis I E S V Presbytero.




26

PARISIIS,

Apud Thomam Brumennium, in clausura
Brunello, sub signo Oliuę.

M. D. LXXXII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



Del colegio de la comp. de J. de Granada

RATIONVM CA- PITA.

1. *Sacræ Literæ.*
2. *Sacrarum Literarum sen-
tentia.*
3. *Natura Ecclesiæ.*
4. *Concilia.*
5. *Patres.*
6. *Firmamenta Patrum.*
7. *Historia.*
8. *Paradoxa.*
9. *Sophismata.*
10. *Omne genus restium.*

EPISTOLA EDMVNDI CAM- PIANI AD PRÆPOSITVM GENE- ralem Societatis Iesu.

Postquam divina fretus misericor-
dia, quintum iam mensem in his
locis dego, Reuerende Pater, pu-
tam faciendum, vt qui status re-
rum sit, quique videatur futurus,
literis exponerem. Aues enim scri-
re, sat scio, cum pro communi sollicitudine, tum pro
tuo in me amore, quid agam, quid sperem, quidue
proficiam. Priora scripseram Audomaropoli quæ
deinceps consequuta sunt paucis accipe. Dei consilio
factum interpretor, vt cum dies ipsos quatuor, ven-
tos secundos expectassem, quinto demum qui festus
Ioanni Baptiste fuit, Diuo tutelari meo, cui causam,
iterque sæpè commendaueram, vesperi nauigarem.
Postridie summo mane, Doverniū appulimus, bo-
mulus meus & ego. Ibi minimum absuit quin cape-
remur. Coram prætore ciuitatis iussi comparuimus.
Ille multa coniectat, nos esse qui eramus: hostes hæ-
reticarum partium, amantes auitæ fidei, dissimu-
lasse nomina, religionis causa domo absuisse, eius
propaganda studio rediisse. Vnum urgebat, Alanū
esse me, quod quidem ego iure iurando, si opus esset,
interposito, me negaturum profitebar. Tandem de-
cernit, idque crebro repetit, cum certa custodia ad
regni proceres transmitti oportere. Neque scio quis
illi noiam mentem iniecerit, præter Deum, cui taci-
tus interea supplicabam, diuo Ioanne adhibito pre-

DOVER.

catore, cuius auspiciis eo perveneram. Repente prodit senex, cui deus bene faxit. Placet inquit, vos dimitti. Valet. Auolatimus. Hæc & his similia, quæ hic experior, cum apud me reputo, confirmor in sententia comprehensum iri, cum ea res ad maiorem dei gloriam spectabit, non prius. Londinum attigi, duxit me bonus angelus nescientem in eandem domum, quæ Patrem antea Robertum exceperat. Accurrunt nobilissimi iuvenes, salutant, vestiunt, ornant, armant, emittunt ex urbe. Partem aliquam regionis obegito penè quotidie. Ingens omnino messis est. Sedes in equo meditor conciuinculam, quam ingressus in domum perypolio. Deinde, si qui me aduertunt, colloquor aut confitentes audio. Manè peracto sacro verba facio. Aures afferunt sitientes, sacramenta percipiunt frequentissimi. In iis administrandis passim iuuamur à sacerdotibus, quos ubique reperimus. Ita fit, ut & populo satisfiat, & hæc prouincia minus laboriosa nobis reëdatur. Presbyteri nostrates, ipsi doctrina & sanctimonia præstantes, tantam opinionem nostri ordinis excitarunt, ut venerationem quæ nobis exhibent catholici, non nisi timidè commemorandam existimem. Quo magis videndum est, ut subsidiarii, quibus nunc maxime indigemus, eiusmodi sint, qui hæc omnia probe sustentent. Ante omnia cõcionibus habendis exerceantur. Diu euadere manus hereticorum non possumus: tot oculi, tot ora, tot hostium insidia. Habitu dementissimo sum, quem sæpe commuto, itemque nomina. Lego ipse literas, in quarum prima pagella scribitur, Campianus captus est. Hoc iam ita decantatum, circûsonat aures meas

quocumque

quocumque venio, ut mihi timor ipse timorem excusferit. Anima mea in manibus meis semper. Hoc asferant meditati, qui supplementi gratia mittentur. Verum quæ solatia in hoc negotio miscentur, ea non solum formidinem pœnæ, sed etiam pœnas quaslibet insperata dulcedine compensant. Conscientia paræ, robur inuictum, ardor incredibilis, opera insignis, numerus innumcrabilis, summi, medii, infirmi, omni ætate & sexu. Hic inter ipsos hæreticos, si qui sunt paulo æquiores, prouerbiū inuolent, catholicos esse, qui argentum resoluunt quod debent: adcoque si qui catholici iniuriosus quempiam tractant, exposcitur eo nomine, quod à talibus minime istuc fieri conueniat. In summa, hæresis pessimè audit apud omnes, nec vllum genus hominum vulgo vilius, aut putidius est ipsorum ministris. Merito indignamur in tam perditâ causa homines tam indoctos, tam sceleratos, tam dissectos, tam abiectos, cultissimus ingenii dominari. Circumferuntur in nos edicta minacissima. Cautione, & honorum precibus, & quod caput est, diuino munere incolumes bonam insula partem peruasimus. Plerosque video obliuos sui, de nobis esse sollicitos. Quidam iis diebus acciderat, quod non speraram, Dei voluntate. Posueram in scripto articulandè causas, & postulata quedam æquissima, falsus me presbyterum Societatis, hoc autumno venisse, ut amplificarem fidem catholicam, docerem euangelium, administrarem sacramenta, petebam à regina, & à regni proceribus audientiam, & aduersarios ad certamen prouocabam. Deceperam penes me vnum

6

EPISTOLA.

exemplar tenere, ut mecum ad iudices raperetur: alterum amico commiseram, ut si me, meumque prenderent, illud continuo spargeretur. Amicus non calami, edidit, teritur, aduersarii insimulant, Pro suggestu respondent, se quidem cupere, Regiam nolle rebus iam constitutis amplius disputare. Nos lacerant maledictis. Seditiosos, hypocritas, etiam hereticos appellant, quod maxime ridetur. Populus ea re noscer est. Mirifice nobis hoc erratum profuit. Si iubemur fide publica, dabimus nos in curiam. Sed nihil minus cogitant. Omnes custodia nostrae refertae sunt catholicis. Nouae parantur. Nunc demum aperte pronunciant, satius esse paucos interuicini dedere proditores, quam tot animas prodere. De suis martyribus iam tacent. Superamus enim causa, numero, dignitate, opinione hominum. Afferimus pro aliquot apostatis, aut furoribus exustis, episcopos, regulos, equites, antiquissimam nobilitatem, spectacula doctrinae, probitatis, prudentiae, lectissimam iuuentutem, matronas illustres, reliquos fortunae medocris plane extra numerum, omnes aut semel, aut quotidie consumptos. Dum haec scribo, immanissima saeuit persecutio. Maesta domus. Nam aut mortem suorum praedicant, aut latebras, aut vincula, aut rapinam bonorum: tamen pergunt animose. Etiam nunc plurimi restituntur ecclesiae: nouitii milites dant nomina, veteres sanguinem profundunt. Hoc sacro cruore, usque hostis promerebitur Deus, & sine dubio breui vincemus. Vides ergo Reuerende Pater, quantum opere vestris sacrificiis, & precibus, & ca-

EPISTOLA.

lesti auxilio egeamus. Erunt in Anglia qui curent salutem suam, erunt qui pronebant alienam: irascatur homo, sauiat daemon. Tandem haec ecclesia consistet, dum pastores omnibus non deerunt. Impedior praesentissimi rumore periculi, ne plura hoc tempore. Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius. Vale.

ED. CAMP.



EDMUNDVS CAMPIANVS,
DOCTISSIMIS ACADEMICIS,
Oxonij Florentibus &
Cantabrigiae.
S. P. D.

A N N o praeterito, cum ex instituto vitae meae, iussus in hanc insulam remeassem, clarissimi viri, offendi sane fluctus haud paulo sauiore in Anglicano litore, quam quos in Oceano Britannico recens a tergo reliqueram. Mox interiorem in Angliam ubi penetrassem, nihil vidi familiarius, quam inuitata supplicia: nihil certius, quam incerta pericula. Collegi me ut potui, memor causa,

memor tēporum. Ac ne prius fortè corripere, quā auditis à quo piā fuissē, scripto protinus mādauī consiliū meū, qui uenissēm, quid quarerem, quod bellum, & quibus indicere cogitarem. Autographon apud me habui, ut mecum, si caperet caperetur: Exemplum eius apud amicum deposui, quod, me quidem nesciente, pluribus communicatum est. Aduersarij publicatam schedulam atrociter acceperunt, cum cetera, tum illud inuidiosissimè criminantes, quod vnus omnibus in hoc religionis negotio certamen obtulissēm: quāquam solus in acie non eram futurus, si fide publica disputassēm. Responderunt postulatis meis, *Hammerus, & Charcus*. Quid tandem? Otiose, omnia. Nullum enim respōsum præter vnum honestè dabunt, quod nunquam dabunt: *Conditiones amplectimur, Regina spondet, aduola*. Interea clamant isti: Sodalitium tuum, seditiones tuas, arrogātiā tuā: proditorè, si ne dubio, proditorè: ridiculè. Operā, & oleū, & famam homines non insipientissimi cur profundūt: Verūm his duobus (quorū prior, animi causā, meam chartam delegit in quam incurreret: alter malitiosus totam rem conuoluit) prabirus nuper est libellus admodum luculentus, qui quantū oportuit, tantū & de Societate nostra, & de horū iniuriis, & de provincia quam sustinemus, edisserit. Mihi supererat, (quoniam, ut video, tormenta non scholas parāt antistites) rationē facti mei vo-

bis ut probarem: capita rerū, quæ mihi tantū fidentia pepererunt, quasi digito fontes ostenderem: Vos etiam hortarer, quorum interest præter cæteros, incumbatis in hanc curam, quam à vobis Christus, Ecclesia, Respublica, & vestra salus exigunt. Ego, si fretus ingenio, literis, arte, lectioe, memoria, peritissimum quemque aduersarium prouocauī, fui vanissimus & superbissimus, qui neque me, neque illos inspexerim: Sin causam intutus, existimaui satis me valentem esse, qui docerem hunc solem meridie lucere, debetis mihi feruorem istum concedere, quē honor IESV CHRISTI REGIS mei, & inuicta veritas imperarunt. Scitis M. Tullium in Quintiana, cum ei Roscius victoriam adpromitteret, si efficeret argumentis, septingenta millia passuum non esse decursa biduo, non modò nihil veritū articulos & neruos Hortensij, sed ne grandiores quidem Hortensio Philippos, & Cottas, & Antonios, & Grassos, quibus maximam dicēdi gloriam tribuebat, metuere potuisse. Est enim quædam veritas tam illustris & perspicua, ut eam nullæ verborum rerūve præstigiæ possint obruere. Porro liquidius est quod nos agimus, quā illa fuit hypothesis Rosciana. Nam si hoc præstitero, cælos esse, diuos esse, fidem esse, Christum esse, causam obtinui. Hic ego non sum animosus? Equidem occidi possum, superari non possum: his enim doctoribus infli-

sto, quos ille Spiritus erudiit, qui nec fallitur, nec vincitur. Quæro à vobis, vt salui esse velitis. A quibus si hoc imperraro, reliqua minime dubitater expecto. Date modo vos huic sollicitudini, Christū obrestamini, industriā adiungite, profectō sentieris id, quod res est, & aduersarios desperare, & nos tam solidè fundatos, quieto magnoque animo hanc arenam expetere oportere. Breuior hīc sum, quòd reliquo sermone vos alloquor. Valere.

Errata sic corrigite

pa. Fo- gi- li- lio. na. na.	pa- Fo- gi- li- lio. na. na.		pa- Fo- gi- li- lio. na. na.	
3	1 15	dele quod	75	2 25
6	1 1	scribi	78	1 1
9	2 vlt.	Spiritus	79	1 28
ibid.	2 10	dele dixit	97	1 11
	30	causa	89	1 28
11	4	quo	101	1 20
14	2 7	dogma	137	2 23
15	1 7	pollicearis.	150	1 24
23	2 12	es	152	1 26
ibid.	1 vlt.	dissuaserit	229	2 25
30	1 22	hominum	293	1 22
41	1 25	aduersus	304	1 22
47	1 29	demon	309	1 10
58	1 29	cōiunctionis	312	2 25
65	1 6	niteris	383	1 21
66	1 14	stemus	387	2 28
68	1 11	huiusmodi	437	2 12
69	1 2	inuensse	445	2 23
ibi d.	14	partem	446	1 4
72	1 13	nuptias		

LIBER AD LECTOREM.

Is nosse, Lector, versibus paucis breue,
Caluimiani dogmatis compendium?
Multos sacrata pernegat legis libros.
Interpretatur perperam quos approbat.

Authoritatis nil tribuit Ecclesia,
Concilia eodem reiicit prorsus modo,
Consentientes & Patrum sententias,
Fuerint licet doctissimi, & sanctissimi,
Omniq; luce veteris Historiæ caret,
Paradoxa summa plena perfidia docet,
Rudes dolosis decipit Sophismatis,
Proferre nullum testium genus potest.
Vis ista, Lector disputata latius,
Videre me cum legeris, tum videris.

PRIVILEGII SVMMA.

EGIS Privilegio cautum est, ne quis citra Thomę Brumennij Bibliopolaę voluntatem *Confutationem responsionis Gulielmi Vvhitakeri Angli in Academia Cantabrigensi Professoris Regij ad librum Edmundi Campiani Societatis Iesu presbyteri, quo rationes proponebantur quibus fretus certamen adversariis obtulit in causa fidei, Authore Ioanne Durao Scoto Societatis Iesu presbytero, à Doctoribus sacre Theologię visam & approbatã, eiusdē Brumennij sumptib. excusam, à die impressionis absolute ad decenniũ imprimat, aut alibi impressam venalẽ habeat. Secus qui faxit, confiscationis librorum & pœna regio fisco applicanda mulctabitur, vt latius in regio diplomate expressum est. Datum Parisiis 7. Aprilis. Anno Domini 1582. Et regni nostri octavo.*

Sub Consilij statuto. Signat.

LE BOSSV.

NOS subscripti Theologi censemus *Confutationem responsionis Gulielmi Vvhitakeri Angli in Academia Cantabrigensi Professoris regij ad librum Edmundi Campiani Societatis IESV Presbyteri, quo rationes proponebantur quibus fretus certamen adversariis obtulit in causa fidei, authore Ioanne Durao Scoto eiusdem Societatis IESV Presbytero dignam esse que typis vulgetur, vt nihil contra Ecclesiam completentem, plurimis autem rationibus & modis hereses his diebus excitatas refutantem. Datum Lutetię die 28. Martij. Anno 1582.*

GENEBRARD.

DE S. GERMAIN.



ACADEMICIS OXONIENSIBVS
ET CANTABRIGENSIBVS.

S.



PERLATVS est non ita pridem ad nos, Clarissimi, Doctissimi que viri, quidam Gulielmi whitakeri libellus, quo decem rationibus à Cãpiano nostro, pro instauranda in Britannia regnis, fide Catholica, editis, se respondisse præ se fert, palamq; profiretur. Qua quidem in re, illud sanè percommode accidit, quod vt noster Campianus, vobis suura opus dicit, vestroque tribunali discutiendum cõmiserit, probè hoc facto declarans, existimare se nullos in tota Anglia esse alios, qui animi perurbatione semota, æquius de Vniversa controuersia iudicarent. Sic quoque Vvhitakerus non quidem Collegiorũ Academicis, sed tamen vni ex præcipuis, Domino nimirum Cecilio Cancellario suum opus consecrauit. Ex quo magnam concipere spem cœpi, fore vt hæc disceptatio, non exigui rei Christianæ afferat emolumentum, si, vt iam cœ-

ã ij



ptum est, à viris eruditissimis, deque sua salute, vt par est sollicitis, dirimenda suscipiatur: & non altercantium verba, sed rationum vis potius, & argumetra, iustam ad trutinam expendantur. Nam, vt verum fatear, rem totam circūspicienti, nihil mihi minus in suo libello præstare videtur Vvhitakerus, quàm id quod initio promittit. Agnosco fanè in eo verba diserta, agnosco flosculos, ex oratorum campis depròptos, orationem denique penè totà adeò comptam & elaboratam perspicio, vt Rhetorem nò omnino malum aliquantulum sapiat, nullo autem modo eruditum Theologum, aut virum christiana modestia exornatum redolere videatur.

Itaque vt in Vvhitakeri, atque adeò in cuiusvis scriptoris libris, quæ laude digna sunt, non improbo: sic certè in eo qui de Christianæ religionis dogmatibus disserat, maiorè fidè desidero, minori orationis vberitate contentus: mediocrem saltem disciplinæ theologicæ cognitionè, & veritatis indagandæ studium, omnino postulo: procacitatem autem, impudètiã, in re quavis seu vera, seu falsa sit, pro arbitrio, asserenda, summam vanitatem: in falsis criminibus, bonis quibusq; obiectãdis, furiosam quandam temeritatem, aliãque eius generis portenta, non fugienda solum existimo, iis præsertim qui de Deo, rebusque diuinis sermonem habent, verum etiam tanquam immanissima monstra, per-

petuò detestanda esse confirmo.

His vero rebus omnibus, tamen à bono viro, nedum christiano Theologo, sunt alienissimæ, adeò refertus est Vvhitakeri libellus, vt nihil penitus in eo, præter nugas, fraudis & calumniæ plenissimas, reperiat. Nulla ratio, argumentum nullum affertur ad obiecta crimina dissoluenda: nulla ex sacris literis sententia, ex sanctorum patrum scriptis, testimonia nulla ab eo proferuntur, siue sua statuere, siue nostra euertere conetur, quin aut mutila sint omnia, aut mendosa, aut denique aliqua ratione deprauata: Ex quo fit, vt dum suum mendacium mendaciis maioribus stabilire nititur, audacissimum se esse mendacij fautorem demonstrat: fidemque faciat apertum se esse suæ causæ proditorè.

Huic autem libello, duabus potissimum de causis, respondere constitui: Altera est, quod video summa Reipublicæ Christianæ lumina, Augustinos intelligo, Hieronymos, Cyprianos, Leones, Epiphianos, Irenæos, innumeròsque alios patres sanctissimos, ne imperitissimum quidem hæreticum prætermisisse, cui non accuratissimè respóderent, quantūuis tricas, & ineptias solummodo, meràsque nugas, in Catholicos edidisset. Verebatur enim illi, vt arbitror, ne mendaciū licet manifestum, si non statim retunderetur, imperitæ multitudinis animos penetraret.

quæ vel tenuissimo vento sapissimè sic agitur, vt facillimè à recto tramite deflectat, nili viroꝝ doctorum adminiculis assidue fulciatur. Hinc illa Hieronymi tam luculenta scripta in Iouinianum, hominem prorsus infantem, & stupidum: Hinc tam accurati Augustini libri, tamque multi aduersus inanes Manichæorum fabulas conscripti: hinc eiusdem cōtra pertinaces, & milles eandem cantilenam repetētes Donatistas, tam multa, tamq; præclara opera, in quibus eadem quoque responsiones, dissolutionesque argumentorum toties iterantur, quoties perditissimorum hominum importunitas efflagitabat: hinc denique, vt omittam alios, tam proluxa, tamque lectori, nedum ipsimet authori fastidiosa Irenæi disputatio aduersus Pleromatis, Propatoris, Æonumque triginta, & sexcentorum eius generis portentorum authores. Altera quæ me impulit ad scribendum ratio, fuit charitas in Patriam, Britânôsque omnes, quorum salutem, non solum hoc perexiguo labore meo, sed etiam sanguinis & vitæ meæ fusione libentissimè si possem compararem. Iudicarunt enim quamplurimi sapientissimi viri, whitakeri scriptum, quo quidem omnes nostri ordinis homines, vno nomine in crimè vocantur, non esse eiusmodi, vt laborem docti alicuius grauisq; viri, mereatur. Quapropter ego omnium nostri ordinis Theologorum minimus, in hoc certamen pro fide Ca-

tholica descendi: sperans ipsum imprimis Vvhitakerum, si modò veritatem non oppugnare sciēs, sed agnoscere, agnitamque amplecti volet, ad rectam beatitudinis viam reuersurum, atque alios fortè nonnullos, qui, verum à falso, discernere poterunt, hac mea confutatione perlecta, nouas nostræ tempestatis sectas abiicientes, ad auitam remigraturos religionem, & fidem catholicā ex animo suscepturos. Sic autem statui disputationem istam prosequi, vt cum de Theologicis rebus sermo fuerit à me institutus, quamuis Ciceronis libros ipse quoque aliquando degustarim, me tamen Theologum esse semper recorder, & de rebus diuinis, non tam Tullij, quàm Theologorum more, mihi differendum esse putem: Verum quemadmodū illa duo præcipuè, quæ supra commemorauī, mihi animos ad hoc aggrediendum opus addiderūt, sic certè, vt nihil hic dissimulem, plurima me terruerunt, & ab hoc instituto prope modum reuocarunt. Primum enim magno cum meo dolore, aduerti Vvhitakerum non tam veritatem inuestigare, quàm obscurare velle, & tenebris inuoluere, quod est omnibus hæreticorum doctoribus vsq; adeo solemne & vsitatum, siue verbo, siue scripto differant, vt ipsimet sponte sua se præcipites agant, & quotquot eos differentes audierint, vel libros eorum legerint, miserrimè perire velle videantur. Deinde verò eius in veritate

EPISTOLA.

cognita pernegāda incredibilis audacia, in dicendo summa loquacitas, in calumniis confingendis singularis impudentia, quem veritatis & seriarum rerum studiosum, non auocent, quominus huiuscemodi contentionem aggrediatur? Præterea adeo est in disputando lubricus atque incōstans, vt quacunque parte illum constringere velis, ex altera elabi manūsq; tuas veluti per posticū callide effugere velle videatur. Nulla est ars, nulla fraus, astutia nulla in qua non egregiè sit versatus: nusquā pedem firmum figit, nec terram liberè premit, sentiēs omnem quam terit viam, minimè solidam esse, sed totam lubricam, & mirum in modum lutulentam: præuidētque futurum necessariò vt absorbeatur, si alicubi diutius consistat. Dicam apertius. Quia veritas omnino emergeret, & hominibus, vel inuitis suam lucem patefaceret, si aliquātulum in eodem argumento vel explicando, vel expendendo liceret immorari, vt præclare non Vvhitakerus modo, sed omnes etiam quarūcunque hæreseōn propugnatores intellexerunt, cum certo sciant se nihil prorsus solidi tueri, in quo pedem tutò figere possint, ideò non aliter quàm inualidi, atque infirmi milites, totam victoriæ spem in fuga turpissima collocant. Nec enim vnquā congregi audent cum aduersario, modo aiunt, modo negant illud idem: si se vincētos esse præsentīūt, statim ad alia transuolant, & rursum ad alia. Itaque si illos persequeris, fugiūt: si assequeris,

EPISTOLA.

ris, viā intorquent: vulpecularū more, quas vbi canes propemodū attigerūt, suā imbecillitatis cōsciā, cursum de repente ex obliquo inflectunt. Hæ sunt Vvhitakeri argumētandi rationes, hic est singularis eius disserēdi modus: hæc est illa egregia maximi nouorū in Anglia euangelicorum theologi, in disputando consuetudo. Quæ omnia quis sine stomacho ferat? quis absque graui animi indignatione patiat? Cum præsertim qui hæc faciunt, se diuino numine afflatos esse glorientur? vt ecclesiam, quemadmodum inquiunt, à mille propemodum annis collapsam, instaurent, atque stabiliant. Scilicet deus sponsam suā, cui se perpetuò affuturum promisit, mille annorum interuallo dereliquit, & extinctam, aut, vt dicunt, nonnulli hæreseōn machinatores, in cauernis tandiu latitare passus est. Scilicet Christus elegit sceleratos perditosque homines ac vitæ profligatissimæ ministros, qualis fuit Lutherus, ceterique eius posterī & affectæ, ad suam ecclesiam iustaurandam, etiam si penitus esset diruta atque collapsa? Num ille mendaciis, & hæreticorum sceleribus eget, vt suum tueatur gregē, Christianāque fidem incolumem seruet? Tertia quoque fuit causa, quæ me à scribendo penè auocauit, quod Vvhitakerus nihil planè ad fidem spectans attingit, quod non à millenostri seculi nouatoribus fuerit antea nobis obiectum, mille libris editum, atque millies repetitum: cuique non solum nostri Theologi

disertis verbis responderunt, verum etiam permulti Patres antiqui, & sacrorum conciliorum scita accuratissimè multis ante annis satisfecerunt. Aut igitur Vvhitakerus nec veterum, nec recentium authorum monumenta legit, aut certè in eo magnam laudem sibi comparare arbitratus est, si nostras aures obtunderet, ea repetendo, & perurbatè, atque absque vlllo ordine catholicis auribus molestè obiiendo, quæ ipsius parentes quamuis impiè, non tamè sine aliqua ingenij industria excogitauerant, & distinctè atque ordinatè in suggesto dixerant, publicisque consignauerant monumentis. Respondebo tamen, & iam millies à nostris dicta scriptaque vel inuitus repetam: nò quod ipsa res id amplius exigat, sed propter pusillos animos, & in fide infirmos, qui nec prisorum patrum scripta fortè legerunt, nec libros Catholicorum nostri seculi viderunt. Vincer igitur amor patriæ, inque Britannos omnes charitas, & demum tuendæ fidei christianæ desiderium. Verum quia præter quã quod nihil noui obiiicit Vvhitakerus, omnia vt & paulo ante significauit, perturbatè & inordinatè dicit: sic me composui hac in responsione, vt ordinem nullum mihi seruandum ducerem, nec enim possem, quãuis vel maximè optarem. Sed ad hominè me accommodaui, & imprimis mihi curandum esse censui, ne minimum quidem Vvhitakeri verbum prætermitterem,

quod ad fidei dogmata spectaret, cui eadem prorsus dispositione, qua ab authore collocatū est, disertis verbis non responderem. Vel illud negando, si falsum est, & apertis rationibus, aut testimoniis mendacium euincendo, aut certè distinguendo & declarando, si res parum intellecta à Vvhitakero fuerat, seu quod probabilius est, consultò, prauam in sententiam detorta. Quod si aliquãdo paulo asperioribus verbis vti videbor, id profecto tribuendum non erit stomacho, vel inuidiæ: (omnes enim hereticos, non quidem vt hereticos, sed vt fratres diligo, eis que perpetuã felicitatem, non minus quàm mihi meisque peropto) sed id argumento proposito erit ascribendum, ita vt potius causa causæ, quam malevolentia malevolentia respondeat. Iam vero cum Vvhitakerus, initio sui operis, vbi Campiani epistolam exagitat, antequam ad fidei dogmata oppugnanda aggrediatur, multa quæ ad religionem minime spectant, congerat, & in Catholicos inaniter effutiat, ne verbum quidem iis omnibus respondendum putauit sigillatim, nisi fortè illa attingendi, in ipso opere aliqua sese offerat occasio. Nã aut vana sunt mendacia, aut certè inutiles nugæ, verborum flosculis exornatæ: quæ que apertè puerulum declamantè in scholis, ne dicam rabulam in foro vociferantem sapiant. Quis etenim Theologū ferat, nò aliter grauissimū crimè resellentè, cuius manifestè reus est, quã

quod aduersario illud idē absque vlla confirmatione obiicit? Itane vero, si Prætor sit Vvhitakerus, liberabitur eius sententia, is qui parricidij damnatus est, si accusatorē suū eiusdem criminis insimulauerit? Trahet quidem illum, in eiusdem sceleris suspicionem, vel etiam communionem, si modo id comprobauerit, sed ne Vvhitakero quidem iudice, opinor, seipsum liberabit. An ne igitur cū pueris agere se putat Vvhitakerus, an potius se puerum esse ostendit atque confirmat, cū ei à Campiano obiicitur nimia in Catholicos seuitia, qui extraordinarie & præter omnem consuetudinem cruciantur in Anglia: nomine quidem criminis læsæ maiestatis, re autem vera, propter fidei catholicæ professionem: aut quomodo se nō ostendit puerum esse, qui huic argumento satisfactorius, illud tantum eludit, & in aduersarium idem flagitium reiiicit? Cui rei cum fidem facere conatur, materiam ad ridēdum lectori parat amplissimā. Comminiscitur enim duas insignes fabulas: alteram de Euerardo quodam Remensi, alterā de nescio qua muliercula, qui à nostris, vt ait ille parum humane fuerunt tractati. Parum profecto videt, pusillique iudicij homo est whitakerus, si non intelligit sua commēta, viris sagacibus apertissime patere. quis enim nesciat, innumeros esse locuplerissimos testes, qui totam hanc narrationem à Vvhitakero confictam esse, aut certē maxima ex

parte contra veritatem auctā, affirmant: quare non debuit prudens declamator sibi laudē ex hoc capite contra nos asserendo comparare velle, quando Christianæ leges tantam crudelitatem omnino prohibent, & Catholicorum animi à tam insolenti, tamque inaudita impietate, penitus abhorrent. Verum ne nihil dixisse videatur, crimen obiectum irridens, quicquid acerbi eius ingenium parere poruit, in catholicos audacter euomit: nihil aliud ob oculos habens, nisi vt quæcunque verba latina, diros cruciatus, & supplicium aliquod de homine improbo sumptum exprimentia, vel à suis præceptoribus iuuenis audiuit, vel apud latinis authores aliquando legit, in suum libellum congerat, & in nos ore impudentissimo coniciat. Siccine, obsecro, inter omnes Angliæ doctores, qui nouas nostræ tempestatis sectas fouent, ille sine controuersia summus erit, qui validissima aduersariorū argumenta, se satis confutasse existimat, si cachinnis & risu, aut calūnia aliqua eluserit, vel tamquā crimen suum agnoscens, illud idem in Aduersarium transtulerit: Nam satis se argute dixisse credit, cū rogat Campianum cur tamdiu latuit? aut cur suo libello non respondit? Quasi vero in armatas cōtra se hostiū acies Campianus irrucere debuerit, vt quo die Angliā in gressus est, ab eis in crucē ageretur. Aut libellis vwhitakeri respondere potuerit, qui rum cū editi

fuertit, in arctissima custodia dudum vinctus renebatur, vel certe iam pro fidei catholicae patrocínio, inauditis suppliciis excruciatu, crudelissime necatus erat.

Sed quia in hac fidei ac religionis causa longè se imparem fore, & Campiano inferiorè animaduertit, malitio se admodum quaestiois statum mutauit, atque vt inuidiosum omnibus innocentiſſimum hominem redderet, venisse eum in Angliam mentitus est, vt pacem reipublicae perturbaret, subditos à principe alienaret, omnia denique misceret. Quod ego mendacium tam impudens hoc loco refellendum non duxi, cum omnes qui Campianum aliquando nouerunt, hoc ab illius moribus vitaeque instituto alieniſſimum fuisse satis intelligant, & quam de huiusmodi rebus nihil ille cogitarit, ipsius epistola non ita multo ante quam Vvhitakeri & sociorù insidiis caperetur, ad eum scripta, cui suarum omnium actionum ratione reddere debuit, abundè testetur, quam ego in gratiam vestra hic ascribam. Vos oro atque obtestor, ne falsis huiusmodi calumniis animos vestros imbui, aut praecupari sinatis, quin potius ad vtriusque partis argumentorum momenta ponderanda, equissimam iudicij trutinam afferatis. Valere. Parisiis è Collegio Claromontano, Societatis Nominis Iesu. Idibus Iunii 1582.

Vestrae salutis studioſissimus
IOANNES DVRAEVS



RATIONES OBLATI CERTAMINIS REDDITAE Academicis Angliae.

Prima ratio.



VM multa sunt, quae aduersariorum diffidentiam in causa loquuntur: tum nihil aequè atque sanctorum Maiestas Bibliorum seueriſſimè violata. Etenim qui, posteaquam reliquorum testium voces & suf-

fragia contempserunt, eò sunt redacti nihilo secius, vt stare nequeant, nisi diuinis ipsis codicibus vim & manus intulerint: Ij se profectò declarant extremam fortuna configere, & rebus iam desperatis ac perditis experiri durissima velle atque vltima. Manichæis quid causæ fuit, vt Euangelium Matthei & acta resigerent Apostolica? a Desperatio. His enim voluminibus cruciabantur, vt qui Christum negauerat prognarum de virgine b, & qui Spiritum Christianis tum primò cælitus illapsum sinxerant, quum ipsorum paracletus, Persa nequissimus, erupisset. Quid Ebionis, vt omnes Pauli

I.
Sacra librorum.

a Augu. li.
28. cont.
Faust. ca. 2.
& de vitil.
ere. cap. 3.
b Matt. i. v.
23.

a Iren. li. i. Cap. 26.
b Lutherus in nouo te. germanico Præf. in ep. Ia. vide e- tim lib. de capt. Baby. cap. de ext. vnct. & Cent. 2. Mag. pa. 58
c Iac. 2. v. 14. & seq.
d Bib. Gen. *e* Tob. 12. v. 12.
f Eccle. 15. v. 17. 18.
g 2. Mach. 12. v. 4.
h 12. Mach. 15. v. 12. 14.
i Si sunt Ba- ruch. Tob. Iudith. Sa- pien. Eccl. duo Mach.

repudiarēt epistolæ? *a* Desperatio. His enim suam dignitatē retinentibus, antiquata circū- ciso est, quam isti reuocauerāt. Quid Luthe- ro, *b* vt epistolam Iacobi contentiolam, tumi- dam, aridam, stramineam, flagitiosus apostata nominaret, & indignam spiritu censeret Apo- stolico? Desperatio. Hoc enim scripto con- fessus miser atque diruptus est *c*, cum in sola fi- de iustitiam constitueret. Quid Lutheri catu- lis, vt Tobiam, Ecclesiasticum, Machabæos & horum odio complures alios, *d* eadem calum- nia comprehensos, è sincero Canone repente dispungerent? Desperatio. His enim Oraculis disertissimè coarguuntur, quoties de Angelo- rum *e* patrocinio, quoties de arbitrij *f* liber- tate, quoties de fidelibus *g* vita defunctis, quoties de diuinorum *h* hominum intercessio- ne disputant. Irane verò? Tantum peruer- sitatis, tantum audaciæ: Cum Ecclesiam, Con- cilia, Cathedras, Patres, Martyres, Imperia, Po- pulos, Lèges, Academias, Historias, omnia ve- rustatis & sanctitatis vestigia cōculcassent, scri- pto Dei verbo tantum controuersias velle di- rimere. proclamassent, illud ipsum verbum quod solum restiterat, exsectis è toto corpore tam multis, tam bonis, tam speciosis parti- bus, delumbasse? Septem enim ipsos de vete- ri Testamento codices, vt minuta dissimu- lem, Calviniani præciderunt *i*: Lutherani ve- rò etiam Epistolam Iacobi, & huius inuidia, quinque alias, de quibus aliquando fuerat &

alicubi controuersum *a*. His quoque libellum Hæsteris, & tria penè capita Danielis annu- merant nouissimi Geneuenfes *b*, quæ quidem Anabaptistæ istorum condiscipuli iam pridem damnauerant atque deriserant. Quanto mo- modestius Augustinus *c*, qui sacro sanctum ca- talogum pertexens, non tibi, neque Alphabe- tum Hebraicum, vt Iudæi, neque priuatum spiritum, vt Sectarij, pro regula posuit: sed illū Spiritum quo totum corpus Ecclesiæ Chri- stus animat, quæ quidem Ecclesiæ custos hu- ius depositi, non magistra, (quod hæretici cauillantur) thesaurum hunc vniuersum quem Tridentina synodus *d* est amplexa, vetustissi- mis olim Conciliis *e* publicitus vendicauit. Idē Augustinus *f* de vna Scripturarum parti- cula speciatim differens, inducere in animum non potest, librum Sapientiæ, qui iam tum, Ec- clesiæ calculo, temporum serie, priscorum te- stimonio, instinctione fidelium, vt firmus & Canonicus robur obtinuerat, cuiusquam te- meritate vel susurro *g* extrudi extra canonem oportere. Quid ille nunc diceret, si viueret in terris, & Lutheros Calvinosque concerneret opifices Bibliorum, qui sua lima politu- la & elegantula vetus nouumque Testamen- tum referant, neque Sapientiam tantum, sed & alia permulta de canonicorum librorum or- dine segregauerint: vt quicquid ex horū officina non prodierit, illud ab omnibus phrenetico decreto, tanquam incultum & horidum con-

a Ex no. te. ij. sunt ep. Ia. c. ep. ad Heb. ep. Iu. da. ep. 2. Pet. ep. 2. & 3. Io. Ira cēsent. Lut. in præfat. citata mag. cent. 1. h. 2. cap. 4. *b* Kē. in exa. Cont. Tri. sel. 4. *c* Bibl. Ge- neu.

d S. Aug. de doct. Chri. li. 2. cap. 3.

e Cōc. Tri. s. ess. 4. *f* Videmel- ch. Cā. li. 2. de lo. The. ca. 9. 20. 11. *g* Aug. de P. ad. S. act. cap. 14.

spuatur? Ad hoc tam dirum & execrabile per-
fugium qui descenderint, ij certè licet in ore
suorum affeclarum volitent, Sacerdotia nun-
dinentur, declamitent in concione, ferrum in
Catholicos, equuleum, crucémque consciscãt,
tamen victi, abiecti, squalidi, prostrati sunt:
quandoquidem arreptâ virgula censoria, velut
arbitri sedentes honorarij, diuinas ipsas tabu-
las, si quæ ad stomachum non fecissent, oblite-
rant. Ecquis est, vel mediocriter institutus, qui
talium cuniculos hostium reformidet? qui hos-
tes, quàm primùm in cordna vestra, erudito-
rum hominũ, ad eiusmodi veteratorias artes,
tanquam ad familiarẽ dæmonẽ current, non
aurium conuitio, sed strepitu pedum excipe-
rentur. Quærerem ab illis, verbî gratia, quo iu-
re corpus Biblicum detruncant atque diripiãt.
Respondent, non se veras scripturas excindere,
sed excernere supposititias. Quo iudice? Spi-
ritu sancto. Hoc enim responsum à Caluino

a Caluinus
Inst. lib. 1.
ca. 7. num.
4. & 5.

b Xist. Sē.
li. 8. Hære-
si. 10.
c Seb. Cas-
tatio. Pref.
in Can. Vi-
de Bezã in
sua præfat.
ante com-

præscribitur, vt Ecclesiæ iudicium, quo spiri-
tus examinantur, subterfugiat. Cur igitur alias
alij lancinatis, cum omnes eodem spiritu glo-
riemini? Caluinianorum spiritus recipit sex e-
pistolas quæ spiritui non placent Lutherano:
freti tamẽ vterq; sancto Spiritu. Anabaptistę,
historiam Iobi fabulam b appellant, tragicis &
comicis legibus intermixtam. Quĩ sciunt? Spi-
ritu docete. c Castatio mysticũ illud Salomo-
nis Canticum, quod vt paradisum animæ, vt
manna reconditum, vt opiparas in Christo de-

licias Catholici admirantur, nihilo pluris, quã
cantilenam de amicula, & cum pedisequis au-
læ colloquium amatorium, venerus furcifer
æstimauit. Vnde hausit? à spiritu. In Apocaly-
psi Ioannis, cuius omnes apices excelsum ali-
quid & magnificum sonare confirmat Hiero-
nymus a, tamẽ Lutherus b & Brentius & Kem-
nisius c quiddam nescio quid, difficiles Aristar-
chi desiderãt, eò scilicet propendentes vt exau-
ctoretur. quem percontati? spiritum. Quatuor
Euangelia feruore præpostero Lutherus d in-
ter se committit, & prioribus tribus epistolas
Pauli longè præferens, vnicum deinceps Euã-
gelium Ioannis, pulchrum verum, præcipuum
decernit esse nominandum, quippe qui, quod
quod in ipso fuit, libenter etiã Apostolos sua-
rum rixarum socios adscripsisset. quo docto-
re? spiritu. Quin etiam iste fraterculus non
dubitauit Euangelium Lucæ petulanti stylo
perstringere, e quòd in eo crebrius bona nobis
virtutum opera commendantur. quem inter-
rogauit? spiritum. Theodorus Beza f verbum
illud arcanũ ex Lucæ vigesimo secundo capi-
te, *Hic est calix nouum testamētum in sanguine meo,*
qui (calix) g pro vobis fundetur: ausus est vt corru-
ptum vitiatũque traducere, quòd hæc oratio
nullam expositionem nisi de vino calicis con-
uerso in verum Christi sanguinem patiat. ur.
quis indicauit? spiritus. Denique cùm omnia
credant suo quisque spiritui, nomen Sancti
Spiritus horribili blasphemia mētiuntur. Qui

ment. Cal-
uini in Io-
sue.

a S. Hiero.
ep. ad Pauli
b Lutherus
præf. i Apo.
c Kemis. in
exã. Conc.
Trid. sess. 4.
d Lutherus
Præf. in no-
testa. Ger-
manicum.

e Lutherus
Scr. de Pha-
ris. & Pubi.
f Beza. In
Luc. 22.
ca. v. 20.
ποτηριον εν-
αινω εδρον.

sic agunt nonne te produnt? nonne facile refutantur? nonne in confessu talium vitorū, quales estis Academici, tenentur, ac minimo negotio constringuntur? Cum his ego timeam pro fide Catholica disputare, qui pessima fide, voces non humanas, sed æthereas, tractauere? Nihil hîc dico, quæ vertendo peruerterint, quâuis intolerabilia sint quæ accusem. Gregorio Martino scientissimo linguarum, collegæ meo, qui doctius & plenius hoc præstabit, nihil præripio, nec aliis, quibus id laboris esse iam præmanibus intellexi. Facinorosius crimen est ac tetrius, quod nûc persequor: inuentos esse doctorculos, qui temulento quodam impetu in cœleste chirographū inuolatint: id ipsum pluribus locis, vt mutilatum, vt mâcum, vt falsum, vt surreptitium condemnarint: eius partes aliquas correxerint, aliquas corroserint, aliquas euulserint. Hinc, omne propugnaculum quo muniebatur, in Lutheranos spiritus, tanquam in valla phantasmatum, pictosque parietes cõmutarint: ne prorsus obmutescerent quum in scripturas erroribus suis infestas impingerent, quas nihilo commodius expedire, quàm forbere fauillas aut saxa mandere potuissent.

Hæc ergo mihi prima ratio vehemens & iusta fuit, quæ vbi partes aduersarias umbraticas & fractas ostendisset, animum sanè addidit viro, & Christiano, & in his studiis exercitato, pro sempiterni Regis diplomate aduersus reliquias profligatorum hostium decertandi.



CONFVTATIO RE-
SPONSIONIS VVHI-
takeri.



V M variæ sunt multiplicésque hæreticorum fraudes, quibus incautos homines, atque imperitos ab Ecclesia Catholica abducere, & ad suam quisque sectam alligere solent, tum illam mihi (whitakere) tota quidem responsione tua præclare, sed maximè tamen initio exprimere videris, vt quo te loco vel maximè victū sentias, eo ne succubuisse videare, victoriam insolentissimè tuam iactes. Etenim cum summam vestrorum hominum diffidentiam firmissimo Edmundus Campianus argumento luce clarius ostenderit, adeò tu nullà agnoscis, vt ne in leuissimi quidè metus suspicionem eos aliquâdo incidisse admittas. Quod rectène, an secus feceris non est, (vt arbitror) difficile iudicare. Quæ enim maior esse diffidentia potest, quàm cum reliquis omnibus tam impiæ causæ præsidiiis destituti ed tandem estis redacti, vt nisi diuinis ipsis codicibus vim, & manus intuleritis, nihil, quo

desperatam hæresim tueamini, reliquum habeatis. Et tamen hic tu nobis miram tuorum fiduciam prædicas. Num ullam vnquam (inquis) eruditam concertationem subterfugimus? Num certamē recusauimus? Num conditiones, optionesque vestras elusimus? Thraconicè sanè. Et quis istà fortissimorum militum; alacritatem nõ miretur; quis non suspiciat? Sed illud mihi velim respondeas. Fortisne tibi, an timidus potius, & ignauus miles videtur, qui nõ alia lege manus cum hoste conferere audeat, quàm vt illi liceat, hosti quibus voluerit armis interdiceret, sibi verò, quæ libuerit, sumere? Hic enim vester pugnandi mos est, hæc certaminis ratio, vt quoties nobiscum congredi necesse est, nullis neque Ecclesiæ Catholicæ, neque conciliorum, neque sanctorum patrum armis, vos ferri sinatis; si quid tamen in hoc genere occurrat, quod contra nos vlla ratione, quamuis iniquissima torqueri posse videatur, eo vos pro arbitrio vestro vtamini. Sola igitur nobis, (fortissimi milites) scripturarum arma relinquitis, atque vti nam hæc integra. Sed in his etiam, si quæ occurrunt (occurrunt autem plurima) quorum aciem nulla neque vi retundere, neque arte eludere possitis, mox arma non esse legitima clamatis, & vel hunc scripturæ librum nõ esse in canone Hebræorum, vel olim de eo fuisse dubitatum, vel Apocryphum esse, & nihil apostolici spiritus habere vociferamini. Veteres nimirum hæreticos imitati de quibus

Tertullianus, *Ista hæresis, quæsdã scripturas nõ recipit, & si recipit, nõ recipit integras: & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones commetata peruertit.* Hoc cene est fortes vos milites ostendere? Hoc cene magnū, vel in causæ vestræ equitate, vel in viriū veltrarū magnitudine fiducia collocare? Quis enim vel puer tam imbecillus, atque imbellis inueniatur, qui huiusmodi certamen detrectet? Quid verò si ne tam iniquis quidem pugnæ conditionibus Catholicorum impetum vnquam sustinere potuistis? Quam enim vnquam disputationem cum catholicis coram æquis rerum estimatoribus instituistis, cuius vos non maximè postea penituerit, redeuntibus cateruatim ad Ecclesiam catholicam plurimis, qui fraudes antea vestras non satis intellexerant? Exemplis hinc, ne tantū vobis dolorem de industria renouare videar, non immorabor. Vnus omnium instar Campianus ipse erit, cum quo, licet iam crudelissimè torto, membrisque omnibus saucio, inita disputatio, tanto quàm antea rariores conciones vestras, cernatque effecit, vt non facilè denovo huiusmodi certamē nisi inuiti admodum sitis suscepturi, Desine igitur vestrorum vires, atque animos frustra iactare, & quam infeliciter, hæc vobis prælia hæctenus cesserint vel sumi illius ducis vestri exēplo discite, qui se ab Eckio catholico sacerdote victum sentiens, qui perniciosam illius orationē publicè cōfutarat, futuro percitus, in hæc verba prorupit. *Nec pro-*

Tertul. de præscrip. aduers. hæreticos,

Ann. 1519.
Cocleus in actis Luth.

pter Deum, inquit, hac res cepta est, nec propter Deum finietur. Et quantum tu ipse in hoc certamine valeas mox experiemur.

Amisissis reliquis præsidiis causaque desperata, eò vos infaniae deuenisse queritur Campianus, vt sanctorum maiestatem Bibliorum foedissimè violaueritis. quod tu dum factum negas, quid aliud quam sacrilegium mēdacio cumulas? *Iacobi epistolam Lutherus* (inquit Campianus) *contentiosam, tumidam, aridam, stramineam, flagitiosam apostata nominat, & indignam censet spiritu apostolico.* Hæc tu nimium acerba, nimium impia ac blasphema præceptoris tui conuitia officiosè admodum mollire studeas. *Vnam Iacobi epistolam* (inquis) *Lutherus parum honorifice appellat, nonnihil exagitat.* Magnas fanè tibi gratias Lutherus agat oportet, qui tam immani sum scelere cum liberare omnino non possis, aliqua saltem parte lenire desideras, atque vt eum venia dignum ostendas. *Non Mattheum* (inquis) *non Marcum, non Lucam, non Ioannem, non Paulum, non Petrum, vel verbo violat, vnam Iacobi epistolam nonnihil exagitat.* An quia non omnes ille euangelicos scriptores blasphema linguæ petulantia incessit, in vnum aliquem effundere licebit quidquid libuerit? Culpam deinde à Lutherò in alios pulchrè deriuas. *Non enim Lutherò* (inquis) *ignotum fuit quid vetus Ecclesia de hac epistola senserit, quid iudicarit. Eusebius nimirum de illa epistola scribit, ἵστεον ὡς νοθεύεται. i. velim omnes id intelligere eam epistolā qua Iacobo affingitur*

Euseb. lib.
2. cap. 22.

esse adulterinam. Quid scribit potuit apertius? Immo verò quid à te fraudulentius, quid malitiosius citari potuit? Nihil enim aliud Eusebius quam hanc epistolam à quibusdam Iacobi non haberi dixit. νοθεύεται enim libri dicuntur qui alterius esse authoris à quibusdam putantur quam illius cui vulgò ascribuntur, quod nemo fanè ignorat qui vel prima linguæ Græcæ elementa degustauit. Non ergo Eusebius adulterinam hanc esse epistolam dixit, vt tu illi falso imponis, sed quorundam opinione Iacobi non esse. Verum hanc de authore dubitationē nihil de canonica eius autoritate detraxisse satis illa quæ sequuntur verba ostendunt: τοιαῦτα καὶ τὰ κτ' τὸν Ἰάκωβον ἢ ἡ ἀρχαῖα τῶν ὀνομαζομένων καθολικῶν ἐπιστολῶν εἶναι λέγεται. ἵστεον ὡς νοθεύεται κτλ. οὐ πολλοὶ οἱ γὰρ τῶν παλαιῶν αὐτῆς ἐμνημόνευσαν ὡς ἢ δὲ τῆς λεγομένης Ἰούδα μίας καὶ αὐτῆς ἕως τῶν ἐπὶ λέγομένων καθολικῶν. ὡμῶς δὲ ἰσχυρὰ καὶ ταῦτα μετὰ τῶν λοιπῶν ἐν πλείστοις δεδημοσιευμέναι ἐκκλησίαις. id est. Hæc de Iacobo literis prodita sunt, à quo prima epistolarū quæ Catholica nominantur, dicitur scripta esse. Illud tamen nos minimè prætereire decet, quod licet à quibus tanquam adulterina & minimè germana Iacobi propterea iudicetur, quod non adeo multi ex veteribus illius epistolæ, sicut nec eius qui dicitur Iudæ, quæ etiam in septē Catholicarum numero ponitur vllam omnino mentionem faciant, nos tamen istas cum reli-

ib. 2. cap.

23

Euseb. li. 2.

cap. 22.

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

quis in quā plurimis Ecclesijs publicè recepta approbatq; cognouimus. Quibus verbis nihil minus Eusebius quā Iacobi epistolam canonicarum scripturarū numero excludit, neq; alio eam loco habet quā epistolam Iudae quam ab illo reiectam fuisse neque vos ipsi dicere audeatis. Tuā ergo in proferendis partu testimonijs fidem desideramus, perfidiam vero Academicis in posterum diligenter cauendam ostendimus. Hieronymum deinde velut alterū causae tuae patronum profers. *Epistola Iacobi*, inquit Hieronymus, *ab alio quodam sub eius nomine edita asseritur*. Sed quid hoc ad rem? Num quia Hieronymus quosdam asseruisse refert ab alio hanc epistolam sub Iacobi nomine editam, mox cum Luthero Hieronymus eam parum honorificè appellare, & nonnihil (vt tu loqueris) exagitare censendus est, aut etiam de illius autoritate dubitare? Quid ergo de celebri illo noui vestri Euāgelij authore Caluino dices, qui disertis sanè verbis epistolae ad Hebraeos Paulum esse scriptorem negat? *Ego*, inquit, *vt Paulum agnoscam authorem huius epistolae adduci nequeo*. Quae tamen quin inter canonicas esset censenda te etiam iudice minimè dubitauit. Quòd si non mutilum (vt soles) Hieronymi locum, sed integrū ingenuè bonaque fide protulisses, Sycophantam te esse, atque impostorē facile omnes vidissent. *¶ Nam* (inquit Hieron.) *Iacobus scripsit epistolam quae de septem catholicis est, quae & ipsa ab alio quodam sub nomine eius edita*

Hieron. in
catal.

In argu. ep.
ad Hebrae.

Hieron. in
catal.

asseritur: licet paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem. Quid ad huius epistolae auctoritatem confirmandam apertius ab Hieronymo dici potuit? & tamen tu ad eò frontis omnis atque pudoris expers es, vt cum suam ille sententiam dixerit clarissimè, aliamque quorundam aliorum retulerit, non suam illi, sed alienam sententiam tribuas, vt de huius epistolae auctoritate dubitasse videatur. De qua vt fuisset sanè aliquando dubitatum, quis non videt potuisse deinceps ab Ecclesia recipi, atque inter canonicas epistolas numerari? *Nolle verò te quarere ais, quo iure recipi potuerit temporis successione, qua semel fuit repudiata, vt quam initio fidem minimè haberet, eam tacitis hominum iudicijs paulatim obtineret*. Num tu ignoras de Apocalypsi Ioannis quam multi olim Eusebio teste dubitarint? *De Apocalypsi* (inquit) *Ioannis à nonnullis etiam adhuc variè in vtramque partē disputatur*. Et de duabus illius epistolis aliisque etiam libris de quibus nunc dubitare nefas est. Et vt tuis te vinculis arctius constringam: cum dubitatum de Iacobi epistola in veteri ecclesia fuisse paulò ante tam diligenter notaris, si nulla deinceps temporum successione quam initio apud omnes nō habebat, fidem obtinere potuit, ne adhuc quidem te iudice canonica censenda est. Quid ergo sibi vult quod mox subiungis. *Eam nos quidem suscipimus, & libris canonicis annumeramus*. Quidquid enim vel Lutherus vel alius quisquā de hac epistola statuerit, eique nō-

lib. 3. ca. 18.

nihil detraxerit, nosra tamen Ecclēsia illam libenter amplectuntur, & vel ab Apostolo, vel à vniuerso Apostolico conscriptam esse iudicant. Apostolicam certe in ea doctrinam spiritumque agnoscunt. Quod hic te vertes, quin ex eodem te ore calidum efflare & frigidum palam omnes videant. Bene habet tamen, quod tam bellè vobis cum magno vestro propheta Martino Luthero cōueniat, vt quam ille epistolam non nihil exagitant, cui detraxit, eam vestræ Ecclesiæ libenter pro canonica recipiant. Nimirum Spiritus ille vester ieiunus hic, credo, & sobrius vidit, quod illius spiritus nimio fortè mero, vt solebat, obrutus videre non potuit. Audiamus verò (si placet) non vnus de fæce vulgi, aut popæ neficio cuius de circo maximo, sed ipsius Ioannis Caluini, Deus bone cuius viri & quanti, iudicium à te prolatum. *Ego quia nullam eius repudianda satis iustam causam video, libente eam sine controuersia amplector.* *ὡς τὸς ἐπὶ* scilicet. Sileant ergo omnes, iudiciumque tantisper suspendant, donec illè quasi ex tripode oracula fundat, & suo quæ voluerit calculo probet, improbetne. A cuius sanè nitu vos iure optimo penderis, quibus nouus illius spiritus tam copiosè illuxit: cui si qua forte alia sententia magis arrisisset, eodem plene iure non vnā modò epistolā, sed omnes repudiare licuisset. Quid plura? nisi vt Gregorij vos Nazianzeni verbis alloquar. Si Caluinus vester Moytes est, nubem ipsè quoque ingrediatur, Deum alloquatur,

in argu. ep.
Iacobi.

De moderat. in disputationi-

voce eius audiat, legem ab eo accipiat, atque promulget. Si plebeius quispiam est, deorsum maneat, vocemque solum audiat, idque etiam postquam seipsum, vt iussum est, expiauerit. Sed vobis fat scio Caluinus vester nō plebeius aliquis, sed Moytes alter est. Non equidem inuideo. Nouam ergo Euangelij legem vobis promulget. Sed denuo ad Lutheri tui defensionem recurris. Malè enim te habet, tanti scilicet prophetæ cum Caluino tuo dissidium. Negas itaque vehementer Iacobi epistolam stramineam, tumidam, & indignam Spiritu apostolico à Luthero vocari: Et quasi in manibus victoria sit quæris, vbi ista scripsit Lutherus, quæ ille commemorat. *Profer* (inquis) *nobis locum vt tuam fidem exploremus.* An tu Lutheri tantus lector tamque diligens ac studiosus discipulus monitore indiges, qui locum tibi quo Lutherus hæc scripsit indicet? Et quasi in posterum nemo esset futurus qui vero loco indicato integra tibi Lutheri verba repōneret, affirmare non dubitas, Lutherum nunquam contentiosam aut aridam, aut tumidam, aut stramineam Iacobi epistolam appellasse. Ex quo tuam facillè lycophantiam omnes intelligent. Audi igitur ipsa Lutheri verba, *Iacobi epistola* (inquit) *cōtētiōsa, tumida, arida, straminea, indigna est apostolico spiritu.* An non hæc ipsa sunt quæ Lutherus Cāpiamus tribuit? Et tu quidē valde puer es si ignoras Lutheri etiamnum discipulos in magistri sententia permanere. Huius rei

Luther de
ep. Iacob.

In præfatione in nouum test.

in annotat
in nouum
testa. pag.
vltima.

In cap. 4.
ep. ad Ro.

testis est magnus ille Ecclesiastes Norimbergensis Vitus Theodorus, *Epistolam Iacobi & reuelationes Ioannis data opera omisimus: quia epistola Iacobi non tantum in aliquot locis reprehensibilis est, ubi aduersus fidem opera nimium extollit, verumetiam per omnia est doctrina confusa de multis partibus ubi nulla alteri coheret.* Atque vt Magdeburgenses Lutherianorum corypheos reliquosque præteream: Pomeranus ille discipulorum Lutheri facile princeps, qui superstitiæ adhuc magistro, wittëbergenti synagogæ præfuit, quam ab illo de hac epistola sententiã acceperat, disertè expressit. Illa enim Apostoli verba exponēs, Dicitur quia reputata est Abrahamæ fides ad iustitiã. *Ex hoc loco (inquit) potes deprehendere errorem epistolæ Iacobi in qua impiũ vides argumentum: præterquã quod ridiculè colligit, citat scripturam contra scripturã, quod spiritus sanctus ferre nequit. Nõ potest igitur reliquis annumerari libris qui iustitiam fidei prædicant.* Hoc verò Lutherianorum est de epistola Iacobi iudicium, qui Lutheri sententiã longè quàm tu melius cognouerunt. Cuius si præfationem in nouum testamentum legisses aliquando, nõ tanta, credo, impudentiã Campiano insultares, qui præter Lutheri eo loco verba nihil protulit, quæ tu in illa in Iacobi epistola præfatione minimè scripta esse clamas: quasi hæc semel scripsisse Lutherò satis non fuerit. Tibi verò whitakere ignosco, qui exemplaria witembergæ tantum, vel Argentorati excusa legeris. Nam si quæ Ienæ olim edita fuerunt vidisses,

vidisses, equidem vix mihi persuadeo, eò te impudentiã deuenturum vt rem tam certam, tam audacter negares. Quis enim ignorat non omnibus Lutheri discipulis tam rigidam præceptoris sententiã placuisse? Eam igitur qui molles postea Lutherani dicti sunt in iis quæ ipsi ediderunt exemplaribus correxerunt: veterum profectò hæreticorum ingenium imitati, de quibus eleganter Tertullianus, *Ceterum nec suis præsidibus reuerentiam nouerunt. Mentior etiam si non à regulis suis variat inter se, dum unusquisque perinde suo arbitrio, modulatur quæ accipit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit. Agnoscit naturam suã & originis suæ morem profectus rei. Itaque libera sunt illis omnia & soluta.* Ac ne mirum tibi hoc de Lutherianis videatur, recordare, si placet, quã sæpe à Philippo Melancthone loci illi communes inuersi sunt atque mutati. Et tuus ipse Calvinus quàm multa ex prioribus suorum operũ editionibus sustulit, vt tempori nimirum callidus veterator seruiret. Exẽplum si postulas, vnum tibi è multis, minimè alienum proferam. Quã grauitèr ille & acerbè in Henricum Angliæ regem inuectus est, in iis etiam libris quibus non leue aliquod aut vulgare argumẽtum, sed ipsam diuinorum oraculorum explanationem pertractat? *Postquam Gehu (inquit) visus est ardere zelo dei, statim ostendit nihil fuisse in animo suo syncerum. Nam amplexus est omnes superstitiones quæ prius vigerant in regno Israël. Denique talis fuit re-*

De præfæc.

cc

cc

cc

cc

in capit. 1.
Oicc.

formatio sub Gebu qualis sub Henrico Anglia rege. Ille enim cum videret se non posse aliter excutere iugum Romani Antichristi quam aliquo fuce, prae se tulit ad tempus Zelum. Postea crudeliter seuit adversus omnes pios, & duplicavit tyrannidem Romani pontificis. Si reputemus quale fuerit factum Henrici, certe erat heroica virtus, eripere e tyrannide durissima regnum illud. Sed interea quantum ad ipsum spectat, certe fuit deterior omnibus aliis mancipiis Romani Antichristi. Nam qui sub illa servitute manet saltem retinent aliquam speciem pietatis: ille autem nullo pudore hominum retentus fuit, & ostendit se prorsus vacuum esse omni timore Dei. Fuit homo beluinus: talis etiam fuit Gebu. Et alio loco Et hodie quae multi sunt in Papatu qui regibus accumulunt quidquid possunt iuris & potestatis: ut ita ne qua fiat disputatio de religione, sed potestas hac sit penes regem unum, ut statuatur pro suo arbitrio quidquid voluerit, & sine controversia hoc fixum maneat. Qui initio tantoperè extulerunt Henricum regem Angliae, certe fuerunt inconsiderati homines. Dederunt illi summam rerum omnium potestatem: Et hoc me semper graviter vulneravit. Erant enim blasphemi cum vocarent ipsum summum caput Ecclesiae sub Christo. Haec aliaque huiusmodi non pauca, si quis à Caluino scripta esse neget quod in quibusdam exemplaribus iam minimè legantur, ridiculus planè sit. Quippe qui Calviniani euangelij libertatè ignoret. Ut cum sit, (ais) habuit Lutherus in hoc iudicio cõsentiente primae & purissimae Ecclesiae antiquitatè, & tamè nos dimisso Lutero nē aliter iudicamus, quā

in cap. 7.
Amos.

ipsi vos eiq. tantū tribuimus quantū, vos tribuendū existimatis. Spectatū admitti risū teneatis? Quid enim tam ridiculum quàm tāto conatu mileri hominis defensionem suscipere, moxque eundem abiecto tam turpiter clipeo deserere, si bique fuga consulere. Nam si Lutherum propugnare vis, cur eo dimisso non aliter te de hac epistola, quam nos ais iudicare? Si indignum tuo patrociniō apostatam monachum censes, quid tam diu in illius defensione sudasti. Lōgè profectō satius fuisset in ipso confictus initio apostatam dimittere, quàm post oleum & operam perditam te ipsum lectori ridendum praeberè. Illud verò praeferire nō possum, quod Lutherum ais primae & purissimae Ecclesiae antiquitatem secum consentientem habere, vos tamen eo dimisso aliter iudicare. Vos ergo à primae & purissimae Ecclesiae antiquitate vestra ipsorum confessione descivistis. Hic est nimirum spiritalis vertiginis, quo novi euangelici estis afflati. Placet tamen quod animos refumis, & quasi collectis viribus pugnam redintegrare cogitas. Lutherus enim cum iustificationem hominis nulla prorsus ex parte operibus tribuendam contenderet, nullamque sibi elabendi viam admissa hac epistola patere videret, magno sanè pugnae compendio, illius auctoritatem reiecit. Tu verò intrepidus, nostro, ais, omnium nomine, spondeo ac promitto, quicquid ex hac epistola in tuo certamine quod nunc ingressus es attuleris, id nos libentissimè suscepturos. Lu-

B ij



thero fortè oculatior es, & quam ille elabendi viam lippis oculis videre non potuit, tu planè lynceus perspicies. *Nostrum*, ais, *illud dogma est verissimum ac sanctissimum, hominem sola fide iustificari. Id Paulus planissimè docet, quanquam solius fidei disertè non meminit* At ego contra falsissimum esse atque perniciosissimum dogma vestrum asseuero. Paulus sanè nunquam sola nos fide iustificari dixit, neque disertè, vt tu ipse fateris, neque dixit, planissimè, quod negas (si tamen hoc aliud est) immò & planissimè, & disertis sanè verbis sola nos fide iustificari negat. *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum sed, factores legis iustificabuntur.* & rursus. *Si habuero, inquit, omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Quid his verbis apertius, quid disertius dici potest? An quidpiam nos aliud qui Catholici sumus, quàm quod Paulus de iustificatione disertissimis hisce verbis expressit, profiteamur? De scripturarū ergo statione deiectus ad Patres cōfugis, quos ne à limine quidem salutasse videris, aded illos perperam, aded imperitè adducis. *Ita Paulum* (ais) *antiqui Patres explicant atque interpretantur. Ambrosius. Sola fide iustificati sunt domino Dei. Et Basilium, sola fide in Christum nos iustificari. Nazianzenus. Iustitia in sola fide consistit.* Ambrosius sanè quem tu primum veluti patronū tuæ causæ asciuisti, sola nos fide iustificari dixit, non vt ea quæ fidem consequuntur opera à iu-

Rom. 2.

ad Rom. 2.
1. Cor. 13.Ambr. in c.
9. ad Rom.
Basil. de humilit.
Nazianze.
de ebrae.

stificatione excluderet, sed illa potius quàm in lege veteri fieri solebant. Sic enim ille eo loco. *Gentilem dicit Paulus hominem pro certo habere quod iustificetur credens, nulla faciens opera legis: id est, vt ipse exponit, sine circumcissione, aut neomeniis, aut veneratione sabbati: eadèque est de Pauli verbis Augustini sententia. Cum ergo dicit apostolus arbitrari se iustificari hominem per fidem sine operibus legis, non hoc agit vt percepta ac professa fide, opera iustitiæ contemnātur, sed vt sciat se quisque per fidem iustificari, etiamsi legis opera non præcesserint. Et alio loco, homines non intelligentes quod ait apostolus, arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis: putauerunt eum dicere sufficere homini fidem etiamsi malè viuat, & bona opera non habeat. quod absit vt sentiret vas electionis, qui cum dixisset quodam loco, in Christo enim Iesu neque circūcisio aliquid valet, neque præputium: mox addidit, sed fides quæ per dilectionem operatur. Mosaicæ igitur legis opera Paulum à iustificatione excludere Ambrosius sensit: De bonis vero Christianorum operibus absit vt aliter ille senserit quam Augustinum sensisse ostendimus. Nam & suam ipse sententiam disertis sanè verbis non vno loco expressit. Manifestum est (inquit) quia vnusquisque operibus suis aut iustificabitur, aut condemnabitur. Qui enim audientes legem peccant, inexcusabiles sunt. Et alio loco. Timeamus verè*

Aug. de fi.
de & op.
cap. 14.August. de
gratia & li.
be. arb. c. 7.Amb. in e.
13. ad Ro.

" nos illorum perditionem, & iustum Dei iudi-
 " cium metuamus, qui reddet vniqueque secun-
 " dum opera sua, requiem sempiternam fidem
 " habentibus, sed eam tamen quæ per dilectio-
 " nem operatur: non credentibus pœnam per-
 " petuam. Ex fide denique iustificari hominem
 " sine operibus legis ideo rectè quis dixerit, quia
 " ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera,
 " quæ propriè opera nuncupantur, in quibus ius-
 " tifiè viuunt. Basilius verò quem eadem imperi-
 " tia profers, cum sola nos in Christum fide iusti-
 " ficari ait, illa demum opera reiicit, quæ solis li-
 " bery arbitrij viribus facta ad salutem sufficere
 " superbi quidam homines existimabant. Totius
 " enim concionis hic scopus est, hoc argumen-
 " tum præcipuum, vt ad humilitatem fideles ver-
 " ramque animi summisionè hortetur: ne quis
 " superbia elatus in suis viribus fiduciam collo-
 " cet, cæterosque præ se, vt olim Pharisæus ille
 " contemnat: sed potius salutem suam, bonaque
 " omnia Deo accepta ferat, illius Pauli sententiæ
 " memor. Quid habes quod non accepisti? Si au-
 " tem accepisti, quid gloriaris quasi non acceper-
 " is? Bonis verò Christianorum operibus ex
 " Christi gratia fidèque manantibus quantum
 " ipse ad veram coram Deo iustitiam cõsequen-
 " dam pöderis inesse ac momenti crediderit illa
 " fatis ostendunt. Ne dicat quisquam sapientiam
 " hanc (cuius initium est timor domini) in sola
 " consistere scientia, subiicit: Intellectus bonus
 " & c. non enim satis est fides, nisi & vitæ conuer-

1. Cor. 4.

Basil. in pf.
110.

fatio fidei conueniens accedat. Et alio loco. Ne idem in pf.
 scientiam tibi satisfacere putes, propterea ad- 117.
 iecit, qui ambulant in viis eius. Hoc est qui tim-
 ment & ambulât. Multi namque sunt qui cum
 fide satis accurata corruptè viuunt, ideòque
 omnium sunt miserimi. Viæ verò domini cõ-
 uersationes sunt secundum virtutem, quibus
 in cælum tendimus. Hæc ille. Quid verò aliud
 sunt cõuersationes secundum virtutem quàm
 bona opera? Quæ tantum abest vt Basilius à ius-
 tificatione excludat, vt illis nos in cælum ten-
 dere affirmet, quod nihil est aliud quàm iusti-
 ficari. Iam quod ex Nazianzeno adducis, incau-
 tis te lectoribus imponere velle satis arguit. Ni-
 hil enim ille aliud, quàm diuinis de rebus ac
 summis fidei Christianæ mysteriis, non temere
 & quàm par sit curiosius disputandum, sed ad
 sobrietatem, vt Paulus loquitur, sapiendum
 docet. Neque omnium esse Christianorum
 arcana illa, abditaque religionis mysteria in-
 telligentia consequi. Sunt enim Christianorū
 plerique (vt ille ait) tenui ingenio, & lingua
 tardi, ac pauperes: nec verborum flexus & ca-
 pationes norunt, nec sapientum ænigmata, nec
 Pyrrhonis disputationes aut assensus reten-
 tiones, aut oppositiones, nec syllogismorum
 Chrysippi solutiones, aut artium Aristotelis
ἡγεμονικῶν seu prauum artificium, aut Platonis
 eloquentiæ præstigias, Quibus sic ille
 consulit. Confitere Iesum Christum, eum-
 que à morte ad vitam reuocatum crede, & sa-

Nazianze.
De vitæ.

Rom. 12.

" lute donaberis. Etenim iustitia quidem est vel
 " solum credere. At plena numerisque omnibus
 " absoluta salus in eo sita est, vt etiam confiteamur,
 " ac cognitioni professionem, dicendique libertatem adiungamus. Nō ergo bonis hominem operibus iustificari negat, inter quæ & ipsa fidei professio, quæ non voce solum, sed & bonis etiam operibus fit, censenda est: sed sublimē illam diuinarum rerum cognitionem non esse homini ad salutem necessariā docet, cum sine illa, sola fides sufficiat, quam vel rudes, & literarū prorsus ignari habere possunt. Quid verò absurdius quàm quia fidem solam sine tam accurata eruditione atque doctrina sufficere dixit Nazianzenus, opera illum exclusisse putare? vt omittam hoc loco non vestro eum more dicere nos Christi iustitiā sola fide apprehendere, cum in nobis nulla sit, sed fidem ipsam, nostram iustitiā appellare, fideiq; confessionem ad salutem requirere, quam vestrum certē nemo tot ante Lutherum seculis ostendere potuit. Ad Iacobi iam epistolam redeamus. Labet enim experiri num datam nobis præstare fidem possis. *Quando Iacobus (inquit) negat hominem iustificari ex fide tantum, & ex operibus iustificari affirmat, loquitur de fide ficta & simulata, quam negat ad salutem satis per se esse efficacem.* Nouam certē glossam video, ex lacu Lemanno nuper allatam. Quis enim aliquādo veterum sic hunc locum exposuit? Quis huiusmodi commentum excogitauit? vos verò no-

uos prophetas nouis scripturarum interpretationibus in dies cudendis delectari minimē miror. Absit tamen vt de ficta Iacobum fide loquutum in pij ac Catholici hominis mentē cadat. Quorsum enim fidem fictam ad salutē non satis per se esse efficacem probaret? quasi àliquid illa efficacitatis haberet, quam non modò nihil saluti conducere, verum etiā noxiam valde, ac perniciosam esse, Christiani omnes, ad quos ille scribebat, satis intelligebant. Cum igitur Christianorum errorem Augustino teste Iacobus refellat, qui solam fidem ad salutem satis esse putabant, neque de ficta fide quisquam hoc vnquā Christianus dixerit, de vera eum Christianaque fide loquutum esse necesse est. Quod ex allato Abrahami exemplo luce clarius constat. *Vis autem scire ô homo inanis (inquit) quoniam fides sine operibus otiosa est? Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est?* An tu fictam in Abrahamo & simulatam fuisse fidem existimas? Et tamen sola quā habuit fide licet verissima iustificatum non esse Iacobus disertē pronuntiat. Quid quod de qua Apostolus fide loquatur illa etiam satis ostendunt. *Tu credis (inquit) quod vnus est Deus, bene facis.* Ad cōne demens eris vt qui ficta tantum ac simulata fide Deū esse credit, bene tu eū facere, vel ipse existimes, vel dixisse apostolum putes? aut cum fi-

Aug. de gr.
 & lib. arb.
 cap. 7. & de
 fide & o-
 per. 14.

dem cooperatam fuisse operibus, & ex operibus fuisse consummatam ait, hæc tamen cum de ficta fide ac simulata dixisse affirmabis? Nihil ergo noua hac magistri tui interpretatione putidius, nihil à germano apostoli sensu alienius. Nam si de falsa aliqua fide arque fucata fuisset loquutus, nunquam profectò dixisset, videtis quoniã ex operibus iustificatur homo, & nõ ex fide tantum: sed ex operibus iustificari hominem: fidem verò prorsus esse iustitiæ contrariam affirmasset. Iam cetera audiamus. *Iacobus hominem iustificari ait ex operibus. Id est iustum cõprobari, declarari, demonstrari.* Ex eodem (vt video) fonte hæc interpretatio manauit. Edoctus nimirum à magistro Caluino, Iacobũ nõ de iustificatione apud Deum, sed apud homines loqui affirmas. Quis tantam cæcitatem non admireretur? Magnæ scilicet apostolo curæ fuit qua demum ratione iustitiæ opinionem apud homines consequeremur, de vera autem iustificatione qua coram Deo iusti efficimur non fuit sollicitus. Apage verò has nugas. Neque enim ex operibus Abraham corã hominibus tantum iustitię opinionem consequutus est, sed & Dei ipsius amicus verissimè appellatus. Quorsum verò ea verba spectarent: *Quid proderit fratres mei si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides saluare eum?* Quorsum inquã spectarent, nisi de verã apud Deum iustificatione loqueretur? luce enim clarius est bonis hoc loco Christianorum ope-

Iacob. 2.

“ sed & Dei ipsius amicus verissimè appellatus. Quorsum verò ea verba spectarent: *Quid proderit fratres mei si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides saluare eum?* Quorsum inquã spectarent, nisi de verã apud Deum iustificatione loqueretur? luce enim clarius est bonis hoc loco Christianorum ope-

ribus non fidei modò demonstrationem, corã hominibus, sed salutem ipsam quæ à Deo homini conceditur apostolum ascribere. A cuius tu sententia, cum Caluo tuo magistro tam longè aberras, vt si tibi constare velis, & Caluini sententiam tueri, nullam Christianorum operibus, non modò salutem ascribere (quantumuis id Apostolus faciat) sed ne ipsam quidem fidei comprobationem tribuere queas. Vide enim, obsecro (si quid videre potes) quàm sibi ista bellè cohæreant: fidem illam quã summis in cælum laudibus tollitis, solamque hominibus salutarem esse contenditis, operibus cõprobari, declarari, demonstrari, quæ tamen omnia nihil esse aliud quàm inquinameta & sordes & veram iniquitatem apud Deum asseritis. Quid hoc monstri est whitakere? Inquinamentis, sordibus, vera iniquitate apud Deum, fidem illam salutarem iustitiãque Christianam demonstrari? quod cum beato Augustino tribuis, ignorantiam præclare tuã prodis. Quid enim ab illo clarius, quid apertius dici potuisset, quàm cum in hæc verba scripsit. *Quoniam hac opinio tunc fuerat exorta, fidẽ sine operibus iustificare, apostolica epistola Petri, Ioannis, Iacobi, & Iuda contra eam opinionem maxime intentionem dirigunt.* Quin & eundem hunc errorem quem tanto vos studio tueri conamini Eunomio hæretico Augustinus tribuit. Quod vero in eo quem tu adfers loco ait non esse sibi contrarias duorum Apostolorum sententias

cap. 14 de fi
& opeti.“
“
“Ad quod
vult deum
hæ. 54.

Lib. 83.
 quæst. q.
 76.

Paulus lo-
 quitur de
 prima iusti-
 ficatione,
 Iacob, de 2.

Hiero. in
 prolo. Gal.

" Pauli & Iacobi: cum dicit vnus iustificari hominem
 " per fidem sine operibus, & alius inanem esse fidem si-
 " sine operibus, quia ille dicit de operibus quæ fidem
 " præcedunt, iste de his quæ fidem sequuntur: sicut et: à
 " ipse Paulus multis locis ostendit: commentum, il-
 " lud vestrum planè refellit, & catholicæ Eccle-
 " siæ dogmat confirmat. Quis enim vnquam Ca-
 " tholicus, operibus, vel fidem præcedentibus
 " iustitiam, reclamante Paulo tribuit? vel sequen-
 " tibus, asserente Iacobo negauit? Vestra certè,
 " vestra hæc somnia sunt, qui neque præceden-
 " tibus fidem operibus, neque sequentibus quic-
 " quam tribuendum esse docetis. Atque hæc quidè
 " de Iustificationis dogmate ad tuam inscitiam
 " coarguendâ tuaviçtus importunitate breuiter
 " scribo. Rê enim hæc pro dignitate tractare al-
 " terius esse loci intelligis: Ad reliquos ergo scri-
 " pturæ libros à vobis fedè violatos accedo. To-
 " biã, Ecclesiasticû, Machabæos atq; alios cõplu-
 " plures libros è Canone repètè vos dispunxisse
 " Cápianus asserit. Quo loco mirû quâ tua exul-
 " tat oratio, quod sapiëntiã quæ vulgo Salomonis
 " inscribitur, & Iesu filij Syrach librû, & Iudith,
 " & Tobia in Canone nõ esse Hieronymus asser-
 " rat: sed vide obsecro ne ante victoriam triu-
 " phum canas. Quis enim non miretur tantum
 " scilicet Theologum nondum didicisse non
 " omnes canonicę scripturæ libros eodem tem-
 " pore ab vniuersa Catholica Ecclesia rece-
 " ptos fuisse? Et cum olim (vt supra dixi) de nõ-
 " nullis sacræ scripturæ libris à plerisque dubi-

tatû fuerit, de quibus ne vos ipsi quidem nunc
 " dubitandû esse dicere audetis, quid quæso mi-
 " rû si vniuersa iam Catholica Ecclesia libros
 " illos vt canonicos veneratur & suspicit, quos
 " Iosephum contra Appionem sequutus Hiero-
 " nymus in Canone non esse asseruit, quod sua
 " ætate nondum certam apud omnes Ecclesias
 " autoritatem obtinuissent. Certè in Concilio 3. Cõf. Carth.
 " Carthaginensî suscepti sunt, & in librorû ca-
 " nonicorum numerum ascripti, cuius Concilij
 " canones post Hieronymi tempora æcumenica
 " synodus Constantinopolitana probauit: idè-
 " que Florentini Concilij, & nouissimi Triden-
 " tini de iis libris iudicium fuit. Neque obscu-
 " rum est multis ante Lutherû seculis ab omni-
 " bus prorsus Ecclesiis in canone habitos atque
 " receptos fuisse. Quin & semper apud quasdam
 " Ecclesias canonica etiam autoritate viguisse
 " facile comperiet qui veterum monumenta
 " paulò diligentius inspexerit. Nemini ergo
 " dubium esse debet, cum Hieronymus nõ ob
 " aliã causam hos libros in canone esse negarit,
 " quàm quod à Catholica Ecclesia nondum es-
 " sent admissi, quando iam ab eadem Ecclesia
 " admissi sunt, quin illius iudicio pro Canonicis
 " habendi sint. Ridiculè verò Caietanum nobis
 " obiicis quod authorem libri Machabæorum
 " in quodam vaticinio Danielis falsum esse af-
 " firmet, quasi eodem apud nos loco ille, quo
 " apud vos esse Calvinus soleat, aut quasi
 " priuati nos hominis iudicium, ac non po-
 " th.

Cõf. Carth.
 3. can. 47.
 Cõc. Cõf.
 6. cano. 2.
 Cõci. Flor.
 ep. Eugenij
 ad Arme-
 nios.

in. c. 24. Ma-
 th.

Ambr. Ca-
rhar. lib.
contra Ca.
Melchior
Canus lib. 2
loco. theol.
c. 11.

Tertull. de
præf. hæ.
Hiero. cõ.
tra lucife-
rianos.
Hilar. de
Synod.
Vincẽ. Ly-
rinenfis cõ
tra hæref.
2. Theff. 2
Tertull. de
corona mi.

tius Ecclesiæ Catholicæ, quæ à Spiritu San-
cto gubernatur, sententiam sequamur. Quum
etiam Caietanus ipse, non vt vos superbus &
cedere nescius, sed Ecclesiæ iudicio suã subii-
cere sententiã paratus semper fuerit. Quam-
uis sit in eare multò quàm decebat arrogan-
tius loquutus. Quod ante nos Ambrosius Ca-
tharinus, & Melchior Canus, eiusdem licet or-
dinis homines censuerunt. Nam & Danielis
prophetiam sine villo certè errore ad Antiochi
idolum transferre ille auctor potuit, in quo
ramen errasse eum Caietanus existimat. Quod
nos ais *apocryphos libros & traditiones quas-
dam à xpijs undique conquistat sacris Dei scri-
pturis exequare*, tui in hoc fatis es similis. At-
que vt veteri fertur prouerbio, Simia sem-
per simia est. Quibus enim Hæreticis olim fa-
miliare non fuit ad solum Dei verbum scrip-
tum prouocare? Nos verò Patrum vestigijs
inhærentes, Paulo potius quàm vobis parebi-
mus. State (inquit) & tenete traditiones quas
didicistis siue per sermonẽ, siue per epistolam
meam, *Habẽtes obseruationem inueteratam* (inquit
tertul.) *quæ præueniendo statum fecit. Hanc si nulla
scriptura determinauit, certè consuetudo corroborauit,*
*quæ sine dubio de traditione manauit. quomodo
enim usurpari quid potest si traditum prius non est.*
Etiã in traditionis obtentu exigenda est, inquis,
authoritas scripta. Ergo queramus an & traditio nõ
scripta non debet recipi. Planè negabimus recipiendã,
si nulla exempla præiudicent aliarum obseruationum,

*quas sine vllius scripturæ instrumento, solius traditio-
nis titulo, exinde consuetudinis patrocinio vindicamus.*
Denique vt à baptisate ingrediar, aquam adituri,
*ibidem, sed aliquanto prius in Ecclesia sub antistitis
manu contestamur nos renunciare Diabolo & pompæ
& angelis eius. Deinde ter immergimur, amplius a-
liquid respondentes quàm dominus in Euangelio de-
terminauit. Inde suscepti lactis & mellis concordiam
pragustamus. Exque eo die lauacro quotidiano per to-
tam hebdomadam abstinemus. Eucharistia Sacramen-
tum & in tempore victus & in omnibus mandatu
à domino, etiam antelucanis cõtibus, nec de aliorum
manu quàm presidentium sumimus. Oblationes pro
defunctis, pro natalitijs annua die facimus. Die do-
minica ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis ado-
rare. Eadem immunitate à die Pascha in pentecosten
vsque gaudemus. Calicis aut panis etiam nostri ali-
quid decuti in terram anxie patimur. Ad omnem
progressum atque promotum, aditum omnem &
exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lauacra, ad
mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunque
nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo teri-
mus. Harum & aliarum huiusmodi disciplinarum
se legem expostules scripturarum, nullam inuenies.
Traditio tibi pratendetur autrix, consuetudo confir-
matrix, & fides obseruatrix. Et paulo post. *His igitur
exemplis renunciatum erit posse etiam nõ scriptã
traditionem in obseruatione defendi, confirmatam
consuetudine, idoneo teste probatã tunc traditionis ex
perseuerentia obseruationis. Consuetudo autem etiam
in ciuilibus rebus pro lege suscipitur cum deficit lex.**

lib. de S. Basilius, Dogmata (inquit) quae in Ecclesia praedican-
 Spū cap. 27 tur quaedam habemus à doctrina scripto prodita, quae
 & 28. dam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio,
 id est, in occulto tradita receperimus, quorum utra-
 que parem vim habent. Nec his quisquam con-
 tradicit, quisquis sanè vel tenuiter expertus est quae
 sint iura Ecclesiastica. Nam si consuetudines quae scri-
 pto prodita non sunt tanquam haud multum habentes
 momenti conemur reuicere, imprudentes & ea dam-
 nabimus quae in euangelio necessaria ad salutem ha-
 bentur, imo potius ipsam fidei praedicationem ad nu-
 dum nomen contrahemus. Quod genus est, ut quod
 primum est & vulgatissimū primo loco comemorem,
 ut signo crucis eos qui spem collocarunt in Christum
 signemus, quis scripto docuit? Et ad orientem versi
 precemur, quae nos docuit scriptura? Inuocationis
 verba cum ostenditur panis Eucharistiae, & pocu-
 lum benedictionis, quis sanctorum scripto nobis reli-
 quit? Nec enim his contenti sumus, quae commemorat
 apostolus, aut euangelium: verum alia quoque & ante
 & post dicimus, tanquam multum habentia momē-
 ti ad mysterium, quae ex traditione citra scriptum ac-
 cepimus. Consecramus autem aquam baptismatis, &
 oleum unctionis, praeterea ipsum qui baptismum acci-
 pit. Ex quibus scriptus? Nonne à tacita secretaque tra-
 ditione? Ipsam porro olei unctionem quis sermo
 proditus docuit? tam ter immergi hominem unde est
 traditū? Reliqua etiam quae fiunt in baptismo, velisti
 renunciare Sathanae, & angelis eius, ex qua scriptu-
 ra habemus? Nonne ex doctrina quam patres nostri
 in silentio quod curiosos & otiosos submouet serua-
 runt?

runt. Pulchrè quidem illi, nimirum docti arcanorum
 venerationè silentio conseruari. Nam quae nec intueri
 fas est non initiatis, qui conueniebat horum doctrinam
 publicè circumferri scripto? Quod cum variis in-
 struimenti veteris exemplis Basilius compro-
 basset tandem ita concludit. Ad eundem pro-
 fecto modum & qui in primordiis Ecclesiae certos
 ritus praescripserunt apostoli & patres in occulto: si-
 lentioque mysteriis suam seruaere dignitatem. Ne-
 que enim omnino mysterium est quod ad populares ac
 vulgares aures effertur. Haec est ratio cur quaedam
 citra scripta tradita sunt, ne dogmatum cognitio
 propter assuetudinem vulgo veniret in contemptum.
 Eadem est & Augustini sententia. Quod autem
 admonet (inquit de Cypriano verba faciens)
 ut ad fontem recurramus, id est ad apostolicam tra-
 ditionem, & inde canalem in nostra tempora diri-
 gamus optimum est, & sine dubitatione faciendum.
 Et rursum cum de baptismo minimè repe-
 tendo loqueretur. Quam (inquit) consuetudi-
 nem credo ab apostolica traditione venientem sicut
 multa non inueniuntur in literis eorum, neque in
 conciliis posteriorum, & tamè quia custodiuntur per
 vniuersam Ecclesiam non nisi ab apostolis tradita
 & commendata creduntur. Et cum de celebri illa
 paruulos baptizandi consuetudine differeret.
 Consuetudo (inquit) matris Ecclesiae in baptizandis
 paruulis nequaquam spernenda est, neque vilo modo
 superflua deputanda, nec omnino credenda nisi aposto-
 lica esse traditio. Denique ad Ianuarium scribens:
 Illa quae non scripta, sed tradita custodimus, quae quidè

lib. 5. cōtra
don. ca. 26.lib. 2. de
bapt. cōt.
don.lib. 10. de
gen. ad lit.
cap. 23.

Epist. 118.



Epist. 115. *“ toto terrarum orbe obseruantur , datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in Ecclesiis saluberrima auctoritas, cōmendata atque statuta retineri: sicut quod Domini passio & resurrectio, ascensio in cælum, & aduentus de cælo Spiritus sancti, anniuersaria sollemnitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrerit, quod seruetur ab vniuersa quacūque se diffundit Ecclesia. Et de baptismo contra Donatistas quod vniuersa tenet Ecclesia, nec concilium institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur. Et epistola ad Casulanum. In his rebus de quibus nihil certi statuit scriptura diuina: mos populi Dei vel instituta maiorum pro lege tenenda sunt. Denique, ne pluribus patrum testimoniis recensendis longior sim, eandem esse de traditionibus non scriptis aliorum quoque sententiam facile intelligit quisquis vel mediocriter in illorū scriptis versatus est. Ad apocryphos verò libros quod attinet, non eos nos nisi vt apocryphos recipimus. Sed huius sanè rei iudicium nō penes Lutherum aliquem aut Caluinum, sed penes vniuersam ecclesiam esse debere affirmamus. Nam quod apocryphorum nos librorum testimoniis dogmata nostra cōfirmare criminari, aperta sanè calumnia est. Nisi enim hi libri, quorum canonicam auctoritatem aduersus venenatas vestras linguas propugnauimus atque defendimus, inter canonicos numerentur, eodem certè quo illos argumento reiciatis, reliquos omnes reiciatis*

lib. 4. c. 24.

epist. 36.

oportet: cum eadem Ecclesiæ Catholicæ auctoritate omnes commendentur. Quid te igitur tam insolenter iactitas? Quid tibi ipse laqueos necis? Si vel librum vllum (inquis) vel libri particulam quam diuina auctoritate conscriptam, & munitam esse constat, à nobis damnatam aut repudiatam euiceris, non repugno quo minus causa omni cecidisse videamur. Conditionem accipio whitakere, & te iam causa cecidisse affirmo. Non enim librorū modò particulas, sed libros integros Maccabæorū, Iudith, Tobia, Hester, aliosque, iisdem te argumentis repudiare euicimus quibus olim Catholici Martionitas, cum vetus testamentum, & Manicheos, cum etiam Apostolorum acta, & Ebionitas cum Pauli epistolas repudiarent, euicerunt vna enim est Ecclesiæ vox, vnus Spiritus, vna auctoritas, quæ certè non minorem apud omnes verè Catholicos vim ad vos hodiè condēnandos habere debet, quam ad illos olim habuit. Et quia tantam præ te fers animi fiduciam, vt vel ad vnam scripturæ particulam pro-uocare non dubites, ecce tibi non vnam, sed plures librorum canonicorū particulas, quas cum veteribus hēreticis repudiatis. Omnis spiritus (inquit beatus Iohannes) qui soluit iussum ex deo non est. Quæ verba, vt Socrates restatur, Nestoriani olim Hæretici sacrilegō stylo expunxere. An non vos eodem sacrilegij crimine inquinastis? vbi enim apud vos ista leguntur Maior sanè particula est, vel potius

Socr. lib. 7
cap. 32 &
hist. trip. li.
cap. 4.

- Ioan. 8. euangelij Ioannis pars, quæ mulieris adulteræ historiam complectitur, quam ab inimicis fidei sceleris impunitatem vxoribus suis dare metuentibus de codicibus suis sublatam fuisse Augustinus testatur. An non idem tuus Beza præstitit. *Ad me quidem quod attinet, (inquit, non dissimulo mihi meritò suspectum esse quod veteres illi reiecerunt.* Vbi mira impudètia Eusebiū, Chrysostomum, Theophylactū, hanc historiam ait reiecitisse: quorum id nemini vel in mentem unquam venit. Addit deinde censuræ suæ argumenta sanè grauiissima. *Quod narrat (inquit) Iesum solum fuisse relictum cum muliere in templo, nescio quam sit probabile.* O intolerandam impurissimi nebulonis audaciam? mala profectò mens, malus animus: quasi tantundem esset periculi, si solus in templo Christus cum muliere relinqueretur, quantum si cum sua candida Beza: aut non eodem argumento pulcherrimam illam mulieris Samaritanæ cum Christo loquentis historiam reiicere posset. Pergit verò. *Iesum digito scripsisse in terra nouum mihi & insolens videtur, nec possum coniecere quomodo posset satis commodè explicari tanta denique lectionis varietas facit, vt de totius historiae fide dubitem.* Quidquid ergo in scripturis Bezæ nouum videtur, quidquid ille non satis commodè explicare potest, quidquid variè in codicibus legitur, Beza iudice meritò suspectum esse atque dubium debet. Id quod in causa fuisse suspicor cur illud Luce 22. τὸ
- August. de adult. coniung. lib. 2 cap. 7.
- Beza in c. 8. Ioan.
- Ioan. 4.

τὸ ἴμων ἐκ χυρόμηνον in contextum euangelij ex margine irrepisse contendat. Sunt & alia huiusmodi permulta ex quibus quam tibi infœliciter tanta tua iactatio cesserit vides: hæc obiter perstrinxi vt te intra modestiæ limites deinceps contineas, & quod præstare nolis, ne temerè pollicaris, simulque omnes intelligat, optimo nos iure vestras hæreses prolatis horum librorum testimoniis confutare, quoties de Angelorum patrocinio, de arbitrij libertate, de fidelibus demortuis, de diuorum cultu, & intercessione vobiscum confligimus. Quorum cum te auctoritate opprimi sentias, iniecta importuna de hierarchiis angelicis disputatione respirandi spatium quæris. *Hierarchias (inquis) vestras gradusque multiplices angelorum libenter ignoramus, atque hanc scientiam vobis omnem permittimus, quibus hæc mysteria Dionysius ille patefecit.* Equidem non modò sublimia hæc, & cultioribus ingeniis animisque purioribus digna mysteria, sed alia etiam vel mediocriter eruditus obuia ignorare vos, si antea nesciuissem, facile me tuus hic libellus docere potuisset. Neque magnopere miror si postea quam omnem è terris ordinem tollere summaque cum infimis miscere cœpistis, tandem impudentia in cælum ora tollatis, & pro sanctissima angelorum Hierarchia cōfusam quãdam in cœlo ἀναρχίαν, inducere conemini. Sed quis ad eò demens est, qui non Dionysio Pauli discipulo tam præclara, & scripturis sa-

Luth. de ca-
ptiuitate
Babyl.Colloff. 2.
Apocal. 19.
& 22.Epiphan.
Herf. 21.
Chrysoft.
Hom. 7. in
hunc locū
Theophil.
Theodor.Apoc. 19. &
20.

eris, sanctorumque patrum testimoniis con-
sentanea proferenti, quam Caluino tuo, vel
Bezæ fidem habere malit? vel Martini Lutheri
plenum dementis arrogantiae iudicium mul-
tum reformidet. *Atque mihi, inquit, ut magis
temerarius sum in totum displicet tatum tribui Dio-
nyfio illi, cum ferme nihil in eo sit solidae eruditionis.
Nam quæ in cælesti hierarchia de Angelis commini-
scitur, omnia sunt illius meditata, ac prope somniis si-
millima si liberè legas, & iudices. Mihi nõ fuerit ope-
rosum meliorem Hierarchiã scribere, quàm Dionysij sit;
Addis deinde, Scripturam angelorum cultum & in-
uocationem disertissime prohibere. Paulus enim (in-
quis ἑρησιέειν τῶν ἀγγέλων, dānat. Utinã verò
scripturas tu non tuo arbitrio sed Ecclesie Ca-
tholicæ iudicio interpretari didicisses, atque
ex Epiphania Chrysofto. Theophylacto, œcu-
menio Theodoro aliisque patribus, quem
hic Angelorum cultum Paulus prohibeat in-
tellexisses. Eum nimirum quem in orbem pa-
rens ille vester Symon Magus iuuevit, qui sa-
crificia Angelis offerenda, illosque mediatores
esse nostros docuit, quod mediatoris munus
maiestati Christi non satis conuenire existima-
ret, qui legem (Inquit Theodoret.) defende-
bant eos ad Angelos colendos inducebant di-
centes legem per eos datam. Mansit autem
hoc vitium in Phrygia Pisidia hanc verò An-
gelorum ἑρησιέειν vt Paulus damnat, ita nul-
lus vnquam catholicus approbavit. Addis de-
inde. Ioannem Angelus semel atque iterum ab hoc*

*sultus genere reuocauit. Quid? tu Ioannem illum
quem diligebat dominus, quique supra pectus
domini in cœna recubuit, adeo rudem fuisse,
diuinique cultus ignarum existimas, vt ni pro-
hibuisset angelus, grauissimū Idolatriæ cri-
men fuerit admittitur? nihil tu de tanto theo-
logo θεολογικώτερον, nihil de aquila illa su-
blimius, & Apostolico pectore dignius con-
cipere vales? longissime profecto ab omni
Idolatriæ crimine Apostolus abfuit, sed eo-
rum personam facto illo suo tunc induit, qui
Angelos tanquam deos adorandos & oblati-
sacrificiis colendos existimabant, quod sibi cũ
vetitum ait, propheterico more solum Deum
summo hoc honore colendum docuit. *illum
verò (inquis) Tobia Raphaelem minime moramur,
nec illos septem angelos, agnoscimus quorum ille me-
minit. hoc totum à scripturis alienum est quod ab illo-
Raphaelè commemoratur, ac superstitionis nescio quam
redolet. Si nescis (vt sanè nescis) quid reprehen-
dis? Quis enim aliquando veterum illorū pa-
trum vllam hic vnquam superstitionem latere
subolsfecit? nã tu canis es valde sagax, qui quod
patres omnes tot seculis lauit tam sagaciter
primus es odoratus. Tobiaæ certe librum tan-
quam scripturam sacram, & ab omni prorsus
superstitionis suspitione alienam illi citarunt,
quorum nos grauissimã auctoritatem leuitati
tuæ iure anteponendam censemus. Atque vt
Augustinum, Chrysoftomum, Innocentium
omittam, Cyprianus certè prolato ex Tobiaæ**

Cypri. ep.
52. lib de
mort. lib de
bono. par.
li. de oper.
& elemeu.

Irenæus l. i.
cap. 24.
Hil. in
psal. 122.
Ambro. lib.
de Tobia &
lib. 6. hexâ.
cap. 4. & lib.
de Helia &
iciun. cap.
10. Chriſto.
Hom. 13.
ad popu.
Antioch.
aug. lib. 2.
de doctrin.
Chriſt. In-
nocēt. epist.
ad exuper.
cap. vi. Hie-
ron præfat.
Com. in Io-
nam. Iſido.
lib. 6. ætym.
cap. 1. coſſ.
3. Carth.
flor. & Trid.

libro testimonio rem grauiſſimam confirma-
uit matrimonia cum infidelibus non eſſe con-
trahenda Irenæus inter prophetas contumelia
à gnoſticiſ hæreticis, patribus in hac re veſtris,
affectos Tobiam numerat. Hilarius ex cap. 12.
Tobia Angelorum interceſſionem probauit,
nec vllam hic (vt tu) ſuperſtitionem odora-
tus eſt. Ambroſius librum de Tobia integrum
ſcripſit, & Iſidorus de hoc aliisſque ſimilibus
libris dixit, licet eos hebræi in ſuum canonem
non recipiant, tamen Eccleſia Chriſtiana inter
diuinos honorat & prædicat libros. Hierony-
mi nimirum iudicium ſequutus qui hunc li-
brum licet in canone non habeatur (Iudæo-
rum canonem intelligit) tamen uſurpari ab ec-
cleſiaſticiſ vitis teſtatur. Et quis, quæſo, tot tã-
toſque veteris Eccleſiæ patres Caluino cuidã
ac Bezẽ non anteponat? quorum tu de Tobia
libro cenſuram dum probas, Anglicanas certẽ
Synagogas veſtras impia ſuperſtitionis dan-
nas, quæ in ipſo cultu diuino hunc librũ tam
ſuperſtitioſum non raro legunt. Niſi hæc res
fortẽ in cauſa ſit cur noua illa ſecta totum il-
lum quem obſeruatis diuini cultus ordinem
probare ſe poſſe negat. Sed tuam iam de li-
bro eccleſiaſtici cenſuram expendamus. *De loca*
(inquis) *Eccleſiaſtici parum laboro, nec arbitrij liber-
tatem credam, quamuis hic centies affirmet.* Equio-
rem te ſanẽ Eccleſiaſtici cenſorem expectabã.
Sed tam altas in animo tuo radices fatum il-
lud Stoicorum egiſſe video, nihil vt ſcripturã

ſacræ honore digneris, quod arbitrij libertatẽ
tam apertẽ probare videatur. Patere tamẽ pro
ſingulari tua modestia, vt à tribunali tuo ad
alios iudices appellemus: Cyprianum (inquã)
Clementẽ Alexandrinum, Innocentium primũ,
Gregor. Nazian. Baſilium, Ambroſium, Chry-
ſoſtomum. Epiphanium aliõſque huiuſmodi,
vt de concilio Carthaginenſi tertio, Florenti-
no nil dicã. Nam ſi te Iudice, Luthero licuit à
Papa ad Concilium pro ſuo arbitrio appella-
re, cur mihi quæſo à Luthero neque pontifice
neque Papa, ad tot partes totque Concilia
appellare non liceat? Cenſuræ vero tuę ratio-
nem ſane grauem addis, *hominis libertatem pec-
cato amiſſam docet ſcriptura, docent ſancti patres,
docet ipſa cuiuſque experientia.* Præclare: ſed totidẽ
ego tibi verbis reſpondeo. Neque ſcriptura
docet, neque ſancti patres, neque ulla denique
cuiuſquam experientia. Illud vero quam ridi-
culum! *Verba illa, ante hominem vita & mors bo-
num & malum, quod placuerit ei dabitur illi de ge-
nere humano intelligi poſſunt, cuiuſmodi in Adamo
fuerat aliquando.* Quid tum poſtea? Quasi ſi de
primo illo generis humani ſtatu intelligi poſ-
ſint, de alio etiam intelligi nequeant. Niſi e-
nim te cæcus ille fati ſtoici amor impediret, fa-
cilẽ profectò ſacrum hunc authorem cerneres
primi hominis cõditionem pro argumento at-
tuliſſe, vt in nobis liberũ arbitrium confirma-
ret. *Deus (inquit) ab initio conſtituit hominem &
reliquit illum in ſtatũ conſilij ſei adiecit mãdata &*

Cypr. epist.
65. & de o-
per. & ele-
men. cap. 9.
& lib. 3. te-
ſtim. cap. 1.
& clem. li. 7
ſtrom. Inuo-
cent. cap.
vlt. epist. ad
exuper. na-
zian. orat. 8
Amb. in ca.
7. 1. Cor.
Chryſoſt.
hom. 6. in
gen. epiph.
her. 76. aug.
17. de ciui-
tat. c. 8.
Eccleſ. 15.

Epist. 56. &
58. & lib. 3.
ad Quirinū
& epist. 55.
Tertullian²
contra Iu-
dæ. Ambro.
lib. 3. off.
Chrystosto-
mus homil.
3. de verbis
Isaia. Inno-
centius. i.
ad Exuper.
Augustinus
18. de ciuita-
te cap. 6.
Tertull. in
Iudæos Cy-
pria. epist.
55. 56. 58.
lib. 3. ad qui-
rinum. Am-
bro. 3. offic.
Chrystost.
hom. 3. de
verbis Isa.
Inno. ep. ad
exup.

præcepta sua. Deinde vt nos ad mandatorum Dei obseruationem incitaret non Adamum sed nos alloquitur: *Si volueris*, inquit, *mandata seruare seruabunt te. et apposuit tibi aquã & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominẽ vita & mors, bonũ & malũ, quod placuerit ei dabitur illi.* Iam de Machabæorũ libris quid sentias audiamus. *Machabæorum* (inquis) *librum minus curo*. Quid tu verò cures id nobis curæ non est, Nam quod addis quem Hieronymus Epiphanius, Athanasius, Cyprianus explorauerunt id cæteris tuis fallaciis, (ne dicam mendaciis) annumerari debet: quamuis n. non ab omnibus statim Ecclesiis hi libri pro canonicis recepti fuerint, à nulla tamen vnquam Ecclesia repudiati, sed in magno semper honore habiti fuere. Atque vt Tertullianũ, Cyprianum, Ambrosium, Chrystostomum, Innocentiũ primum aliõsque omittam vnus nobis Augustinus, quẽ fidelissimum antiquitatis testem Caluinus (licet inuitus) fatetur, horum librorum auctoritatem in Ecclesia sacram fuisse satis testatur. *Machabæorum*, inquit, *libros non quidem Iudæi, sed Ecclesia pro canonicis habet.* vel ergo Ecclesiam Augustinus ignorauit, vel Lutheri Caluinique conuenticula à quibus hi libri repudiantur, ad Ecclesiam omnino non pertinent. Nemini verò mirum videri debet hos libros quamuis canonicos, à Iudæis tamen in canonem non fuisse receptos apud quos illud in more positum fuisse testatur Iosephus, nullus vt scripturaturũ

sacrarum canoni liber ascriberetur quem non Propheta aliquis diuino spiritu afflatus probasset. Quo verò tempore libri illi conscripti sunt multisque etiam antea annis, Prophetam Iudæi habuere nullum. Christiani vero atque Catholici non à veteris synagogæ, sed ab Ecclesiæ catholice iudicio pendeant oportet, que certè multis ante Lutherum aut Caluinum seculis hunc librũ, vel Augustino teste, comprobauit. Sed (vt video) valdè te hic constrictum atque irretitum sentis. A deo in omnem te partem iactas, neque exitum tamen vllum reperire potes. *Neque*, inquit, *apud Iosephum Græce tale aliquid reperitur, neque in Iosepho Bengoreo Hebraice, qui tamen eadem historiam conscripsit, fit vlla vllius sacrificij mentio. & δὲν τοῦ εἶπτος.* Quasi hæc quæ tibi adeo molesta sunt, atque inuisa, apud Iosephum, aut Bẽgoreon inueniri ille dixerit, aut apud eos nisi fuerint, auctoritatem omnem fidemque amittere debeant. Non sunt, mihi crede, tam hebetes Academici vt non facillè intelligant desperatam te causam tueri, qui tam leuibus nugis lectoris animũ diuertere niteris. Aliam deinde coniecturam addis. *Neque Iudæis*, inquit, *præceptum aut positum in more fuit vt sacrificia præcesque pro mortuis facerent.* Quousque tandem rudibus imperitisque hominibus imponere non desinis? Quis enim vel mediocriter eruditus nesciat religiosum hunc pro mortuis orandi morem & fuisse olim atque etiamnum esse Iudæis celeberrimum. Nisi fortè tu

ignores etiam hodie extare machzor librum apud Iudæos in quo preces quibus illi suos prosequi defunctos solent prolixè describuntur: ex quibus mihi vnam hoc loco exèpli gratia depromisſe fat erit. *Spiritus domini quiescere faciat eum in horto eden & societur ei pax quæadmodum scribitur in Esaiâ.* Et rursum. *Requies firma in superna habitatione sub alis numinis, indulgentia & miseratio à conspectu inhabitantis caeleſte domiciliū, pars denique bona in vita venturi sæculi, ac habitatio celebris huic animæ sit.* Quid quod fagius & Munsterus tuus licet hæretici ex libris iudiciorum preces recitant quæ à Iudæis in vteri testamento pro defunctis fieri solebant. *Requiescat anima eius, & sedes eius sit in pace, requiescat & veniat in pacem, donec adfit consolator annuncians pacem.* Quod officium solis sui interfectoꝝ fuisse denegatū ostendit Iosephus de bello Iudaico. Quancūq̃ Munsterus sui postea immemor, aut potius religionis odio excæcatus hunc orandi pro defunctis morem Hebræis nunquam in consuetudine fuisse impudentissime affirmat, cuius tu errore deceptus, tam audacter mentitus es. Tandem vero argumentis omnibus destitutus ita concludis. *Postremo ea est verborum in Græco exemplari perturbatio vt integram veramque sententiam vix elicias.* Quam hoc languide, quam timidè asseris? Bene habet tamen. Nam quod vix sit, vt vetus illa iuris regula docet, fit, Quod vero Cápiano meliorem de ipsius eruditione

In cap. 14.
Deuteron.

Bægorion.
In caput
19. lib. 3. Iosephi
Hebraici se
translati.

2. Machab.
12

opinionem polliceris tuam, si locum illum de oratione pro defunctis tibi commodè reddat, vt aptè singula conueniant, quid aliud quam tuam ipse ignorantiam academicis prodis? En tibi quæ per authorem illum Spiritus Sanctus conscripsit *ποιησάμενος τε καὶ κατασκευάσματα καὶ ἀνδρολογία, εἰς ἀργυρεῖς δραχμὰς διαχλίας ἀπέστειλεν, εἰς ἱεροσόλυμα πρὸς σαργαῖν πρὸς ἀμαρτίας θυσίαν, πάνυ καλῶς καὶ ἀσείως περὶ πίων ὑπὲρ ἀναστάσεως Δαδλιζομνος. εἰ μὴ γὰρ τὸς πρὸς πεπρωκότας ἀναστῆναι πρὸς εὐχὰς καὶ πρὸς εὐσεβίαν καὶ ἀγαθὰς ἐργασίας, καὶ ὑπὲρ νεκρῶν εὐχεσθαι εἴτ' ἐμβλέπων τοῖς μετ' εὐσεβείας κοίμωνόμοις καὶ ἀλλοτρίων ἀποκείμενον καὶ εὐσεβήσῃ καὶ εὐσεβείᾳ ἢ ἑπίνοια, ὅθεν πρὸς τῶν τεθνηκότων τὸν ἐξίλασμον ἐποιήσατο. τῆς ἀμαρτίας ἀπολυθῆναι.* id est, faciēsq̃ preparationes secundū viroꝝ collectionē ad argenti drachmas bis mille misit in Hierosolymam ad offerendum pro peccato sacrificium, valde bene & virbane faciēsq̃, de resurrectione cogitans, nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos sperasset superfluum & vanum pro mortuis orare. Deinde considerās his qui cum pietate obdormierāt optimam repositam gratiā. Sancta & pia consideratio: vnde pro mortuis propiciationem fecit, vt à peccato soluerētur. Quid hic non planum? quid non apertum illi qui Græcas literas vel à limine salutarit? Quāobrem opinionem illam quam de tua in græcis literis eruditione nonnulli fortè academici

hactenus habuerunt; valde mihi hoc loco minuisse videris qui in re tam plana ac facili tam pueriliter hæferis. Sed iam alio te vertis. *An hic locus*, inquis, *diuorum intercessionem confirmat?* Quis hoc (whitakere) præter te dixit vnquam? Aliud enim longè est pro uita functis sacrificium offerre vt à peccatis soluantur, aliud sanctos iam in cælo regnantes; vt pro nobis apud Deum intercedā t; orare. Vbi quæso hunc locū ad diuorum intercessionē confirmādā Campianus protulit? Sed tu, vt video, tam sceleriter in academia versatus est vt quod tibi est familiare ex quo liber quiduis colligere, idem aliis omnibus frequens esse existimes. Illud verò Iudæ de Onia somnium quanquam Campianus non protulit, tu tamen, vt te (credo) aliquantulum oblectes ridere non dubitas. *Nam illud (ais) Iudæ de Onia somnium vt somnium prætermitto.* Adeo nimirum te cōceptum diuorum odium transuersum egit vt neque multa in diuinis literis per somnium reuelata videas, quæ quiuis alius tui similis hæreticus, eodem referre argumento, parique impietate posset: neque hoc somnium fide dignum scriptura illa referente vocari; quam tot tantique; vt supra dixi patres pro canonica habuerūt: neque denique erectos diuinitus huius somnij narratione Iudæorū animos; qui sanè si idem quod vos de diuorum intercessionē sensissent, ridendum potius; quam probandum somnium vobiscū putassent. Ipsos eum ego vos iudices ap-

pello, an non delirare hominem putaretis: qui huiusmodi somnio quidquam vobis persuadere vellet. Vobis ergo diuorum irrisoribus vanum videatur hoc somniū: Iudæis sanè olim fidelibus, quibus ad eō sanctorum inuocatio familiaris erat vt Christum Heliam inuocasse putarent cum diceret heli, heli, lammafaba et tani: & sanctis ecclesiæ patribus, qui diuorum semper intercessionem probarunt; fidei ac religionis plenissimum visum est. Iam quod *eandem tibi cum Hieronymo communem esse causam* dicis, qua fide dignum sit satis vt arbitror quæ supra diximus ostendunt, *Hieronymus*, inquis, *hos libros Baruch, Tobit, Iudith, sapientiā, Ecclesiasticū, & duos Macha. mille annis ante Caluinū natum præcidit.* Oblitum te credo veteris illius pro uerbij mendacem memorem esse oportere. Quos enim libros paulò antè Hieronymi ætate in canone non fuisse dixeras, nunc ab Hieronymo à canone præcisos appellas: quasi quod in canone non est à canone præcidere quisquam possit. Nam post Hieronymi tēpora hos libros ab ecclesia receptos, & eodem cum cæteris canonicis in honore habitos fuisse supra docuimus. Quos non olim Hieronymus, sed vos nunc præcidistis. *Baruchum, ais, apud Hebræos nec legi, nec haberi testatur Hieronymus.* Quid tum postea? an propterea non erit canonicus? nondum (credo) didicisti prophetiam Baruch, tanquam partem Hieremiæ quandam à veteribus scriptoribus fuisse habitā. Quod te Au-

Baruch. 3.
Lib. 18. de
Ciuit. ca. 33.
Chriſt. hom.
de Triu. &
hom. cuius
initium eſt
profundam
Clemēt. 1.1.
pædagogī
ca. 10. Baſil.
lib. 4. contr.
Ennomi.
Ambr. 1.1. de
pœnit. cap.
8. & libr. 3.
Hexam. c. 4.
Fulg. 1.1. ad
Thraſym.
Cypr. lib. 2.
contra Iud.
Euseb. de
prep. Euāg.

gustinus docere potuit, qui illa huius Prophe-
tæ verba cum citasset, *Deus meus, & non estima-*
bitur alter ad eum: post hæc in terris uisus est, & cum
hominibus conuersatus est: mox addidit, Quidam
non Hieremiæ sed Baruch scribæ eius tribuunt. Omit-
to iam Chrysostomū, Ambros. Basil. Clemen-
tem Alexandrinum, Eusebium, Fulgentium,
Cyprianum, aliōsque complures qui non mi-
nore m huic libro quam Hieremiæ scriptis au-
toritatem tribuendam senserunt. Idque eo
fortasse lubētius quod plurima in eo de Chri-
sti aduentu uaticinia, eaque admodum illustra
legerunt. Magnum uero contra nos argumen-
tum inuenisse te putas, cū rationem petis, cur
duos Esdræ posteriores libros in canone mini-
mè numeremus. Cui uerbo unico facilè respō-
deo quia nūquā hos libros ut canonicos eccle-
sia catholica recepit, à cuius nos pēdemus iudi-
cio & autoritate, quam magistrā sequimur,
cuius uocē Caluini, Bezæq; decretis anteponi-
mus. Hesteræ tamen librū uos inter canonicos
numerare gaudeo: illud miror quod mox addis
quantum hebraicè diuina autoritate conscriptū est.
Perinde ac si canonicæ scripturæ, diuinæq; au-
thoritatis regula haberi Hebraica lingua de-
beat. An non hoc est hesteræ librum mutilum
relinquere? Quod quia Campianus admonuit
calumniæ illum arguis, calumniatorum ipse
facilè princeps. Illud etiam eiusdem est impie-
tatis, quod Danielis illa capita scripturæ sacra
honore non dignaris. Vel enim turpiter igno-
rari

ras, uel malitiosè dissimulas quid Origenes
olim Iulio Africano de huius historiæ fide du-
bitanti responderit, post multa enim in huius
historiæ laudem scripta sic tandem concludit;
hæc quidem respondi cum non liceret præci-
puè post reprehensionem dicere encomium
scripturæ de Susanna insistēdo unicuiq; uerbo
& ostēdendo eximios sensus. Tu uero ad Hie-
ronymum nos remittis. *Legē, inquis, quæ*
habet Hieronymus in præfatione in Daniēlem, Ego,
ut par pari referam, legere te iubeo quæ de hæc
re olim idem Hieronymus Rufino eadem ipsi
quam tu nunc calumniam inferenti respondit,
Quod autē referō, inquit, quid aduersum Su-
sannæ historiā, & hymnū trium puerōrum,
& Belis, & Draconis fabulam, quæ in uo-
lumine Hebræorum non habetur hebræi so-
leant dicere; qui me criminatur, stultum se sy-
cophantam probat. Non enim quid ipse sen-
tirem, sed quid illi contra nos dicere soleat ex-
plicauit, quorū opiniononi si non respōdi in pro-
logo breuitati studens, ne non præfationem,
sed librum uidear scribere, puto quod statim
subiecerim: dixi enim, de quo non est huius
tēporis differere: alioquin & ex eo quod asser-
ui Porphyrium contra hunc prophetam mul-
ta dixisse, uocauique huius rei testes, Metho-
dium, Eusebium, Apollinarium, qui multis uer-
sum millibus illius, uesaniæ responderunt me
accusare poterit quod non in præfatiuncula
contra libros Porphyrij scripserim hæc hiero-

Origen. in
epist. ad
African.

Lib. 2. Apō-
log.

Tertul. de
 coro. Cypr.
 epist. 68. &
 de oper. &
 eleem. aug.
 tract. 36 in
 Ioã. Chryf.
 hom. de su-
 fanna.
 lib. 10. c. 12.

nymus: Non ego hic te Sycophãtam vocabo: tu num id tibi nòminis maiore etiam, quam Ruffino iure conueniat, ipse videris. Quãtum enim his Danielis capitibus Hieronymus tribuat satis ex eo apparet, quod tam graui- ter & acerbè tulerit illud sibi à Ruffino tribui quod vos ei laudi ducitis. Neque verò solus hæc capita Hieronymus probauit, sed & Origenes, Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, Chry- stostomus, cæterique veteris Ecclesiæ Patres. Quid quod neque hæc, aliãque huiusmodi Iosephus quãuis Iudæus vt indigna fide præ- termiserit, sed quod in hebræorũ libris nõ essent, quos ille solos sibi sumpserat transferendos? Nemo autem, inquit, debet mihi vitio vertere quod hæc ita vt in antiquis libris inuenio, scri- ptis meis in sero. Talibus enim criminato- ribus dudum occurri in initiis huius historiæ, palam profitens me tantũ hebræicorum voluminum in Græcam linguam interpretem, & quæ illic continentur, bona fide relaturum me promisi, nec addèrem quicquam de meo, nec auferen- tem etiam. Tandem veluti re iam desperata præ- sidij omnibus destitutus in hæc verba pro- rumpis. *Sed quid nũgaris Campiane? nunquid vos horum librorum auctoritate nisi magnopere soletis? Num in his fidei vestræ præsidia sunt collocata?* Non id agitur whitakere: neque ignoramus ad ves- tras hæreses refellèdas satis multa nobis scri- pturæ testimonia suppetere, etiam si hi libri ne- extitissent quidem aliquãdo. Sed hoc ipso vos

hæreticos esse asserimus, quod tot sanctissimo- rum ecclesiæ patrum grauisima de his libris iudicia, tot conciliorum sententias, ipsius de- nique ecclesiæ Catholicæ auctoritatem impiè contemnatis. Angit te verò vehementer (vt arbitror) quod Augustini sententiã Campia- nus sequatur, ideoque omnes ingenij neruos contendis vt eam si qua possis ratione eleues. Tandem eo res tota reuoluitur, vt respondeas *canonicos ab Augustino libros vocari, qui mendacijs fabulisque pleni non sunt.* O præclarum Augusti- ni interpretem! nesciebat sanè adeò tibi Au- gustinum familiarem fuisse, tẽque in intimo illius sensus tam fœliciter penetrasse: hoc vni acumini tuo defuit quod nullo illius testi- monio tam subtilem tuam interpretationem probaris. Nam vbi quæso apud illum legisti li- bros vocari canonicos qui mendacijs fabulis- que pleni non sunt? Cum enim libri canonici nomen apud scriptores omnes pro sacro atque diuino sumatur, certè Augustino illi tantũ Ca- nonici sunt, à quibus non mendacium modò, sed & omnis mendacij vel leuissima suspicio lógissimè abest, ac vt vno verbo dicam eodem planè sensu Campianus ab Augustino libros vocari canonicos scripsit quo nos appellare canonicos solemus. Solis, inquit, iis scripturaturũ libris qui iam canonici appellantur didici hũc timorem honorẽque deferre, vt nullum eor- um authorem scribendo aliquid errasse fir- missime credam. Ac si aliquid in iis offenderet

„ libris quod videatur contrarium veritati, nihil
 „ aliud quam mendacem esse codicem, vel in-
 „ terpretem non assequutum esse quod dictum
 Lib. II. cōtr. Faust. ca. 5. est, vel me minimè intellexisse non ambigam.
 Et rursum: Excellentia, inquit, canonicæ au-
 „ thoritatis librorum veteris ac noui testamen-
 „ ti in sede quadam sublimiter constituta est, cui
 „ seruiat omnis fidelis & pius intellectus. Sed
 quid ego de Augustino loquor? cum eadem sit
 omnium patrum qui de scripturarum canone
 loquuntur sententia. Tu igitur tantum illis li-
 bris tribue, quos Augustinus canonicos appel-
 lauit, & conuenimus. Sed tantum abest vt hoc
 facias, vt eos licet Augustino iudice canonicos,
 tantum non fabularum & mēdacij plenos vo-
 ces. Quod verò ex Caierano affers canonicos
 hos libros à quibusdam concilijs atque Augu-
 stino dictos esse quia morum ex his, non do-
 ctrinæ regula peti potuit, nimis profecto ieiun-
 um est. Dixi enim supra quanti apud Catho-
 licos sit illius de scripturarum canone senten-
 tia, & tu minimè ignoras ex nostris aliquot
 illius errores satis refutasse: Legisti enim (cre-
 do) quæ illi Melchior Canus eiusdem instituti
 Theologus iam pridem respondit, Vano ni-
 mirum distinctionis commento argumentum
 „ firmissimū elusisse: Et vt leuiorem plagam re-
 „ pelleret, grauiorem accepisse. Nam si hanc se-
 „ mel distinctionē admittimus, auctoritate con-
 „ ciliarum atque Pontificum nullus liber sacer
 „ cōstare poterit. Nam pari causatione si id qui-

In fine Cō.
in hist. vet.
test.

Lib. 2. de lo-
cis Theol.
cap. II.

dem licitum esset, hæretici dicerent vnū quem-
 „ liber de cæteris non esse canonicum ad firmā-
 „ dam fidē, sed ad instruendos mores. Id quoniā
 „ omnino absurdū est, retineamus potius eā ra-
 „ tionem oportet quam Caieranus voluit euer-
 „ tere, vir, sæpè iam dixi, in primis eruditus &
 „ pius, sed qui in libris sacris constituendis Eras-
 „ mi nouitates ingeniumq; sequutus, dum alie-
 „ nis vestigijs voluit insistere propriam gloriam
 „ maculauit. Hæc ille: Iam si (quod tu ipse fate-
 „ ris) in scripturarum canone recensendo cum
 Augustino hieronymus re ipsa consentit, vide
 obsecro quam tu ab utroque vehementer dis-
 sentias. Campiano sanè nihil aliud quàm Au-
 gustino visum est: in quem tu rursum incurris.
*Quod tantoperè (ais) contendit Augustinus extrudi
 extra canonē nullo modò oportere lib. Sap. id ipse vide-
 rit August. Hunc librum Hieronymus nominatim ex-
 truxit.* Hic ego Academicos appello omnes, at-
 que vt singularem tuam in fidei doctrina con-
 stantiam intueantur obtestor. Meministi (cre-
 do) te paulò antè scripsisse Hieronymum ab
 Augustino re atque iudicio minimè dissentire:
 nunc Augustinum sapientiæ librum in cano-
 ne posuisse ais, hieronymum verò nominatim
 extrusisse: hæc ego qui cohæreant non satis vi-
 deo. Tu qui vt alter Gorgias nihil ignorare vi-
 deri vis, Academicis si potes explica: *Sed (ais)
 cum testimonium ex illo libro citasset Augustinus, ra-
 ptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, reclama-
 tum est à nonnullis fratribus qui aderant non fuisse*

Sap. 4.

de prædest. *de libro canonico adhibitum.* Quid verò responde-
 sanct. ep. 14 rit Augustinus tuo more tacuisti: Non, inquit,
 » debuit repudiari, sententia libri sapientiæ, qui
 » meruit in Ecclesia Christi, de gradu lectorum
 » Ecclesiæ Christi, tam longa annositate recita-
 » ri, & ab omnibus Christianis, ab Episcopis vs-
 » que ad extremos laicos, fideles, pœnitentes, ca-
 » techumenos cum veneratione diuinæ autho-
 » ritatis audiri. Qua ergo fronte nonnullorum
 tu fratrum qui aderant reclamatiõem, omnium
 Episcoporum, fidelium, laicorũ, pœnitentium,
 catechumenorum consensui, quem pro huius
 libri autoritate confirmanda, Augustinus ar-
 tulit, opponere audes? Ac ne veteres ego hic
 scriptores qui huius libri tãquam sacri memi-
 nerunt prolixè enumerem, tuus ipse Melito,
 quem ex Eusebio profers, hunc inter cæteros
 librum canonicum numeravit: Neque Hiero-
 nymus ipse (quantumuis id clamites) hunc li-
 brum ex canone Ecclesiastico extruxit, sed tan-
 tum in Hebræorum canone non esse asseruit.
 Illud vero quam insulsè? *Nec si omnes,* inquis,
suos Ecclesia calculos contulisset, præbere illi robur po-
tuisset, nisi suum antea propriumque robur diuinitus
habuisset. Quasi Catholicorum quisquam aliis
 quam diuinis libris Ecclesiæ calculum adhiberi
 dixerit: ac nõ potius qui libri diuini sint, qui
 verò minimè, ab Ecclesia declarari. Vt illa non
 diuinos libros faciat, sed tales à deo factos esse
 declaret. Ad Laodicenum tãdem cõcilium re-
 dis, quo nos vehementer oppugnare tibi vide-

Cyprian, de
 exhort. mar-
 tyrũ & li. 2.
 testim. c. 13.
 Tertul. de
 præscript.
 aduers. hæret.
 Hilar. in
 Psal. 128.
 Basil. l. 5. cõ-
 tra Eunom.
 Epiph. hæ-
 res. 76. Am-
 bro. in Psal.
 1. Hieron. in
 epist. ad Pau-
 linum.
 Euseb. li. 4.
 cap. 26.

ris, quod illos tantummodo libros pro cano-
 nicis agnouerit quos vestra iam Ecclesiæ am-
 plexa sunt. Cùm iam millies responsum sit, non
 omnes ea ætate libros in canonem fuisse rece-
 ptos qui postea totius ecclesiæ calculis sunt ap-
 probati. Ac si vos tantum mouet Laodicensis sy-
 nodus, cur non etiam Carthaginensis tertia
 mouebit, cui & diuus Augustinus interfuit, in
 qua idem qui apud nos extat canon retextus
 est? cur non Florentina, tot Græcis Latinisque
 patribus clara? cur denique non vltima Fridè-
 rina? Non alia profectò de causâ quam quia
 non ita Caluino vestro. Bezæque visum est.
 Quare ne Laodicenam quidem synodum nisi
 illorum maiestate victi probaretis. Nolim ve-
 rò hæc ita quisquam intelligat, vt concilia
 conciliis contraria fuisse existimet, sed quæ
 prioribus conciliis nondum certa, atque ex-
 plorata fuere, in posterioribus Spiritu sancto
 reuelante cõstituta sunt atque decreta: vt non
 omnes libri canonici eodem tempore ab vni-
 uersa simul Ecclesia recepti sint. Quod neque
 diuum August. latuit. Ad Hebræos epist. quan-
 quam nonnullis incerta sit, inquit, tamen apud
 orientales Ecclesias in canonicis habetur. lib. 1.
 de pec. mer. cap. 27. Et rursus alio loco, *Tene-*
bit igitur hunc modum (inquit) in scripturis ca-
nonicis, vt eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis
præponat iis quas quedam non accipiunt, in iis verò
quæ non accipiuntur ab omnibus præponat eas quas
plures grauiore (quæ accipiunt, iis quas pauciores mi-
 D iij

Canon. 59.

Cap. 47.

Eugen. ad
armen.

Sess. 4.

August. de
doc. Christ.
lib. 2. cap. 8.

horisq̄ue auctoritatis Ecclesia tenent, Si autem alia inuenierit à pluribus, alias à grauioribus haberi, quam hoc inueniri non possit, equalis tamen auctoritatis eas habendas puto. Si ergo Augustinum audias ignorare certè non potes libros omnes de quibus tecum atque cum tuis contendimus, in scripturarū canone esse reponēdos, cū multis ante Lutherū tuum, Caluinum, & Bezam seculis ab vniuersa Ecclesia recepti sint atque inter canonicos numerati. Disertum verò te virum ostendis cum de Romanæ curiæ moribus tam copiose declamas, quasi cum de petularis linguæ conuiciis agitur, non tibi quibus nostrum Christianæ modestiæ memor palmā lubens concedat, aut quæ ab impotentis animi ardore atque odio profecta esse omnes vidēt, iustam aliquam sedī Apostolicæ inuidiā apud bonos & prudentes viros conflare queāt. Neque tu hic à me expectes velim, vt de vestrorū moribus vicissim aliqua reponam. Nam & notiores orbi Christiano sunt quam vt vlla cuiusquam oratione egeāt, & mihi profectò tam terram sentinā mouere minimè lubet. Quòd autem vestram adeo clementiam laudas, & catholicis inauditam crudelitatem affingis, facis tu id quidem tuo more impudentissimè, sceleratorum hominum consuetudinem imitatus qui ne vera sua crimina ab innocentibus audiant, falsis illos criminibus priores onerant. Ac mihi quidem ad obiecti criminis depulsiōnē non opus est argumētis, cum illos tu testes

produxeris qui tacentibus etiam Catholicis vestrorum hominum, crudelitatem dicam, an immanitatem recentibus adhuc atrocissimorum scelerum vestigiis, demonstrare facile possunt: Galliam dico, Germaniam, Angliam, aliāque Christiani orbis regna in quibus præclaræ illius quam tu laudas clementiæ vestræ specimen edidisti: horret verò animus etiam cogitare tam immania innocentissimorum hominum supplicia quæ vobis passim pro ludo fuerunt: vt quod olim Augustinus de sæuissima circumcellionum feritate scripsit, qui Episcoporum ceruicibus mortuorum canum cadauera alligabant, & sacerdotum oculos calce acetòque extinguebant, quodque Hieronymus de barbarorum hominū crudelitate conquestus est, perexiguū videri possit si cum vestra sæuitia cōferatur. Capti (inquit) Episcopi, interfecti Presbyteri, subuersa Ecclesiæ, ad altaria Christi stabulant equi, martyrum effossæ reliquiæ, vbique luctus, vbique gemitus. Quot monasteria capta, quot fluuiorū aquæ humano sanguine muratæ sunt. Hæc (inquam) si cum vestris conferantur leuissima sunt: & tamen mites vobis clementesque videmini, quales nimirum Campianus ipse, vt alios penè innumeros taceam, vos nuper expertus est, toties crudelissimè tortus, & tandem interfectus immaniterque discerptus. Quia & testem vestræ in Anglia clementiæ præclaram hanc legem edidisti. Si quis dissuaserit alicui religionē illam,

Lib. 3. cōtra
litteras par-
men. cap. 6.

Ad He-
liodot.

23 quæ nunc publicè in Anglia tenetur, vel
 23 procurauerit vt diffuadeatur, ea intentione vt
 23 ille cui diffuadetur ad obedientiam Romani
 23 pontificis, & Romanæ fidei trahatur, reus erit
 23 etiam criminis læsæ maiestatis, & eadem pæna
 23 plectetur quæ illi crimini debetur. Quæ quidè
 23 pæna huiusmodi est: Primum vt condemnatus
 23 trahâq; ad locum supplicij pertractus in ma-
 23 iorem cruciatum stranguletur laqueo, deinde
 23 vt redeunt ad se amputentur virilia, & igni
 23 comburâtur. Tunc vt cultro aperiatûr venter,
 23 & erutis illius etiam cor & viscera spirâti adhuc
 23 & reluctanti, manu carnificis auellantur, & in
 23 ignem iuxta positum proiciantur: denique vt
 23 elixus, & in partes disseccatus ad varias ciuitatis
 23 portas suspendatur. Bona autem ipsius & pos-
 23 sessiones omnes ad fiscum transeant, nec eorû
 23 quicquam ad vxorem, liberos, aut consangu-
 23 neos, descêdat, sed vt ipsi præterea huius vnus
 23 ob causam æterna notentur ignominia, & om-
 23 nis posteritas mortui degradetur sanguine.
 Sed vt eò redeam vnde me tua abduxit im-
 portuna digressio: quærebat à vobis Campia-
 nus quo iure corpus Biblicum detruncetis ac
 diripiatis. Tu factû audacter negas, quod tamè
 luce clarius supra ostêdimus, *Non veras* (inquis)
scripturas excindimus, sed excernimus supposititias.
 At supposititias dicere, quæ tot sæculis ab vni-
 uersa Ecclesia veræ atque canonicæ sunt habi-
 tæ, num tibi aliud esse videtur quam veras scri-
 pturas excindere? Sed hoc ipsum tamen quo

iure faciatis quærit Campianus: Cui in hæc
 tu verba respondes. *Si quæras quo testimonio per-
 suasi simus sacras literas esse. quæ dicuntur, sacras lite-
 ras: quæram ego vicissim abs te, nec minori ratione,
 quemadmodum tu solem esse solem cognoscas, aut Deum
 esse Deum non dubites?* Et rursum. *Quamquam id
 tibi volo semel responsum, scripturæ authoritatem in
 Ecclesiæ iudicio minimè esse positam. Suam scripturæ
 fidem propriam habet atque insetam, non assumptam
 aliunde, nec scripturæ Ecclesiæ maiorem authoritatem
 quam ipsi Deo scripturarum auctori, tribuere potest.*
 An non hoc ipsum est quod Campianus ait, vt
 Ecclesiæ iudiciû fugiatis ad occultum spiritus
 nefcio cuius testimoniû vos semper recurrere?
 Quid enim nouo hoc entusiasmo opus esset,
 si discernendis scripturæ canonicæ libris certa
 apud vos, atque indubitata esset Ecclesiæ au-
 thoritas? Quid vero absurdius, quid stultius
 esse potest, quam id Ecclesiæ toti negare quod
 apud vos factores, futores, lanij, coqui, lixarij,
 calones, bubulci, opiliones cæteraque homi-
 nus fax, te etiam iudice, suo quisque iure sibi
 vendicant? Etenim vt tuo vtar exemplo non
 minus cuique vestrum scripturam esse scriptu-
 ram quam solem esse solem aut lunam esse lu-
 nam certum est, atque exploratum: de quibus
 fane rebus ne subulci quidem vestri quidquã
 ambigunt. Atque hic ego rursum academicos
 appello, velinq; ex eohominum genere quod
 ante recelui aliquem spectante Whitakero ac-
 cersant, vt periculum faciant num fortè tum

Ioan. 8.

facile scripturam esse scripturam quam solem esse solem cognoscit. Et ubi quæso fuit Beza spiritus cum de historia adulteræ quæ Euangelij Ioannis pars est adeo dubitauit? Ad candidam forte diuerterat. Vbi Lutheri cum de epistola Iacobi? num somno vinoque sepultus in hypocaufto Germaniæ aliquo iacebat? Sed vereor equidem ne si his deliriis refellēdis diutius immorer, tecum ipse delirare videar. Cui enim aliquando hominum hæc scripturas discernendi ratio in mentem venit? Quis vnquam ante Lutherum tuum atque Caluinum ita nugatus est, vt quærenti cur Matthæi Euāgelium potius quam Thomæ canonicum putet, nihil responderit aliud quam hoc sibi entusiasmo quodam non minus constare quam solem esse solem, vel Deum esse Deum. Aut quis ita respondentem fidem adhiberet? Quis enim nō merito dubitet cuius tu spiritus testimonio fretus tanta fiducia tuam sententiam tuearis? Hanc verò dubitationem quo tollas quid habes? Solem nimirum esse Solem & Lunam, Lunā. At qui veterum monumēta legerunt ignorare certe non possunt quoties canonici libri auctoritas in controuersiam vocata est, non occulti enthusiasmi testimonio, sed publica Ecclesiæ auctoritate, atque iudicio veritatem declaratam fuisse. Sic enim diuus Athanasius cur Euangelia illa Thomæ, Petri, secundum Hebræos aliq; huiusmodi non probentur rationem reddit. Quatuor, inquit, Euāgeliorum li-

broſ sacri, sanctæ & catholice Ecclesiæ, cano-
nes sanxerunt, præter ista non est vllum aliud.
Sic Eusebius scripturam esse apocrypham pro-
bavit: Quia nemo ex scriptoribus Ecclesiasti-
cis qui continua temporum successione ad sua
vsque tempora vixerat vsquam in suis scriptis
in memoriam ea redigere dignatus est. Sic de-
nique D. Aug. Manicheorum apocrypha refu-
tarit. Si alios (inquit) quos dicat Apostolorū
nostrorum codices protulerit, quomodo iis
ipse auctoritatem dabit, quam per Ecclesias
Christi ab ipsis Apostolis constitutas non ac-
cepit, vt inde ad posteros firmata constitutio-
ne trāscurreret? Quomodo cui non credo pro-
fert mihi scripturas, & iis ipse conatur dare au-
thoritatem, cum ego ipsi non credam? Ac rur-
sum. Nostrorum librorum auctoritas (inquit)
tot gentium cōsensione per successiones Apo-
stolorum, Episcoporum, conciliorūque ro-
borata, vobis (ô Manichæi) aduersa est. Et alio
loco. Si scripturis credendum est, cur non his
potius credam quæ robustissima auctoritate
firmatæ sunt, quæ cum ipso Euāgelio vbi pro-
missum spiritum sanctum pariter credimus in-
notescere populis, & cōmendari posteris præ-
dicarique meruerunt. Hos ergo actus Aposto-
lorum Euangelio pari auctoritate coniun-
ctos lego. Denique de quo (inquit) libro certū
erit cuius sit, si literæ quas Apostolorum dicit,
& tenet Ecclesia ab ipsis Apostolis propagata,
& per omnes gentes tanta eminentia declara-

Athanas. in
Syn.Euseb.
lib. 3. c. 19.Aug. cōt.
Faust. l. 13.

c. 4. & 5.

Contr.
epist. Fund.
cap. 9.Contra
Faust. 23.
cap. 9.

Lib. 4. cōtr.
Marcion.

ta, vtrum Apostolorum sint incertum est? Potestremò (vt alios hic omittā) Tertullianus quod Marcionis Euangelium, quod sub Lucæ nomine irrepsérat refutaret. Si sub Pauli ipsius nomine (inquit) Euangelium Marcion intulisset, non sufficeret ad fidem singularitas instrumētī destituto patrocinio antecessorum. Nec immeritò profectò. Si enim ad discernendās scripturas suum cuique testimonium sufficiat, quis tandē cōtrouersiarum finis erit? An non hac via Valentiniani olim, an non Manichæi auctoritatem suis fabulis tam facile cōciliaffent, quam vos, vel veras probare, vel falsas relicere scripturas potestis? Existimate igitur Caluino vestro cum Manichæo aliquo negotium esse, cui si Apostolorum Acta proponat, & quærenti cur eum librum canonicum esse dicat, nihil aliud quam occultum spiritus testimonium respondeat, an non ille vicissim eodem iure Euangelium Thomæ, aut quoduis aliud Caluino proponet, ab eoque vt illud recipiat, suo spiritus testimonio fretus postulabit? Decipi sanè Manichæum Caluinus asseret. Ille verò hunc toto cælo errare contendet. Et quis tandem huic liti finem imponet, si spreta Ecclesiæ auctoritate suo quisque iudicio nitatur? Aut quomodo salutis hominum diuina prouidentia cōsuluisset, nisi vt ceteras controuersias, ita etiā hanc componendi, quæ de canonicis scripturis non raro suborta est, certa esset Ecclesiæ cōcessa auctoritas? Quis enim non videt hanc solam verā esse,

solidā, & ab omni erroris periculo tutissimam veritatis inquirendæ viam? Enthusiasmi illi id solum habent commodi, quod soluta semel Ecclesiæ anchora homines innumeris dubitationum fluctibus in immensum quoddam diffidentię pelagus abripiant, tandēq; cum nihil occurrat quod fluctuantes ad portum perducat, in atheismi gurgitem præcipites demergant. Expendamus verò tantisper quam tu hic belle Campiano respōdeas. Qui fit (inquit ille) vt Calvinianorum spiritus recipiat sex epistolas qui spiritui non placent Lutherano? Respōdes. Illas epistolas Lutherani non reiiciunt, neque à nouo testamento refecant. Reiiciant sanè necne tu videris: tamen illis non placere (quod Campianus dixit) Magdeburgenses ipsi confirmant, testes inter Lutheranos omni exceptione maiores. Ac de epistola quidem Iacobi, postquam eadem qua tu fide Eusebij sententiam recitarunt, mox suam in hæc ferè verba subiiciunt: *Epistola Iacobi ab analogia doctrinæ apostolicæ haud mediocriter aberrat dum iustificationem nō fidei soli, sed operibus ascribit, & legem appellat libertatis, cum lex sit testamentum generans in seruitutem. Deinde, nec modum docendi Apostolicum seruat. Cum enim aliis Apostolis solemne sit, licet doctrinam tractent de bonis operibus, tamen de beneficio Christi, & de fide in Christum subinde aliquid loco argumētī interuicere: hic vero vix semel atque iterum nominis Christi meminit. de opere autem eius prorsus mutus est.* Audin verò Whitakere quam placeat Lutheranis Ia-

Cent. i. li. 2.
cap. 4.

cobi epistola quæ vna est illarū sex quas minus dixit Lutheranis placere? Secunda est epist. Iudæ, de qua mirum quam illi honorificè sentiāt: *Iudæ epistolam* (inquiunt) *hæc argunt non esse germanam, quod non apostolus, sed seruum se appellat, & quod ipse se post apost. vixisse prodit, & quod quadā de verbo ex posteriori petri describit, & quod citat sententiam de certamine Michaëlis aduersus diabolum de corpore Moysi ex uaticinio Enoch: quæ in probatis veteris scripturæ libris non habetur, & quod Iudam non in Graciam sed in perfidiam venisse memoria proditū est, ubi perfice potius quā Gracæ scripisset.* Tertia est posterior Petri, cui ad auctoritatem hoc deesse affirmant, quod testimonio antiquitatis carere dicatur. De duabus verò Ioannis epistolis, paulo illi quidem modestius loquuntur, atque verecundius: sed de vtraque tamen quam humiliter abiectèq; sentiant illud satis indicat, quod cum contradictum illis à veteribus fuisse adeò diligenter ex Eusebio obseruent, nihil tamen quo hanc notam deleant, præter leuem frigidamque stili non dissimilis coniecturam afferunt: qua certè contenti minimè fuissent si eodem has epistolas cum cæteris honore prosequendas duxissent. Postrema est ad Hebræos epistola, de qua cum multa disseruissent, rem totam in hunc modum egregij scilicet censores expediunt. *Non fuit difficile iudicare quod ea quæ in capite septimo & decimo aperte in eam proferruntur sententiam, quod semel ad Christum conuersi, si iterum labantur, per seriam etiam penitentiam non possint*

possint recuperari, neque doctrina pauli, neque aliorū apostolorum, multo minus Christi dicenti, Venite ad me omnes qui laboratis, &c. consentiant. His & similibus rationibus mora prudens vetustas, quæ omnia ad analogiam fidei examinare solita est, de epistola ad Hebræos iure dubitasse videtur. Ipsū ego te nūc iudicem facio quam hic bellè Lutherano spiritui cum Caluiniāno conueniat: Nisi fortè tu etiam has epistolas ab analogia fidei haud mediocriter aberrare, antiquitatis testimonio cætere, neque cum doctrina Christi; neque aliorum apostolorum; multoq; minus cum ipsius Christi doctrina consentire, cum Lutheranis existimas. Laudo tamen quod tam subtiliter acutèque probas has epistolas Lutherano spiritui minime displicere. Earum (inquis) nonnullas Lutherus suis commentariis illustrauit. Illiricus omnes. Eodem sanè argumēto dixisses, quasdam Æsopi fabulas Lutherus suis commentariis illustrauit; Illiricus omnes: spiritui igitur Lutherano Æsopi fabulæ in canone sunt reponendæ. Sed vide quam tecum ingenuè certamus. Demus hoc tibi, si placet, Lutherano spiritui cum Caluiniāno quam optimè cōuenire. Nondū tamē rem confecisti, nisi & cum vestro spiritu cæterorum vestri ordinis Euangelicorū spiritus conuenire ostendas: præsertim cum nihilo se vobis inferiores illi agnoscant. Vnum igitur exempli gratia Anabaptistarū spiritum fumamus, cui Iobi historia fabula videtur tragicis & comicis legibus intermixta. Hoc enim

Campianus exemplo est vsus. Cui tu, quid respondes? *Spiritus ille* (inquis) *anabaptisticus amētia quaedā fuit, & furor praeceps atque effrānatus, quem nullus magis spiritus quam caluiniānus & lutheranus reprēsit.* Sed anabaptistā vicissim eodem sanē iure Caluiniānum spiritum nihil esse aliud pronunciant quam amētiā, & furorem praeceptem atque effrānatum. Iam estis ergo patres. Ad me sanē quod attinet, vt neutri spiritui iniuriā facere videar, vtrique cum de altero sic loquitur credam. Vos si ecclesiāe auctoritatem contemnere pergitis, dicite ingenuē quō tandem argumēto spiritus vestri testimonium illis cōmendabitis, quō non illi suū vicissim commendare vobis poterūt? Atque vt vterque spiritus; (Caluini inquam & Lutheri) copias iungat, anabaptisticū spiritum, tam scilicet furoris & amētiā plenum nunquam reprimet. Et quid si à Lutherano spiritu, tanquam à parente suo suppetias aduersus Caluiniānum petat? Num poterit tam pius parens filio praesertim natu maximo opem negare? & sacrum illud quasi primogeniturā ius violare? Vester enim? Caluiniānus spiritus ex Lutherano multis post annis natus est. Si ergo (vt Euāgelicis placet) fides ex scriptura petenda est, scriptura autem non nisi ex spiritu aestimanda, quid quāso in tanto spirituum conflictu & tam vario Marte agendum? Expectandus fortē belli exitus. Tamdiu igitur scriptura fidēque carebimus, donec vel omnes in vnum

conspirent, vel victoria vnus potiatur? Atque si inter hos tres spiritus nullam vnquam pacem sperare firmam licet: Quid (deus bone) tandem futurum est, si omniū Euāgelicorum spiritus, tam variij, tam contrarij, tam amentes, tam furiosi, tam effrenati atque indomiti committantur. Prius sanē aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim, quam illi dextras iungere, & foedus aliquod stabile inire possint. Fide igitur & scriptura perpetuō careatis oportet. *Castalio* (inquit Campianus) *Salom. Canticum nihilo pluris quam cantilenam de amicula & cum pedisequis aula colloquium amatorium venerens surcifer aestimauit.* Quo loco tu iniuriā Castalioni factam ais singularem, nec aduertis te cū Castalionem defendis, Bezam tuū qui eodem illū crimine onerauit accusare. Quod ex ipsius in Iosue praefatione discere potuisses; neque profecto qui Castalionis versionem legit aliam de hoc scripturae libro eius fuisse sententiam existimare vnquam poterit: ita enim amatorijs quibusdam verborum lenocinijs ex medio veluti impudicorum hominum cœtu defumptis diuinæ scripturae inaequatatem contaminauit; nihil vt minus quam Dei spiritum sapere videatur: *Canticum* (inquit) *musicum quod Salomonis est. Dissuadiare me oris tui suauis: ad tuorum suauium vnguentorum odorem te amant puella. tota es bella amica mea, aperi mihi sororcula mea, amicula mea, colubula mea, ô te formosam amica mea, ô te formosam qua columbinos habes ocellos.* Et ne quid deesse vi-

In praefat.
in Iosue.

deretur, in margine addit: *Salamitha Salomonis amica*. An non hæc atque id genus alia permulta amatorium potius colloquium cum pedisequis aulæ, quam mysticum illud Salomonis Canticum referre videbitur? In Apocalypsi Ioannis dixit Campianus desiderare quidpiam Lutherum, Brentium & Kemnitium. *Quid hoc quiddam est?* inquis. Quin tu potius quid illud sit videas. nos enim talium prophetarum iudicia nihil moramur, vel nega si potes eos in Ioannis Apocalypsi, vt Campianus dixit, quiddam desiderare. Sed tantum abest vt neges, vt Eusebij autoritate tuos hos Censores omni criminis suspicione, quantumuis in Apocalypsi quiddam desiderarint, liberare studeas. *Si Eusebium legisses, inquis, in ea nonnihil fuisse desideratum, nec ab omnibus illam probatam, imò à nonnullis planè repudiatam perspexisses: Et cum nulla tibi iustæ defensionis ratio occurrat: Quid ad nos ista, inquis, quos tu negare non potes Apocalypsin amplecti atque illa mysteria non minus quam vos ipsos venerari? Si vobis Lutherus hæreticus est, ad vos ista sanè nihil pertinebunt: sin verò Lutheranos pro fratribus, & pro patre Lutherum agnoscitis, quomodo non vestra vel maximè interest quid in re tâta fratres vestri, patre ipso authore senserint? Nam quod hoc libro Romanum perstringi pontificem calumniaris, facis tu quidem quod illius sectæ hominem decet, cui si conuitia detrahas consistere omninò non potest. Sed quia ne verbū quidem vnum*

Lib. 3. c. 24.

proferre potuisti quod Romanū pōtificem vel leuiter attingat, ridiculus planè es, si quā à me responsonem expectas. Ad Lutherum ergo redeamus, de quo hæc Campianus: Quatuor Euangelia inter se committit, & prioribus tribus, epistolas Pauli longè præferens: vnicum deinceps Ioannis Euangelium pulchrum, verum, præcipuum decernit esse nominandum. Vbi multa tu de Euangelij nomine. Nihil tamen adfers quo Lutherum obiecto crimine purges. *Quod, inquis, hoc loco commemoras Campiane, id etiam in argumento prima epistola Petri inuenio.* Hocciue est Lutherū defendere, alterum eiusdem erroris testimoniū afferre? Pudet me Whitakere tantæ tuæ inscitie. Sed audiamus tamen quid tandem tibi velis: *Lutherus, inquis, omnium optimos esse Euangelistas dixit, qui in eo maximè elaborarint vt doceret fide sola in Christum nos iustificari. hanc enim Euangelij summam esse.* Hæc si ita se habent, omnium certè Euangelistarum quotquot vnquam hæctenus fuerunt optimus Lutherus. Nullus enim Euangelista tam luculenter atque disertè vnquam expressit sola nos in Christū fide iustificari. Imò ne apud vllum quidem alium hæc Euangelij summa inuenitur. Non ergo Ioanis, sed Lutheri Euangelium vnicum erit, pulchrum, verum, atque præcipuum. Verùm illud mihi respōdeas velim, quæ tandem scriptura doceat eos demum Euangelistarum nomine censendos, quibus is scopus fuit vt sola nos in Christū fide iustificari osten-

” In præfat
in nouum
Testam.

- derent? Non enim Angelus euangelizare se dixit, quod sola in Christum fide nos iustificari doceret. Sed Euāgelizo (inquit) vobis gaudiū magnum quod erit omni populo, quia natus est vobis hodiē Saluator mundi. Et si quam Euangelistā ipsi fidem merentur, non hunc quem tu dicis, sed alium sibi scopum propositum habuerunt, nimirum vt Iesum Mariæ filium verum esse Messiam probarent, quem ad humanum genus à peccati mortisque faucibus eripiendum prophetæ omnes venturum iam olim prædixerant. Hac (inquit Ioannes) scripta sunt vt credatis, quia Iesus est Christus filius Dei, id est vt Iesum Marię filium Christum esse verumque Messiam credatis. Et Matthæus, propterea Euāgelium suum ad hunc modum exorditur. Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham, & quę sequuntur. vt hoc se agere demonstraret: eum qui tum natus erat cuiusque historiam erat scripturus Christum esse ac Messiam, in quem prophetarum omnium vaticinia conuenirent. Quid Marcus? Ita nimirum Euāgelium suum exorditur. Initium Euāgelij Iesu Christi filij Dei: quasi dicat: Hoc vnum se in animo habere vt lætissimum humano generi nūcium describat: Iesum ex Maria virgine natum, verum esse Messiam. Lucas denique ipso Euāgelij sui proœmio, Propositum sibi ait fuisse scribere narrationē rerum quę in nobis completæ sunt, id est, quę Prophetæ de venturo Messia tantò antea prædixe-
- Lucæ. 2.
Ioan. 22.
Matth. 1.
Marc. 1.

rūt in Iesu Mariæ filio completa esse, & vt verbo ille græco eleganter expressit, *πεπληροφωρηθησθε*. Iam vides, opinor, cur inter omnes diuinarum literarum scriptores. Matth. Marc. Luc. & Ioan. ab omnibus vno ore christianis (Lutherum si solum excipias) Euangelistæ sint appellati. Nam neque Paulus, neque Petrus, neque cæteri profectò Apostoli, in hūc potissimum finem epistolas scripserunt, sed vt homines iam Christianos, qui Euangelio antea crediderāt ad Christianæ vitæ perfectionē adhortarentur. Quam ergo ridiculè Lutherus, & cōtra receptam omnium Christianorum loquēdi consuetudinem, contra ipsam Euāgelij vim atque naturam, vocis (que ad eō notionem, Pauli epistolas rectius Euāgelium vocari dixit, quam quæ scripserunt Matthæus, Marcus, & Lucas: cum Paulus ipse epistolas suas non nisi epistolas vocare soleat, quas tamen Luthero iudicē rectius Euāgelium vocasset: dolēdum vt fuerit pædagogū Paulo Lutherum defuisse, qui eum sanè docere potuisset quæ ne spiritus quidem sanctus vnquam docuit. Lutheri igitur innocentiam quantumuis te defendisse iactites, nunquam tamen efficies, quin, vt quod leuissimū est dicam, superbus ille, & valde profectò imperitus censor fuerit. An verò, quod Campanianus dixit, petulanti illum stylo Lucæ euāgelium perstrinxisse, quod in eo crebrius bona nobis virtutum opera commēdentur, illius etiamnum innocentiam propugnabis? Maxi-

Serm. de mē. *Quia Lutherus id sibi proponit (inquis) ut eum
Pub. & Pharis.* scrupulum tollat ex animis hominum quem crebra illa apud Lucam operum mentio iniicere potuit, ne forte quis existimaret Lucam operibus iustitiam ascribere. Lutherum ergo tam circumspectum putas vt sanctius etiam, sapientiūque quam spiritus ipse sanctus loquutus sit? Quasi verò vel Lucas quantum bonis esset operibus tribuendum ignorarit, vel Spiritus sanctus qui illius mētem ac linguam moderabatur, crebriorem quam par esset mentionem facere permisisset. Atque hæc quidem de Lutheranis: quos te hominem Calvinianum tam infeliciter defendisse non miror. In Beza fortè vindicando acriorem te præstabis. Eum Cāpianus dixit illud arcanum, (Hic est calix nouum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur) ausum esse vt corruptum vitiatūque traducere. Tu cum crimen inficiari nō possis, id nobis primum vitio vertis quod ea verba τὸ ποτήριον ἢ χεῖρ Δαβὴκ, sic reddamus. Hic est calix nouum Testamentum, cum sic potius te iudice essent collocanda, Hic calix est nouum Testamentum: quasi discrimen esset maximum quo loco verbum ἔστι positum intelligatur. Quid enim est aliud τὸ ἔστι τὸ ποτήριον ἢ χεῖρ Δαβὴκ, quam τὸ ποτήριον ἔστι ἢ χεῖρ Δαβὴκ. Nam quod nos ais hoc loco duplicem figuram vel inuitos admittere, primum quod calicem pro vino, deinde quod vinum pro sanguine interpretemur: tuo more, vt perturbata disputationis serie facilius lateas, rem alio diuertis. Metrony-

miam quidem in calice agnoscimus, ex qua tamen sanguinis veritas clarissimè demonstratur. Nam cum effundi calicem non aliter rectè dicamus, quam quia id effunditur quod calice continetur: Luce clarius est non vinum vt vos fingitis, sed ipsum Christi sanguinem in calice fuisse. quæ res in causa fuit cur tuus ille Beza cum apud Lucam τὸ ἔστι ἢ χεῖρ Δαβὴκ, non nisi ad calicem referri posse videret: neque alio, vt diximus, sensu, nisi à cōmuni hominum loquendi consuetudine prorsus recedamus, calicē effundi posse quā quia effunditur, quod in calice est, sacrilego vt Campianus dixit, stylo hæc verba expunxerit. Lepidū verò est quod de solæcismo adnectis, veluti totis viribus pro Theodoro Beza decertans. Iniuria ipsum à Cāpiano reprehendi clamitas, quod Lucam scribat hoc loco σολοικίζειν. At hic Theodorus Beza (inquis per ironiam) in immani crimine tenetur manifestò. Lucam enim scribit σολοικίζειν. Hieronymi deinde authoritate Bezam iueris, qui Paulo etiam solæcismos tribuit. At neque hoc quicquid est criminis Campianus vnquam Beza obiecit, neq; in se Beza suscepit. Negat enim ille Lucā hoc loco σολοικίζειν. *Neq; causam videro* (inquit) *cur Solæcophanes Lucas, usurparet, verū illud in Beza reprehendit, quod illa verba, τὸ ἔστι ἢ χεῖρ Δαβὴκ, ex margine in contextu irreplisse, adeoque sibi expungēda videri dixerit. Cum* (inquit) *hæc verba, τὸ ἔστι ἢ χεῖρ Δαβὴκ, si constructionē spectemus, necessario non ad sanguinem, sed ad poculum pertineāt, neque*

In cap. 3.
epist. ad
Ephesios.

Luc. 12.

*samen de vino, ne dum de poculo intelligi possint aut manifestus est solacophanes aut potius, cum hæc essent ad marginem annotata ex Matthæo & Marco, postea in contextum irrepserunt: neque causam video cur solacophanes Lucas usurparet. Hoc tu truncati à Beza Lucæ Euāgelij crimen, cum manifestius esse videres, quam ut vel negari, vel probabili vlla ratione defendi posset, prorsus tacuisti, atque ut lectoris animum alio abduceres, tibi ipse argumenta quibus responderes finxisti, ut Donatistæ olim quibus erat familiare, ut quoties se rationibus vrgeri, & paulò quàm vellent arctius constringi videbāt, nouam aliquam controuersiam iniicerent. Quam fraudem quasi Academici minimè cerneret, Campiano re factis superque respondisse impudentissimè gloriaris, cuius nullum adhuc argumentū vel probabili aliqua ratione eludere potuisti: Et tamè Academicorum iudiciū minimè refugis: apud quos ut illius existimationem, omni qua potes ratione eleues. *Quid attulit* (inquis) *aut quid demum excogitauit quod à doctrina, recondita, aut à lectione multiplici, aut ingenio acuto, profectum videretur?* quasi tu is vir sis quī cum ille de eruditionis palma contenderē vñquam voluerit, quem vbi superasset non tam sibi victoriæ gloriam, quàm nomen tibi aliquod inter profligatæ sectæ patronos peperisset. Sed absit à Campiano ut vel in reconditæ doctrinæ copia, vel multiplicis lectionis varietate, vel ingenij acumine, vel vllis alijs id genus armis victorię spem col-*

locarit. Quippè qui se sola causæ bonitate factis esse munitum intelligebat. Vestrum est Whitakere quod veritate non potestis, falsa huiusmodi armorum opinione velle persuadere: quorum tu peritiam quāto minorem in Campiano videri desideras, tanto tuam ipse ignorantiam maiorem prodis, qui nullum prorsus tam imbellis aduersarij telum potes sustinere.

SECUNDA RATIO.

Alterum est, quod me quidē ad cōgressum incitarit, & horum apud me copiolas eleuarit, aduersarij perpetuum in scripturis exponendis ingenium, plenū fraudis, inane prudentiæ. Statim hæc Philosophi tangeretis. Itaque vos auditores expetij.

Sciscitemur ab aduersariis, exempli gratia, quidnam sequuti nouam sectam inuenierint, qua Christus excluditur e cœna mystica. Si nominant Euāgelium, accurrimus. A nobis verba sunt. *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.* Qui sermo vifus est ipsi Luthero tam potēs, ut cum etiam discuperet fieri Zuinglianus, quod ea re plurimum incommodare Pontifici potuisset: captus tamen & vincētis apertissimo contextu cederet, neque minus inuitus Christum verè præsentem in Sacramento sanctissimo fateretur, quàm olim dæmones à victi miraculis Christum Dei filium vociferati sunt. Agendum, pagella scripta superiores sumus, de

Sacrarum
Literarum
Sententia.

a Mar. 16. v
26.

Mar. 14. v.

22. Luc. 22.

v. 19.

b Matt. 26.

v. 28.

Marc. 14.

v. 24.

c Luth. in
epist. ad Ar-
gent.

d Matt. 8. v.

29.

Marc. 1. v.

24.

a Luc. 22. sententia scripti contenditur. Hanc peruesti-
 v. 19. gemus ex verbis adiacentibus. *Corpus meum a*
 Marth. 16. *quod pro vobis datur. Sanguis meus b qui pro multis*
 γ. 28. *effundetur.* Adhuc durissime partes Caluini sunt
 b Marc. 14. nostre faciles & explicatae. Quid amplius? Co-
 γ. 24. ferre Scripturas, inquit. Maximè. Conspirat
 c Marc. 14. euangelia. c Paulus ad stipulatur. d Voces, clau-
 Luc. 22. sulæ, tota connexio, panem viuum, insigne mi-
 d I. Cor. 10. raculum e caeleste pabulum, carnè, corpus, san-
 & II. guinem, reuerenter ingeminant. f Nihil ænig-
 e Matt. 16. maticum, nihil offusum caligine loquendi. Tam-
 f Ioan. 6. en perstant aduersarij, neque vllum finem
 faciunt altercandi. quid agimus? Opinor, au-
 diatur antiquitas, & quod nos alteris alteri sus-
 pecti non possumus, illud omnium seculorum
 veneranda canicies, Christo propior, ab hac
 lite remotior, decidat arbitrio. Non ferunt, pro-
 di se aiunt, Dei verbū purum putū in clamant,
 hominum commentarios auersantur. Insidio-
 se, ineptè. Dei verbum perurgemus: obscu-
 rant: Diuos testamur interpretes: obsistunt.
 In summa, sic instituunt, nisi reorum iudicio
 steteris, nullum iudicium fore. atque ita se ge-
 runt in omni quam exercemus controuersia.
 De infusa gratia, de inharète iustitia, de Eccle-
 sia conspicua, de necessitate baptismatis, de Sa-
 cramentis & Sacrificio, de piorum meritis, de
 spe & timore, de peccatis imparibus, de aucto-
 ritate Petri, de clauibus, de votis, de conciliis
 Euangelicis, de cæteris, scripturas neque pau-
 cas & ponderosas Catholici passim in libris, in

colloquiis, in templis, in schola citauimus at-
 que discussimus: eluserunt: Veterum scholia
 Græcorum & Latinorum admouimus: abnue-
 runt. Quid rum denique? Doctor Martinus
 Lutherus, aut verò Philippus, aut certè Zuin-
 glius, aut sine dubio Caluinus & Beza fideliter
 enarrarunt. Egone quenquam vestrum existi-
 mem tam esse mucosis naribus, qui hoc artifi-
 cium monitus non persentiscat? Quare fateor
 me scholas Academicas cupidè requirere, vt
 inspectantibus vobis, calamistratos istos mili-
 tes in solè & puluerem è suis umbraculis euo-
 caros, non meis viribus, qui cum vestris, cente-
 sima parte, non sum conferendus, sed valentis-
 sima causa & certissima veritate debilem.

CONFVTATIO RESPONSIONIS

WHITAKERI.

DISPVTATIONEM de scriptu-
 ris alia sequitur, quam de vera
 scripturarum sententia Campi-
 anus instituit. Cui tu dum respō-
 des, vt meliorem defendere cau-
 sam videaris, mirum quàm initio petulanter
 exultas, & tuum illud *πῆτον καὶ ἀγνοίαν*, iactas
 magnificè, quasi illud sit huiusmodi vt vel ty-
 rones in theologia lateat, vel desperatam iuua-
 re tuam causam possit. Etenim quam laudas

Hieronymi sententiam, tritam illam quidem
& in ore omnium iampridem versatam: *Scripturas non in legendo, sed in intelligendo consistere*,
non modò nos libenter amplectimur, verum
etiam à vobis impiè violari ostēdimus: à quo-
rū mentibus tam longè abest τὸ πρῶτον Διέγνωια
quam frequens in ore est τὸ πρῶτον. Est enim
τὸ πρῶτον Διέγνωια, siue scripturæ sententia quæ
à Spiritu sancto acceptam Ecclesia Catholica
fidei ac veritatis cūstos atque magistra, conti-
nua iam inde à Christo & Apostolis pastorum
doctorumque seriè, quasi per manus traditam,
ad nos vsque transmisit: non vanum aliquod
Lutheri, non Caluini, non Bezæ, alteriusve im-
puri ac phanatici hominis somniū. Quod cum
ne ipse quidem negare audeas, illud iam dili-
genter quærendum, vtri tandem nostrum tra-
ditam hanc Ecclesiæ à Spiritu sancto scriptu-
ræ sententiam continua pastorum successione
ad posteròs deriuatam sequamur. Atque vt via
compēdium quæramus, qui Catholici sumus,
quia scripturam sacram, vt dixit ille, non vno
eodémque sensu vniuersi accipiunt, propter
» tantos tam varij erroris anfractus propheticæ
» & apostolicæ interpretationis linea secundum
» Ecclesiastici & Catholici sensus normam diri-
» gi nos velle palam prōfitemur, Lutheri & Cal-
» uini somnia procul à nobis repellimus. Vos
idem facite, & his tota sublata est. Quam si cō-
» ditionem tam certam, tam planam; tanta om-
» nium seculorum consensioe probatam non

Vincen.
Lyr. contra
hæres.

accipitis, quid aliud quam longissimè vos à ve-
ra illa τὸ πρῶτον Διέγνωια abesse ostenditis? hęc
fidei regulam & Philippensibus Paulus com-
mendat, & prisca illi ecclesiæ patres tanto stu-
dio amplexi sunt. Sed vt tuis te verbis arctius
cōstringam cum te ipso iudice *non in verbis scri-
pturarum sit Evangelium, sed in sensu*: Si quis præ-
ter eas scripturas quas vniuersus ante Lutherū
Christianus orbis canonicas habuit, alias quas-
dam inueheret, num tibi nouum, num inaudi-
tum Dei verbum videretur inuehere? Luthe-
rus ergo atque Caluinus qui nouam quandam
atque inauditam τὸ πρῶτον Διέγνωια, cum illa
quam totus tum Christianus orbis amplecte-
batur vehementer pugnantē intruserunt, quo-
modo non, te iudice, nouum Euangeliū mūdo
obtruserunt? Quo enim tempore (vt exemplo
reclior euadat) Lutherus ruptis pudicitia,
& religionis vinculis ex pessimo monacho pe-
ior esse Propheta cœpit, nōne vt vniuersus
populus Christianus per Galliā Germaniam,
Italiam, Hispaniam, Angliam, Scotiam, &, vt
semel dicam, quàm latè patuit Christianus or-
bis, quemadmodum illud τὸ πρῶτον in ore ha-
bebat, *Hoc est corpus meum*: ita & in mente hanc
τὸ πρῶτον Διέγνωια, non figuram, non Symbo-
lum, non inane spectrum, sed verum esse in Eu-
charistia Christi corpus & sanguinē? Et si quis
tum forte dixisset non esse hoc πρῶτον, sed illud
potius, hoc non est corpus meū: an nō nouum
Dei verbum & inauditum obtrussisset? Quid

Ad Philip.
Augustin.
Enchirid.
cap. 5. Cyp.
de velandis
virginibus
Athanafius
in epistola
de Synodo
Ariminenſi
& Seleuc.
Origenes,
lib. 4. c. 2.
Irenæus
lib. 2. cap. 4

ergo vos qui pro recepta illa τὸ πρῶτον λέγεσθε
 qua verum esse Christi corpus firmissimè om-
 nes crediderunt; repugnantem aliam, pla-
 néque contrariam inuehitis, & non verū cor-
 pus, sed verū tantum corporis Symbolum esse
 docetis; qua tandem fronte nouum vos in or-
 bem euangelium inuexisse negabitis? Sed tu
 ne hoc Academici videant, alio disputationem
 abducis. *Satis constat* (inquis) *cum ipsam scriptu-*
ram, tum scripturam sententiam in Ecclesia auctoritate
vobis esse constitutam. Quid? si quoties vel de scri-
 ptura aliqua, vel de verò scripturæ sensu an-
 cipitem oriri quæstionem cernimus, ecclesiæ iu-
 dicium, ne fallamur, expetimus, magnū me ti-
 bi piaculum admisisse videmur? Quo igitur
 nos alio conferre iubes? Ad occultum, credo,
 spiritus testimonium. Meū me, an tuū potius?
 Si tuum ais, vereor equidem ne angelus satanæ
 transfiguraret se in angelum lucis. Quare, si tibi
 vis credam, certò aliquo atque euidenti argu-
 mento probes oportet illius te spiritus testi-
 monio niti, cui salutem ego meam absque villo
 sempiterni interitus periculo credere possim.
 Quod cum facere nequeas, mēne tibi ad eū de-
 nūctum puras, vt arbitrio tuo fidem meam ac
 religionem committam? Amens profectò sim
 si id faciam. Cur enim tuo potius quam meo
 testimonio, quod tuum esse falsum dicit, fidem
 adhibeam? aut quomodò si certum est illud
 spiritus testimonium quod singulis dari dicitis,
 non multò certius & ad omnes hereses siue
 de

de verbo ipso, siue de verbi interpretatione, re-
 fellendas firmius commodiusve totius Eccle-
 siæ iudicium censebitur? Nisi fortè quis ita in-
 faniat vt in re tanta falli omnes posse, vnum
 verò aliquem falli non posse affirmet. Verūm
 illud tibi fortasse grauius videretur quod sequi-
 tur. *Ecclesiam verò dicitis* (inquis) *non vniuersam*
fidelium multitudinem, sed vni ecclesiæ nomē que
ad Episcopos reuocatis. Nouum hic nobis crimen
 à te affingi video. Non enim ignoramus quod
 à Cypriano scriptum est ecclesiam esse plebem
 sacerdoti vnitam & pastori suo gregem adhæ-
 rentem. Neque magis ab Episcopo populum
 quam oues à pastore separamus. Sed episcopo-
 rum hoc munus esse dicimus vt quam ab an-
 ecessoribus suis traditam acceperere doctrinā,
 integram atque incorruptam populo quitque
 suo, tradant, & pro commissa sibi à Christo ec-
 clesiæ suæ cura, si qui vestri similes oriantur,
 qui dissensiones & offendicula faciant præter
 doctrinam quam didicerūt, sedulò vt illorum
 errores refellant, populūque doctrina salu-
 tari pascant. Sunt enim illi tanquam firmissi-
 ma quædam ecclesiæ columnæ, quæ eam ad-
 uersos insanos hæreticorū impetus sustentent.
 Vt verò nos vehementius vrgere videaris, *At*
episcopi (inquis) *possunt de scripturarum sententia*
dissentire, & incerti relinquemur, nec cui sit adhibenda
fides statuemus, quod sanè argumentum quia le-
 uius esse videbas, & responſionem cuius ob-
 uiam, quasi oblitus tuæ respōdes. *Nimirum qua-*

epist. 69.

Rom. 16.

Act. 15.

stiones omnes & controuersias decidi in generali concilio necesse est. Hóccine tibi absurdum, hóccine iniquum videtur? An ignoras innumeras ab exordio ecclesiæ controuersias, de religione subortas non alia penè ratione fuisse compositas? Neque tibi venit in mentè quod in Apostolorum actis diuus Lucas scriptum reliquit, cum de obseruandis legis ceremoniis grauis esset quæstio inter Christianos excitata. *Conuenerunt* (inquit) *Apostoli & seniores videre de verbo hoc.* Utque certissimam esse cõciliõrum auctoritatem minimè dubitarem, *magna prius conuisione facta, tandem concludere. Visum est spiritui sancto, & nobis.* Illud verò ferre non potes quod tanquam absurdissimum subiicis: *de conciliis Papa iudicare debet.* Quasi verò vllum vquam concilium firmam in ecclesia auctoritatem habuerit quod non à Romano Pontifice fuerit confirmatum? Quis enim nescit celeberrimam illam Nicenam synodum à Syluestro, Constantinopolitanam à Damaso, Ephesinam à Cælestino, Calcædonensem à Leone, Mileuitanam ab Innocentio, confirmationem per literas postulasse? vt alias penè innumeras præterea. Intelligebant nimirum sancti illi patres suarum quidem ouium pastores se esse, summi tamen illius pastoris oues, quem totus Christus Ecclesiæ suæ præesse voluit. Cũ enim singuli episcopi singulorũ gregum custodes à Domino sint constituti: Romano pontifici, cui in Petro dictum est, *Pasce oues meas*, illud pro-

Ioan. 21.

prium est ac peculiare, vt totius dominici gregis curam gerat, & (vt ad Bonifaciũ pontificem Augustinus scribit) celsiori fastigio in specula pastorali præmineat. Cuius rei ne multa huc testimonia afferam, quæ ad pleniorẽ de pontificis auctoritate disputationem spectant, Mileuitani concilij patribus contentus ero, quorum verba ad Innocentium pontificem Romanum scripta subiiciam. Quia te (inquiunt) Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in sede Apostolica collocauit, talẽmque nostris temporibus præbuit, vt nobis potius ad culpam negligentia valeat, si apud tuam venerationem quæ pro Ecclesia suggerenda sunt tacuerimus, quam ea tu possis vel fastidiosè vel negligenter accipere: magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastorale diligentiam quæsumus adhibere digneris. Ex quibus luce clarius est Africani concilij patres (vt de aliis hoc loco nihil dicam) quamuis aliarum ouium pastores, Pontificis tamen Romani sese oues agnoscere. Sed, *ita fit* (inquis) *vt tandem tota sacrarum litterarum sententia ad Papam transferatur, vt ille quicquid senserit pro sententia scripturæ habeatur.* Hæc ego quorũ spectent facilè intelligo, nempe vt sublata ex ecclesia omni forma iudicij confusionem plusquam Babylonicam inducatis, cumq; eo sitis ingenio omnes, vt ad res nouãdas iurãq; omnia diuina & humana fursũ deorsum nullo discrimine vertenda nati esse videamini, nihil huic negotio apti, neq; magis è

August. ad Bonif. lib. 1.

Aug. ep. 102.

re vestra excogitare potuistis, quàm cuiq; vt liceat omnibus in rebus seipsum sibi iudicem constituere, nullòque alterius cuiusquam metu, nulla reuerentia, nulla denique religione id optimum ducere quod sibi maximè arriserit. Quod quia salua ea autoritate quàm Romanis pontificibus diuinitus esse concessam Christiani semper omnes crediderunt, nunquã vobis ex animi sententia cessurum cernitis, nihil maiori studio laborèque conamini, quàm vt sublato semel hoc tribunali fræna deinceps nouitatibus vestris impunè laxetis. Absit tamen à Christianorum mentibus tanta impietas, vt meliorè Mosaicã olim Synagogã quàm ecclesię modò Christianæ gubernandæ formã à Deo fuisse institutã credãt. Nam si vni Iudeorũ gèti, vnius pænè regionis sinibus cõclusæ ad tollèdas schismatum occasiones sapientissimè Deus summum sacerdotem præfecit, cuius ab arbitrio grauiores omnes causæ penderent, quis tam omnis iudicij ac rationis expertus erit vt sanctissimam Christi sponsam Ecclesiam, ex omni natione quæ sub cælo est collectam, latissimèque per vniuersum orbem diffusam, ita à sponso suo desertam atque neglectam putet, nullum vt in terris iudicem habeat, qui nascètes magnis de rebus controuersias sua autoritate componat, cum in tanta præsertim multitudine hominum, tam variis moribus, tam discrepantibus sæpe ingeniis præditorum ple-

Deut. 17.

rasque oriri necesse sit. *Habet igitur Ecclesia Catholica suum quidè in cælis sponsum Christum, cuius prouidentia neque synagogæ olim defuisse putanda est: sed cum ea sit humanæ imbecillitatis ratio, vt ad plurimas res cum sacras tum profanas rectè ac pro dignitate gerendas necessaria sit hominis alicuius opera quem coram alloqui atque consulere, cuiusque sententiam audire possimus! reuersurus ex hoc mundo ad Patrem Christus ita sponsæ suæ consuluit, vt Petrum in terris velut amoris sui vicarium nobis Ambrosio teste reliquerit, cui oues suas pascendas tam sedulò commèdauit, quem petram ipse firmissimã effecit super quam suam ædificaret ecclesiã: Sic enim hunc locũ veteres omnes intellexerũt, vt quisquis ab hoc pastore oues studet abducere, nihil se aliud quam lupũ esse ostèdat mactare & perdere cupientẽ, nec aliud quàm ecclesiæ ruinã moliarur qui huic petræ à Christo confirmatæ ecclesiæ filios in niti prohibet. Præclare enim Chrysostomus, *christum ait suum effudisse sanguinem vt eas oues acquireret quarum curam Petra & successoribus eius commisit.* quem imitatus Bernardus Eugenium ex successoribus Petri vnum sic alloquitur. *Tu es cui clauis traditæ, cui oues creditæ sunt. Sunt quidè & alij celi ianitores, & gregum pastores, sed tu tanto gloriosius, quãto differentiùs vtrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi vniversi crediti, vni vnus. Nec**

Ambros. in cap. 24. Luc Ioan. 21.

Lib. 2. de sacerdotio.

Lib. 2. de confid. ad Eugen.

F iij



modo omnium, sed & pastorum tu vnus omnium pastor. Vnde id probem queris? Ex verbo Domini. cui enim non dico episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolute & indiscrete tota commissa sunt oues? Si memas, Petre, pasce oues meas. Quas? Illius vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certi regni? Oues meas, inquit. Cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Vos ergo qui successorem Petri pastorem esse vestrum tam impie negatis, ad Christi certe oues minime pertinere. Neque verò, vt tu caluniaris, ab vnus nos hominis voce, sed à diuina potius Christi promissione Petro eiusque successoribus facta pendemus, pro quorum fidei firmitate ipse patrè rogauit, quem pro sua, vt Paulus loquitur, reuerentia haud dubie pater exaudiuit. Ego rogavi pro te, Petre (inquit) vt non deficiat fides tua. Cuius quidem orationis fructum non ad Petrum tantum, sed ad Petri etiam successores pertinere satis illa quæ sequuntur demonstrant. Et tu conuersus confirma fratres tuos. Cum enim ecclesia non cum Petro interitura, sed ad finem vsque seculi permanitura esset, eadem profectò fidei firmitudo Petri successoribus, Romanis inquam pontificibus, tanto magis erat necessaria quanto & ipsi imbecilliores, & maioribus tyrannorum, hæreticorum, aliorumque impiorum hominum machinis erant oppugnandi. Vt ergo conuersus Petrus fratres suos Apostolos confirmauit, ita Petri quoque successores, suos & ipsi fratres, id

est, Episcopos reliquos confirmare necesse est. Absit enim vt ad solos apostolos confirmandos Petro fidei constantiam Christum à Patre impetrasse putemus, qui & firmiores erant & minoribus quàm posteriores episcopi periculis obnoxij. Christi nos ergo oratio securos facit Rom. pont. Petri successorem sequentes. Et si Lutherus fortè quis, aut Calvinus aliud præter id quod accepimus euangelium afferat, & tanquam lupo, vt nos deuoret, ab Ecclesiæ pascuis velit abducere, tum idem ab illo quod olim à Damaso Hieronymus postulauit, flagitamus. Sic enim ille: Quanquam tui me terreat magnitudo: inuitat tamen humanitas: à sacerdote victimam salutis, à pastore præsidium ouis flagito. Facessat inuidia, Romani culminis recedat ambitio. Cum successore piscatoris, & discipulo crucis loquor. Ego nullum primùm nisi Christum sequens beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communionè confocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio, quicunque extra illam domum agnum comederit profanus est. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuiò, quicumq; tecum nõ colligit, spargit. Hoc est, qui Christi nõ est, Antichristi est. ad eundem modum à Rom. pontifice Catholici, pastoris opem atque officium contra truculentam luporum rabiem implorat. Nec immeritò. Illi enim in Petro omnium Christi fidelium curam ab ipso Christo commissam sciunt. Illum pastorem sequentes à lupis tuti

Hieron. ad
Damasum.

”

”

”

”

”

”

”

”

”

”

”

sunt. Illo duce à recto fidei tramite errare non possunt, Illi petrae firmissimae innitentes super quam Christus aedificauit Ecclesiam suam, nullos ventorum impetus, nullas haeresum tempestates pertimescunt. Quos si vestri imitentur, non tam leuiter omni vento doctrinae circumferri se sinerent. Nam quod Romanos a pontifices plerisque indoctos sceleratos haereticos fuisse: Agnisco equidem in te veterum haereticorum ingenium, quibus nihil olim erat familiarius quam in Romanos pontifices maledicas linguas armare, quorum in vno Petiliano, tibi quoque ab Augustino responsum puta. Quid opus est, (inquit) vt episcoporum Romanae Ecclesiae, quos incredibilibus calumniis infectatus est, obiecta ab eo crimina diluamus. Et rursus, in alio quodam Donatistarum Presbytero, cum Romanorum pontificum seriem enumerasset ab ipso beato Petro ad Anastasium qui tunc in Romana cathedra sedebat. Mox addit: In illum autem ordinem episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro vsque ad Anastasium qui nunc eandem cathedram sedet etiam si quisquam traditor per illa tempora subrepisset nihil prauidicaret ecclesiae, & innocentibus Christianis, quibus Dominus prouidens, ait de praepostitis malis: quae dicunt facite que autem faciunt facere nolite, dicunt enim & non faciunt: vt certa sit spes fidelium quae non in homine, sed in domino collocata nunquam tempestate sacrilegi schismatis dissipetur, sicut isti dissipati sunt,

Aug. ca. 16.
lib. de vnic.
baptif. con-
tra Petil.

Aug. ep. 105

22

Quorsum igitur scripturae, interpretationes nescio quas tanquam à Romanis pontificibus profectas affers? *Ex Romani pontificis sermone* (inquit) *ille interpretationes manarunt: Accipite, & comedite ex hoc omnes, id est sacerdotes Missas primas celebrare: Bibite ex hoc omnes, id est soli sacerdotes. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, ergo verbi ministro nefas est uxorem in matrimonium ducere. Nolite dare sanctum canibus, ergo populus à scripturae lectione arcendus.* An non haec te rudem planè, & in catholicorum libris ne mediocriter quidem versatum ostendunt? vel certè sycophantam esse probant, qui vel omninò ignores quibus scripturae firmamenti fidem Catholici suam stabiliunt, vel malitiosè cõfingis, quae nulli vnquam Romano pontifici ac ne erudito quidem catholico scriptori, ita in mentem venerunt vt à te proferuntur. Nam vt de illa interpretatione dicam quam tu solam indicare potuisti, quis vnquam vel Romanus pontifex, vel omnino catholicus scriptor ex illis Dei verbis: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, nulla alia adiecta ratione sacerdotum cœlibatum probauit? Syricius sanè pontifex, & Innocentius primus ex hoc loco collegerunt, cum christiani omnes, in sua quisque vocatione sancti esse debeant, rationi esse consentaneum, vt qui se diuino cultui in Euangelica lege totos dederunt, singulari quadam sanctitate ceteris se bene beatèque viuendi duces praebant. Ad quam rem cum vita caelebs multò quàm coniugalis sit aptior (nam

Siricius ad
Himer. Ta-
fac. c. 7. In-
nocent. ad
Vict. cap. 9
& ad Exup.

1. Cor. 7.

qui sine vxore est (inquit Apostolus) sollicitus est quæ domini sunt , quomodo placeat Deo , qui autem cum vxore est , sollicitus est quæ sunt mundi , quomodo placeat vxori , & diuisus est) quid mirum si ex hac sanctitate quæ in ecclesiæ ministris esse debet , coniugium illis omnino non conuenire aliquis colligat ? Sed tu pontificum illorum dissimulato contextu ea sola quæ carperes elegisti , ex quibus , si sola ponantur , quid illi sibi voluerint ne intelligi quidem potest . Eadem te fraude in cæteris quoq; vsus esse prudens lector facile iudicabit , & mihi non esset difficile ostendere , si tu vnde illas interpretationes corrasisses ausus esses indicare . Verum qui malè agit odit lucem . Ad Cusanum quod attinet , rectè sanè ab illo scriptum est , alio atque alio modò scripturam pro temporum ratione accipi posse atque exponi . Varios enim scripturæ sensus esse quis negat : sed illi tamen inter se minimè contrarij sunt . Nam qui contrarias pugnantésque scripturæ interpretationes affingit , siue Cusanus is fuerit , siue alius , Ecclesiæ certè interpretationem ignorat , quam Catholici solam sequimur . Illud autem quæle est , *quod ita multas cuiusque loci sententias nos fingere ais , allegaticas , tropologicas , anagogicas , vt verum ac natium sensum fidei commentationibus obruamus , huiusque rei testem diuini Thomam appellas .* Ad cõne impius es , vt varios diuinæ scripturæ sensus reiicere audeas ac repudiare , quas non vni uersa modò agnouit antiquitas , verum

D. Th. 1. p.
q. 1. art. 10.

etiam scriptura ipsa clarissimè nobis proponit ? Nam vt literalem hoc loco præteream , de quo dubitare nemo potest , quid de allegorico dici apertius potest quàm quod disertis verbis Paulus ipse ad Galatas scripsit . Quæ sunt per allegoriam dicta ? quid de tropologico clarius quàm quod idem ad Corinthios ait . Hæc autem omnia in figura contingebant illis , scripta sunt autem ad correptionem nostram . Quid deniq; de anagogico planius , quàm quod in epistola ad Hebræos ait ingressum summi sacerdotis in sancta sanctorum Christi ingressum in cælum adumbrasse , vt alia huiusmodi non pauca prætermittā : quæ te ignorare minimè miror , quæ in sacris literis per exiguos fecisse progressus tuus iste libellus satis ostēdit . Nos diuinā hanc scripturæ sacræ fecunditatē admiramur , suspicimus , ac veneramur , & suum cuiq; sensui locū ita tribuimus , vt vario hoc interpretandi genere verus ac natius scripturæ sensus non modò non obruatur , (vt tu calumniaris) verum etiam plurimum illustretur . Elegāter enim Ambrosius : duos oculos habens ecclesia , moralem & mysticum , fidei oculo plus videt Christum . Nō enim ignoramus quis demū scripturæ sensus confirmandis fidei dogmatibus argumentum suppeditet , quis conformandis moribus seruiat , quis ex veteris illius synagogæ , populique Iudaici statu , ad Ecclesiæ statum cognoscendum quasi manu nos ducat , quis denique humi iacentes , & terrenæ habitationis mole

Ambros. in
Psalm. 118.

D. rho. i. p.
q. i. art. 10.

depressos, ad cælestium & diuinarum rerum cõtemplationem euehat. Quod vel ipse quem citasti D. Thomas (vt veteres Ecclesiæ patres taceam) docere te potuit. At vos (vt ais) *nō aliam in scripturis interpretandis rationem sequimini, quā sanctorum patres præscripserūt. Nihilne tam manifesti mēdacij pudet? Nam si patres sequeris, cur hos sensus repudias quibus doctissima illorū monimenta passim abundant? Si modum in his sensibus eruendis adhibendum ais, quis hoc negat? & cur tu D. Thomā tam malitiosē traducis, quasi ille in his rebus modum, vel ipse non tenuerit, vel aliis non tenendum suaserit? Quid verò absurdius dici potest quam eādē vos interpretandi scripturas rationem sequi, quam patres præscripserunt, & ab eorum tamen sententia toto cælo aberrare? *Scriptura, scilicet, phrasim observatis circumstantias expēditis, scripturas cum scripturis comparatis, à fidei analogia non disceditis.* At hæc ante vos patres multò certè feliciter præstiterunt. Cur ergo quam illi fidem ex scripturis aduersus hæreticos suæ ætatis astruxerunt, vos destruere pergitis? cur in iis interpretandis doctissimos quosque sanctissimòsque patres tam impudenter exploditis? cur Beza vester (vt alios omittam) beatum Hieronymum, quem scelicissimum scripturæ interpretem tota antiquitas admirata est, tam petulantè exagitat? *Ego (inquit) coram Deo & angelis ipsius affirmo intolerandum esse multis in locis in detorquendis scripturis Hieronymi audaciam, quod**

Inc. 22. A. Ct.

fasebitur quisquis vel ea diligenter legerit, quæ in Iovinianū aduersus secundas nuptias, & aduersus Vigilantium de mortuorum inuocatione disseruit. Cur denique inter vos tot pugnæ: tot, tam variæ, tamque pugnantes interpretationes? Nimirum præclare Augustinus. In homine (inquit) carnali tota ratio intelligendi est consuetudo cernendi. Quidquid enim iactetis, vestramque in scripturis explicandis industriã summis licet in cælū laudibus euehatis, nihil tamen aliud agitis, quam vt ad illos errores, illa vestrorum capitum somnia quæ vobis ipsi effinxistis scripturas omnes, quamuis inuitas ac repugnantes trahatis: vt vobis illa fidei analogia, quam tam sæpe in ore habetis non sit, regula fidei, quam Ecclesia Catholica in scripturæ interpretatione perpetuò sequuta est, sed vestra ipsorū deliria, quæ quo magis ab omni antiquitate abhorret, eo vobis nouitate ipsa gratiora videntur. Tandem ad Campianum redis. Sciscitor (inquit ille) ab aduersariis, exempli gratia, quidnam sequuti nouam sententiam intrinuerint, qua Christus excluditur, è cæna mystica. Respondes. Christum nos à cæna non excludimus. Christi corpus comedi, Christi sanguinem bibi, credimus & docemus. Si tanto, imo longiori etiam à cæna vestra interuallo Christi corpus, quam cælum à terra disiungitur, quo tandem modo Christū à cæna non excluditis? aut quædem via longius eū ablegare potuistis? Neque est quod stolidum illud Caluini tui commentum huc afferas, Spiritum verè unire quæ locis dis-

Serm. 147.

Lib. 4. c. 17.
Sect. 10.

ab his, credo, vim ac beneficiū corporis illius excludere auderis. Quanquam quid ego de baptismo loquor? aut de concione, cum & sub veteri testamento antiquis illis patribus tam præsens fuerit corpus Christi quam vobis ad quos vim & beneficium corporis manasse constat. Quis verò hæc non rideat? Christi corpus neque adhuc natum, neque conceptum formatumve fuisse, & tamen verè præsens extitisse. Quasi quod ne fuit quidem omnino, præsens esse potuerit. Verū hic fides vestra suppetias vobis ferat oportet. *Fidei* (inquis) *presentem esse totum in cæna Christi defendimus.* Tanta nimirū est vestræ illius fidei vis, vt rerum naturas mirificè immutet, & quæ longissimè distita sunt, aut potius quæ omninò in rerum natura non sunt, ea mox præsentia reddat. Quidquid ergo fides vestra attinget veluti ferrum magnes ad se attrahit. Et cum non solum Christi corpus, sed & cælum ipsum, immò infernum adeòque ipsos dæmones attingat, non aliter vobis per fidem Christus præsens esse poterit, quam dæmones præsentem sunt. Et certè si ex animo & vobis consentanea loqui velitis, dæmonem magis quam Christum in cæna vestra præsentem habetis. Sed hæc portentosa iam missa faciamus, & quã te in reliqua disputatione præclare gesseris videamus. Nam cum supra te Christum à cæna mystica excludere pernegaris, nunc quæ aduertus Campianum afferis eò omnia spectant, vt pro Christi corpore, quod

suis

suis ipse verbis præsens esse fateretur, signū symbolum sacramentum substituas: nouamque hanc interpretationem quibuscumque potes argumentis confirmas: quam tuus scilicet ab angelo Zuinglius accepisse se ait, quo tempore nouum dogma de Eucharistia cudebat. Sic n. disputas. *Vt de circumcisione Deus dixit, hoc est fœdus meum, id est, fœderis symbolum, & agnus est phasæ, & petra erat Christus, quæ omnia per figuram intelliguntur, ita Christus cum dixit, Hoc est corpus meum, corporis sui figuram ac symbolum intellexit.* Has tu scripturas Caluini tui vestigia sequutus eadem qua ille cæcitate profers. Nam si sacros ipsos codices consulisses, vidisses facile vel nusquam hæc in vniuersa scriptura legi, vel si quid reperiatur huiusmodi, longè quàm tu accipis aliter esse interpretandum. Etenim quod primum ex benefici adducis, circumcisio est fœ-

Zuinglius
in lib. de
supplemento
cœnæ
Domini,
Genes. 17.
Exod. 12.
1. Cor. 10.

Genes. 17.

”
”
”
”
”

G

Exod. 12.

verò fœderis signum circumcissionem. Plus
 fortè præsidij in secundo loco est: què ex duo-
 decimo exodi capite citas, Agnus est phasè, què
 sanè verba ibi te numquam reperisse scio. Scri-
 pturæ verba sic habent. Sic autem comedetis
 illum; renes vestros accingetis, & calceamenta
 vestra habebitis in pedibus, habentes baculos
 in manibus, & comedetis festinantes. Est enim
 phasè transitus Domini. Vbi agnus non dicitur
 phasè, vt tu perperam exponis, sed causa
 redditur cur festinantes debeant comedere, his
 verbis *אֲנִי ה' אֱלֹהֵי מִצְרָיִם* quasi diceret, imminet
 vel instat hora qua Iehoua est transiturus,
 siue præteriturus vos percussis Ægyptiis. Mox
 enim sequitur. Et transibo per terram Ægypti nocte
 illa, percutiamq; omne primogenitum in terra
 Ægypti: Adde quòd neque agnus ipse erat
 signum illud de quo scriptura loquitur, in quo
 tu rursus erras, sed sanguis agni. Sic enim postea
 sequitur: Erit autem sanguis vobis in signum.
 Denique neque sanguis eo loco signum dicitur,
 quòd memoriam illius beneficij recoleret, (in quo
 tu tertium hallucinaris) cum nòdum esset collatum
 beneficium, sed potius significabat sanguis in illis
 ædibus illos habitare quibus beneficium illud
 erat conferendum. Sic enim cum dixisset. Erit
 autem sanguis vobis in signum, in ædibus in
 quibus eritis: quasi signum explicaturus adiecit.
 Et videbo sanguinem & transibo vos. nec erit
 in vobis plaga dispergens, quādo percussero
 terram Ægypti.

Denique vt de postremo dicam loco: nihil in
 eo est quod tuam illam interpretationem iuuet.
 Nò enim Paulus cum ait, petra autem erat
 Christus: figuratè Christum pro figura Christi
 sumit, ad quem tu modum corpus Christi accipiendum
 putas. Neque vllam, credo, scripturam inuenies
 vbi Christi corpus sumatur improprie. Quod verò
 in eo què affers Pauli loco figuratè accipitur,
 Petram, nomen est, petra enim Christi signum
 ac figura fuit. Bibebant (inquit Apostolus) de
 spiritali consequente eos petra; id est Christo.
 Nam neque petra quæ erat in Horeb illos
 perpetuo sequebatur, neque quæ ex petra
 effluerat aqua. Christus verò in eorum mentibus
 per fidem habitans spiritali eos potu perpetuo
 reficiebat. Quantumuis ergo hunc locum torqueas,
 nunquam tamen Christi corpus improprie
 esse sumendum euincas. Sed hæc de tuo in
 scripturis explicandis acumine dicta sint.
 Iam cætera expediamus. ac ne summo tecum
 iure agere videamur, demus hoc tibi (si placet)
 & circumcissionem fœdus appellari, & transitum
 Iehoua, & Petram Christum. Quis ita
 differentem ferat? circumcisio fœdus appellatur,
 & agnus Pascha, & Petra Christus, cum
 tamen hæc signa tantum, symbola & sacramenta
 fuerint: ergo Christus cum diceret, *hoc est corpus
 meum*, non nisi corporis sui signum intellexit.
 An non eodem iure Arius ex illo tuo antecedente
 verba etiam illa, *hic est filius meus dilectus*,
 & illa, *Deus erat verbum*: & Nestorius illa, Matt. 3: 17
Ioan. 1.

verbum caro factum est, per figuram esse accipiēda dixisset? Atque vt semel dicam, nihil tam in scripturis proprium, nihil tam verum esset, quod figuris & symbolis non liceret eludere. Tibi profecto, si quid tuis argumentis Calvinianam causam iuuare voluisses, non erat in tanta tam leuibus, vanisque coniecturis agendum: sed vel ex adiacentibus, vel aliis sanè apertioribus scripturæ locis (si quid tamè apertius esse possit) argumentum aliquod erat afferendum, quo corpus Christi & sanguinem non nisi improprie ac figuratè sumi hoc loco posse demonstrares. At neque hoc tu præstas (tanta est veritatis vis) neque Zuinglianus quifquam, siue maior Calvinianus præstare vnquã potuit. Nam vt præclare à Tertulliano scriptū est. *Non est verisimile vt ea species sacramenti in quam fides tota committitur, ambigūe enunciata & obscure proposita videatur. sed si temporalia, & localia, & personalia, Dei decreta atque iudicia, in vrbes, & gentes, tam aperta prophetia iaculata est, quale est vt aeterna dispositiones eius, & vniuersales in omne hominum genus lucem sui sugerint, quæ quanto maiora, tanto clariora esse debent, vt maiora crederentur.* Et beatus Hilarius cum de eodem hoc sacramento loqueretur. *An verbo (inquit) verba de fuisse putandum est? sed Christus (ais) hoc quod accepit in manus, dedit discipulis, panem verò accepit; panem ergo & dedit.* Vis vno verbo respōdeam: panem in manus accepisse fateor, dedisse discipulis nego. Etenim non minus aperte scriptu-

Tertul. cōtra Marcionem.

Hilarius lib. 3. de Trinit.

ra Iesum corpus suum discipulis dedisse, quam panem in manus accepisse testatur: vt vnum credere, alterum verò reiicere extrema sit amentia. Quid enim hoc est aliud quàm diuinā illam Christi εὐλογία vi sua omni, atque efficacia spoliare? Etenim si vt panem in manus accepit, ita nihil aliud quàm panem discipulis dedit, inanis certe illa εὐλογία, hoc est corpus meum, extitisset. Quod sine summa in Christū blasphemia dici aut cogitari nō potest. Nam si Christi ne maledictio quidem sua vi vnquam caruit, quis inanem illius benedictionem sine scelere dixerit? Longè profectò aliter Ambrosius, vt cæteros hoc loco præteream. *Benedictione (inquit) ipsa etiā natura mutatur. Quod si tantum valuit humana benedictio vt naturam conuerteret. Quid dicemus de ipsa consecratione diuina. vbi verba ipsa Domini saluatoris operantur? Etiam sacramentum istud quod accipis Christi sermone conficitur.* Neque satis mirari possum qua frōre Calviniani asseratis Christi corpus in cœna Apostolos manducasse, neque tamen illis præter panem Christum quidquam dedisse. Non enim Apostoli aliud manducarunt quàm quod acceperunt a Christo, neque aliud acceperunt, quàm quod iis ipse dedit: dedit verò nihil profectò aliud quam quod in manibus ipse habebat. Quare si non nili panem dedit, nihil certè præter panem discipuli manducarunt. Sed absit ab Apostolorum mentibus tam impia cogitatio: Nam post tam clarā Christi de carne sua māducanda pro-

Lib. de iis qui myster. inicianur cap. 9.

Ioan. 6.

missionem, post agni illius typici esum, quo caro ipsius in cibum exhibenda adumbrabatur, quid quæso illi aliud quàm Christi corpus, quod & promissum, & agni typici figura adumbratum fuerat, expectare potuerunt? Quod cum Christus suo ipsius ore tam disertis verbis dare se profiteretur: quo tandem modo, quod vos impie asseritis, in mentem illis venire potuit, Christum nõ suum ipsius corpus dedisse, sed panem tatum, quem neque se dare profitebatur, neque daturum aliquando promiserat, neque figuris certè vllis adumbrarat? Hæc nimirum Caluini vestri blasphemia est: qui si fortè Iudæ loco quem quidam absentem fuisse suspicantur; cœnæ dominicæ interfuisset, haud aliter, opinor Christum fuisset alloquutus, quàm eum mihi aliquando amicus quidam non illepidè, & ad suam de Eucharistia sententiam accommodatè loquẽtem introduxit. Tu quidem hoc quod nobis das corpus esse tuum dicis, ego verò vt credam animum inducere nõ possum. Neque enim corpus tuũ nobis das, neque dare omnino potes. Quod ego tamen mea fide cum volo præsens efficio. Nam si fidem cohibeo præsens non est: Si exero, præsens est. Non quidè ita præsens vt nobis in terris adsit, sed quod nos ad illud in cælum euehamur. Quibus verò id machinis fiat, arcanum maximum est, quod ego ipse Ioannes Calvinus experior magis quàm intelligo. Tu ergo, quidquid dicas, nihil aliud quàm panem mihi & vinum das: at ego sum

Cal. lib. 4. c.
17. sect. 19.

Calui. lib. 4.
c. 17. sect. 10.
Lib. 4. c. 17.
sect. 31.

lib. 4. cap.
17. sect. 32.

qui corpus tuum & sanguinẽ incredibili quodam modo mea mihi fide exhibeo. Apostoli verò adhuc rudes, ac nondum ita in diuinis rebus exercitati in reconditam hanc, ac mysticã Caluini Theologiam penetrare minimè potuerunt: sed planis ac apertis Christi verbis quæ decuit animi summissione fidem adhiberunt. Quid plura? Tu ipse whitakere, quo te cumque veritas, negare certè non potes quin alio modo Calvinus Christum in cœna præsentem credat, quàm Apostoli crediderunt. Ille enim præsentem credit, non quod in terris sit, sed quod nos ad eum in cælum euehamur: Apostoli verò nihil sanè minus quàm se in cælum euehi crediderunt vt Christi præsentia potirentur. Longè etiam in cœna vestra sublimius arcanum est, quam in Apostolorum cœna fuit. Nam multò sanè longioribus scalis opus habetis, vt in cælum euehamini, ac Christo præsentis sitis, quàm Apostoli quibuscum Christum eadem in domo fuit. Iudice enim Caluino, cum hoc illud sit reconditum cœnæ vestræ arcanum quod spiritus verè coniungat quæ immensis locorum interuallis distra sunt: per exiguum sanè mysterium in Apostolorum cœna fuit, si cum vestra conferatur, in qua toto cælo & amplius Christus à vobis abest. Profers deinde Pauli verba, quibus illum ais panis nomen Eucharistiæ tribuisse. Quotiescunque (inquit) manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec I. Cor. II.

Ioan. 6.

veniat. Sed quis non videt non de vulgari quo
 vescimur pane Apostolum esse loquutum, sed
 de eo de quo Christus ipse: Ego sum (inquit)
 panis viuus, qui de cœlo descendi. Vt enim
 omittam non panem simpliciter, sed: Hunc
 panem, Apostolo vocari: quid dici potest aper-
 tius quàm quod ipse se ipsum explicans quem
 panem intelligat satis declarat? Vnum (inquit)
 corpus, & vnus panis sumus, omnes qui de vno
 pane & de vno calice participamus. Quo loco
 Panis nomen ad Corpus significandū ita trās-
 fertur, vt Paulo idem sit vnu corpus fieri, quod
 vnum panem. Porro insigne miraculū in Eu-
 charistia, Campianus agnoscit: tū contra, *Insi-
 gne* (inquit) *miraculum nō agnosco, & tibi cum Au-
 gustino respondeo. honorem tanquam religiosa habere
 possunt, stuporem tanquam mira non possunt.* Neque
 (quæ tua est cæcitas) animaduertis Augustinū
 eo loco mira vocare, non quæ fides complecti-
 tur, vt: Deum esse trinum, & vnum, & alia id
 genus, sed quæ ex corporea materia præter na-
 turalem rerum cursum atque ordinē, ad quid-
 piam sensibus nuntiandum diuinitus adhibē-
 tur. Quale cum in Eucharistia nihil cernatur,
 rectè profectò Augustinus quæ in sacramento
 videntur stuporem tanquam mira non habere
 pronuntiat. Quòd si de huius mysterij sublimi-
 tate, ac miraculi magnitudine Augustini sen-
 tentiam audire desideras, vel ipsum, quem ci-
 tasti librum consule. Non enim (inquit) sancti-
 ficatur vt sit tam magnum sacramentum, nisi

Aug. l. 3.
 cap. 4 de
 Trinit.

operante inuisibiliter spiritu Dei. Atque vt
 idem reliquos sensisse patres minimè dubites,
 Iustinum audi Martyrem, qui hoc miraculum
 cum incarnatione Christi conferens affirmat, Iust. apol.
 Eodem verbo Domini incarnatum Christum,
 & panem fieri carnem Christi, Cyrillus verò
 Hierosolymitanus eleganter sanè miraculum
 his verbis expressit, aquam (inquit) aliquando
 murauit in vinum, quod est sanguini propin-
 quum, & non erit dignus cui credamus quòd
 vinum in sanguinem transmouit? Cypr. In-
 effabiliter effundi, ait, diuinam essentiam & om-
 nipotentia verbi factam carnem profiteretur. Cypr. ferm.
 Chrysoft. Non sunt (inquit) virtutis humanæ de cœna.
 hæc opera quæ fecit Christus in cœna. Et rur- Chrysoft.
 sum: Credamus vbique Deo, nec repugnemus homil. 83. in
 ei, etiam si cogitationi absurdum videatur, su- Matth.
 pererque & sensum, & ratiocinationem no-
 stram. Nam verbis eius defraudari non possu-
 mus, nec falsa esse possunt: at sensus deceptu
 est facillimus. Quia ergo ille dixit, Hoc est cor-
 pus meū, nulla teneamur ambiguitate fratres.
 Illud etiam ignorantiam egregiè tuam demō-
 strat, quòd fingere nos ais *Corpus Christi non à
 piis tantum, sed ab ipsis etiam sceleratissimis homini-
 bus sumi posse.* Non enim hoc nos fingimus,
 sed scriptura testatur, patres docuerunt, & ipsa
 denique tanti sacramenti ratio exigit. Enim-
 verò quid apertius, quàm quod Paulus ait, qui-
 cunque manducauerit panem hunc, & biberit
 calicem Domini indignè, reus erit corporis &

lib. 5. contra
don. cap. 8.

li. cōt. Fulg.
den. c. 6.

Tert. lib. 4.
contr. Mar-
cion.

fanguinis Domini? Nam si neque corpus man-
ducat, neque sanguinem bibit, quo tandē mo-
do vtriusque reus erit? Quod Augustinum mi-
nimè latuit cum ait: Corpus, & sanguis Domi-
ni nihilominus illis erat, quibus dicebat Apo-
stolus, qui māducat, & bibit indignè, iudicium
sibi manducat, & bibit. Et rursum. Nam & Iu-
das proditor bonum corpus, & Simon Magus
bonum baprisma percepit. Denique cum in
sacramento, non participantium fides, sed ipsa
Dei omnipotentia corpus Christi præsens effi-
ciat, quomodo etiam sceleratis, & impiis Chri-
sti corpus non erit? quasi vlla hominum impi-
etas Christum possit mendacem efficere. Sed
hæc (vt video) fidei vestræ summa est: si vultis,
Christi vobis corpus est: si non vultis, non est.
Ridiculam sanè fidē Calviniani habetis, quam
tu cum nullis scripturæ testimoniis confirma-
re possis, ad antiquorum deinceps Ecclesiæ pa-
trum testimonia prouocas: à quibus tamen
nihil est quod opem vllam auxiliū me speres.
Ac de Tertulliano quidem, quem tu primum
causæ tuæ patronum videri vis, facile dictū est.
Professus (inquit) se cōcupiscere edere pascha,
vt suum, acceptum panem, & distributum di-
scipulis, corpus suum illum fecit. Hoc est cor-
pus meū dicēdo, id est corporis mei figura. Nō
ignoras, credo, non semel hoc Tertul. testimo-
nium à catholicis clarissimè esse explicatum.
Tu si bonā nobiscum fide ageres, eorū respon-
sionem argumēto saltem aliquo refellere, non

eandem cantilenam perpetuò nobis occinere
debuisses. Tertullianus sanè Marcionem eo li-
bro confutat hæreticum, aduersus quem vt
eundem esse (quod impius ille negabat) vete-
ris, nouique testamenti authorem ostenderet,
quæ in lege Evangelica Christus gessit, eadem
testamenti veteris, cum prophetiis prædicta,
tum figuris adumbrata fuisse copiosè demon-
strat, atque inter cetera exempla illud etiam de
pane affert, quem in veteri quidem lege corpo-
ris Christi figuram fuisse ait, in noua verò, vt
figuræ veritas, vmbraque res ipsa responderet,
ex pane, qui olim figura erat corpus ipsum fa-
ctum esse. Hoc sibi Tertullianum voluisse, nō
ille modò, quem dixi libri scopus indicat, verū
etiam ipsius Tertulliani verba luce clarius
ostendūt. Quod enim addit, figura autem non
fuisse, nisi veritatis esset corpus. quid quæso
aliud, quam de veteris se testamenti figura lo-
quutum significat? Etenim si in noua lege pa-
nem corporis Christi figuram esse dicere vo-
lisset, non (fuisse) profectò, sed (esset) dixisset.
Quod tamen verbum rursum etiam repetit,
cum paulò post ait. Cur autem panem, corpus
suum appellat, & non magis Peponem, quem
Marcion cordis loco habuit, non intelligens
veterem istam fuisse figuram corporis Christi?
Audis whitakere Tertullianum dicere panem
non Christi corporis in nouissima cœna figu-
ram esse à Christo institutam, sed veterem tan-
tum figuram fuisse. Cui vt respondeat veritas;

ex eodem pane in noua lege, non umbra corporis, aut figura, (sic enim lex noua nihil amplius quàm uetus haberet,) sed corpus ipsum diuina uirtute conficitur. Id quod illa etiam Tertulliani uerba confirmant. Itaque illuminator (inquit) antiquitatum quid tunc uoluerit significasse panem satis declarauit, corpus suum vocans panem. Vbi rursum non ait uelle nunc Christum illuminatorem antiquitatum in noua lege panem significare, sed quod tunc uoluerit significasse panem. Denique quid apertius quàm quod paulò post addit. Ita nunc sanguinem suum in uino cōsecrauit; qui tunc uinum in sanguine figurauit. Vbi à figuratiōe consecrationem distinguens, figuram uino tribuit, consecrationem, sanguini in uino: figuram ueteri legi, consecrationem nouæ. Neque id iniuria. Si enim in ueteri testamento panis ac uinum Christi corporis ac sanguinis figura fuerunt, quis non uidet ut huic figuræ in noua lege ueritas respondeat, ex pane uerum corpus, uerumque ex uino sanguinem confici oportere? Neque Calvinum hoc tuum latuit: qui cum argumenti huius vim ferre se non posse conspiceret, communem omnium patrum interpretationem, ad quorum tu testimonia fidemque tam audacter prouocas, magno fastu iecit. *Veteres (inquit) tam ridiculè per panem corpus Christi interpretati sunt illud Ieremia: mittamus lignum in panem eius, id est crucem in corpus eius, ut ratio & ueritas cogat nos dissentire. Quidquid sci-*

Calu. lib. de
re for. Eccl.
Ierem. II.

licet cum ipsius sententia, siue de Eucharistiæ sacramento, siue de aliis religionis mysteriis pugnat, à quocunque tandem scriptum sit, rationi omni, ac ueritati contrarium censeatur oportet. Ac Tertullianum quidem quàm rectè intellexeris uides. Beati uerò Augustini sententiam multò profectò minus es assequutus. *Iudam (inquit Augustinus) adhibuit ad conuiuium, in quo corporis & sanguinis sui figuram discipulis commendauit.* Quis hoc Catholicus negat? aut quis non intelligit figuræ nomine ab Augustino sacramentum significari? Quàm uerò ridiculum illud est: quia figuram, siue sacramentum corporis & sanguinis sui dedit, corpus ipsum ac sanguinem non dedisse? cum Diuus Augustinus de eodem Iuda alio in loco sermonem faciens tolerasse dicat Christum Iudam inter innocentes discipulos sumere quod norunt Christiani pretium nostrum. Num tu signum aliquod pretium fuisse nostrum dicere audebis? Neque hic ad spiritalem illam siue phatasticam corporis Christi manducationem locus aliquis refugij superest. Cum Iudas impius spiritualiter corpus Christi māducare non potuerit. Alium deinde Augustini locum profers. Non enim dubitauit dominus dicere (inquit Augustinus) hoc est corpus meum, cum signum siue sacramentum daret corporis sui. Sacramentum enim ex Augustini sententia est rei sacre, quam continet, uisibile signum. Vnde in epistola ad Bonifacium, & ipsum sacramen-

August. in
Psal. 3.

epist. 162.

contra Adi-
mantum,
cap. 12.

Epist. 23.

Lib. 83. qu.
9. 42.

tum corporis Christi quodam modo ait corpus Christi appellari, sicuti Baptismus siue sacramentum fidei fides vocatur. Et lib. 83. quaestionum ipsum Christum vocat sacramentum filij Dei. Quam sanè loquendi formam contra Manichæos sequutus, Christum ait ipsum sacramentum corporis sui corpus suum vocasse. Cum enim Manichæi variis de causis vetus testamentum reicerent, atque inter alias illam etiam afferrent, quod sanguinem Moyses animam appellasset: acutè Augustinus respondet præceptum illud in signo esse positum, quod sanguis nimirum, etsi propriè anima non sit, signum tamen animæ intus latentis existat: quemadmodum & ipsum corporis Christi sacramentum, quod sensibus nostris obiicitur, corpus Christi appellatur, quia corporis Christi quod continet signum est, sicut animæ signum est sanguis. Quam Augustini interpretationem nõ alius sanè quam ipse nobis Augustinus suppeditaui. Quærendæ (inquit) sunt locutiones significantes per id quod continet id quod continetur, vt quoniam anima sanguine tenetur in corpore, eius nomen sanguis acceperit. Ex quo illud sanè efficitur. Signum hoc loco non nudum & inane symbolum intelligi, sed quo res ipsa quæ significatur verissimè continetur. Vides, opinor, si quid videre potes, quemadmodum anima sanguine continetur, ita Augustinum sacramento Christi corpus verè contineri credidisse. Eo enim modo Christum corpo-

Quæst. 57.
in Leuit.

„
„
„

ris sui sacramentum corpus suum vocasse interpretatur, quo Moyses sanguinem animam vocauit, *μετωνυμικῶς* nimirum, vt, ei quod continet rei contentæ nomen tribuatur. Illud etiam te fallit, quod Augustinus nouæ legis sacramenta, non nuda & inania signa, vt tu existimas, esse putauit, sed quæ res ipsas quarum signa sunt verè contineant. Quo sanè modo & Bucerus vester signi nomen hoc loco à patribus accipi non dubitauit. *Patres* (inquit) *vocant signa exhibitiva quibus id sistitur, & quasi in manibus traditur quod illa significant, Dominus dixit, Hoc est corpus meum, non, Hoc est spiritus meus, vel virtus mea.* Ac rectè ille quidem: Quid enim hoc aliud esset, quam Christum fallacem existimare, si talia nobis signa reliquisset quæ rerum quas significant inanes essent, perinde ac si quis appensa tabernæ hedera, venale ibi vinum esse significaret, vbi venale omnino nõ esset? Ac ne te diutius veterum auctoritate premam, quam facillè soles contemnere, Caluini ipsius verba audi: *Neque est quod obiciat* (inquit) *quispiam figuratam esse loquutionem. quæ signata rei nomen signo deferatur, fateor sanè si actionem panis symbolum esse, non res ipsam veram, hoc posito, à symboli tamen exhibitione non ipsam exhiberi rite colligemus. Nisi enim quis fallacem vocare Deum volet, inane ab ipso symbolum proponi nunquam dicere audeat. Atque omnino isthæc piè tenenda regula est, vt quoties symbola vident à domino instituta, illi rei signata virtutem adesse cerò cogitent, ac sibi per-*

Bucerus in
præfat.
Euang.

Lib. 4. inf.
cap. 17. sect.
10.

suadeant. Vos igitur qui symbolis panis ac vini Christi corpus ac sanguinem minimè adesse putatis, Christum mendacem vel ipso iudice Caluino facitis. Nec me latet quibus ille strophis vt fucum imperitis faciat, vtatur. Vt enim argumenti huius vim eludat, à sacramento ad sacramenti participationem dilabitur. Quòd sacramenti participatio signum esset inane, nisi & Christi carne verè participaremus, eaque re satisfactum nobis abundè existimat. Quasi verò Christus sacramenti participatione ipsium sacramentum vocarit, ac non potius hoc ipsum quod in manibus habuit ac discipulis dedit. Quare, si iudice Caluino participatio sacramenti quamuis sacramentum non sit, fallax tamen signum esset, nisi verè etiam Christi carne participaremus, multò sanè maiori ratione & sacramentum ipsum quod ad significandum nobis diuinitus institutum est, signum quoque fallax esset, nisi corpus Christi nobis præsens contineret. Quàm ergo absurdum est, quod Christus discipulis dedit, non aliter dici Christi corpus & sanguinem quàm quòd vt corpus pane & vino alitur, ita animus corpore ac sanguine Christi nutriatur? Quid enim hoc est aliud quàm illa verba, Hoc est corpus meum in hunc modum interpretari, huius rei manducatio est signum manducationis corporis, siue carnis meæ, quo nihil dici vanius, nihil absurdius, nihil à Christi verbis, atque Ecclesiæ Catholicæ sensu alienius potest: Illud iam sequitur

tur

tur quod de flagitio ex Augustini libris de doctrina Christiana affers, vbi de Phrasi scripturæ iudicada in hæc ferè verba scribit. *Si (inquit) flagitium & facinus videtur iuere, aut beneficentiã verare, figurata est loquutio. Nisi manducaueritis (inquit Dominus) carnem filij hominis, & sanguinem biberitis, nõ habebitis vitam in vobis: facinus & flagitium videtur iuere, figura est ergo præcipiens passioni Domini esse communicandum.* Equidem hic verba Augustini agnosco, à quorum tẽ sensu longissimè video aberrare, neque intelligere quem Augustinus manducandi modũ cum scelerè ac flagitio coniunctum esse dixerit. Quod tamen ex eodem Augustino facile discere potuisses. Acceperunt illud stultè (inquit) carnaliter illud cogitauerunt, & putauerunt quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis. & in Ioan. Pro vt voluerunt, ita intellexerunt, & more hominum, quia poterat Iesus, aut hoc disponebat Iesus, carnem qua indutum erat verbum veluti concisam distribuere credentibus in se. Et rursus. Caro nõ prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt: carnem quippè sic intellexerunt quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Hoc verò immane facinus esse quis negat? Ab eo ergo manducandi modo ad spiritalem alium, & sacramento huic consentaneum, verum tamen & realem nos reuocat. Neque etiam in illis verbis figuram Augusti-

August. li. 3.
cap. 16.In Comm.
in Psal 98.Tract. 27.
in Ioan.

H

Ioan. 6.

nus constituit in quibus Caluiniani, vt Christi corpus in Eucharistia esse negét, cōstituerē solēt. Nā vt in illa loquutione, *Hoc est corpus meū*, in corporis & sanguinis vocibus tropum esse confirmet, in altera etiam, qua Christus ait, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam* in vobis, tropum in carne & sanguine Caluiniani constituunt, cum tamen in manducandi potius verbo constitui omnino debeat: Neque carnem Christi manducare, sed laceram & discerptam (vt Caparnaitæ intelligebant) manducare flagitium Augustinus putauit. Integrā enim carnem Christi sumere non magis Christiano homini facinus est, quā beatæ Virgini fuit eam integram concipere, & in vtero suo alere. Quemadmodum enim sine vlla cuiusquam iniuria Christum in vtero concepit, & aluit, & concipiendo vitam ei tribuit: ita nos carnis Christi manducatione & vitam animæ spiritualem, & corporis etiam ad immortalitatem resurrectionem, absque vlla Christi iniuria nobis acquiritimus. Sic enim Christus ipse: *Qui manducat me (inquit) & ipse viuet propter me, & ego resuscitabo eum in nouissima die: hoc est, Cyrillo interprete, corpus meū illum ad immortalitatem à morte resuscitabit.* Postremò vt in huiusmodi manducatione carnis Christi neque flagitium, neque facinus vllū est, ita si August. regulā in scripturis explicandis sequi volumus, minimè ob eam causam

Ioan. 6.

Cyrril. in hūc locum.

» propter me, & ego resuscitabo eum in nouissima die: hoc est, Cyrillo interprete, corpus meū illum ad immortalitatem à morte resuscitabit. Postremò vt in huiusmodi manducatione carnis Christi neque flagitium, neque facinus vllū est, ita si August. regulā in scripturis explicandis sequi volumus, minimè ob eam causam

quod flagitium vel facinus includat, figuratē ceteri loquutio debet. Quin & ipse Diuus Augustinus cum ad hanc manducationē ea verba retulisset, quæ sine vlla corporis Christi & sanguinis iniuria fit, non figuratam sed propriam loquutionem intellēxit. Quid sibi (inquit) vult quod à sanguine sacrificiorum quæ pro peccatis offerēbantur tantoperè populus prohibetur? Sed illis omnibus sacrificiis vnū hoc significabatur, in quo fit vera remissio peccatorum, à cuius sacrificij sanguine non solum nemo prohibetur, sed omnes exhortantur, quotquot volūt habere vitam. quod illis mox Christi verbis confirmat. *Nisi manducaueritis, &c.* Ex quibus sanè constat tam verè Christianos sanguinem Christi sumere, quā veterum sacrificiorum sanguinem bibere erat prohibitū. Quid plura? Nam & Caluinus ipse cum realem corporis & sanguinis Christi manducationem fateatur, vel nullam in hac loquutione figuram agnoscat necesse est, vel certè non talem quæ corporis & sanguinis Christi veritate excludat. Sic enim ille: *Falsò iactant (de Catholicis loquitur) quidquid docemus de spiritali manducatione, vera & reali, vt loquuntur, opponi. Quādo quidem non nisi ad modum respicimus, qui apud eos carnalis est, dum Christum panem includunt, nobis spiritalis, quia vis arcana spiritus nostre cum Christo coniunctionis vinculū est.* Qua ergo vos frōte Augustinum dicitis, dum hæc Christi verba spiritaliter intelligenda asserit, realem veramque

Vide Aug. 9. 57. in Leuiticum.

lib. 4. c. 17. sect. 37.

manducationem excludere: Et si Caluino, vobisque Calvinianis tam frequens in ore est nos non nisi spiritualiter carnem Christi manducare, hócque vos docere clamatis non vt realem illius manducationem excludatis, sed eum tantum qui à nobis asseritur, quem esse carnalem falsissimè dicitis: quidni quæso dixerit Augustinus Christu de carne sua spiritualiter manducanda esse loquutum, vt verè carnalem Carnaiarum manducandi modum excluderet? Quare vt nihil hic de mirifica illa māducatione vestra reali dicā, quæ simul realis est & planè phantastica, neminem esse arbitror tam vestris præstigiis miserè excæcatum, qui quam ineptè hunc nobis Augustini locum obiciatis non facile videat. Venio deinceps ad Theodoretum: Symbola (inquit) mystica non amittunt propriam naturam *quæ sententia* (ais Campiano) *transsubstantiationem tuam prorsus iugulauit.* O egregium militem! qui arma contra se suppeditat aduersario. Valdè profectò destitui te oportet bonis argumētis, quando etiā ea quæ te ipsum refellunt affers. Quid enim apertius ab vlllo authore dici potuit quā quod à Theodoro pro nostra sentētia scriptum est Corpus ac sanguinē Christi sub panis & vini symbolis contineri? *Erastus.* Quid æstimas donū altaris quod per sacerdotis inuocationem offeritur? *Orthodoxus.* Ego cibum & potum, vt ex sui natura esse iudico. *Erastus.* Sed quid facta sanctificatione reputas? *Orthodoxus.* Corpus

Theodor.
dial. 2. v. 7.
265.

Dialog. 2.

& sanguinem Christi. Et creduntur esse quæ dicuntur, & tanquam talia adorantur. Potuitne quidquam apertius contra symbolicam vestrā cœnam dici aut cogitari? Sed transsubstantiationem tibi Theodoretus negare videtur. Si Lutheranus tu, non Calvinianus esses, nō te adedò ridiculū præberes, cum hoc Theodoro testimonio nos vrges. Sed cum & tu Calvinianus sis, & hic de transsubstantiatione non agatur, valde sanè ridiculus es. Quid quod neque Theodoretus vel ipsis Lutheranis quidquam adstipulatur? Hæreticos enim ille eo loco refellit, qui humanam Christi naturā in diuinam prorsus fuisse mutatam docebant. Adedò vt ne ipsas quidem humanæ naturæ proprietates remanere contenderent, quod quædam Christo conuenirēt quæ saluis humanæ naturæ proprietatibus illi tribui nequaquā possent videbatur, vt quod super mare ambularet, quod naturali corporis grauitati aduersabatur, quod ad discipulos ianuis clausis esset ingressus, quod cum naturali mole ac magnitudine pugnabat, aliāque id genus. Atque vt suam facilius sentētiā explicarent Eucharistiæ utebantur exemplo: in qua panis vini que substantiā in corpus & sanguinem Christi mutari ex communi omnium Christianorum consensu asseriebant. adedò id tunc nemini dubium erat, vt hoc veluti argumento. firmissimo aduersus Catholicos hæreticos vterentur. Quibus Theodoretus respōdet, non ita elementa in Christi corpus & sanguinem

Dialog. 2.

nem mutari vt illi naturam humanam in diuinam mutaram esse fingeant. Panis enim in Eucharistia viniq̄ue naturales proprietates minime mutari affirmat, vt illi naturam humanam in diuinam conuersam volebant. Manent (inquit) in priori natura, figura, ac specie. Ideoque videntur & palpantur sicut antea: vt apud Theodoretum naturæ nomine naturales rei proprietates intelligi debeant. Quod illi sanè satis superque fuit vt hæreticos Eucharistiæ exemplo perperam vti ostenderet, qui neque humanæ naturæ proprietates in Christo saluas permanere credebant, cum in Eucharistia integræ panis viniq̄ue proprietates existant. Et certè si transsubstantiationem ecclesia tum nõ credidisset, neque Eutychiani tam stulti fuissent, vt rem tam manifestè falsam pro argumento afferrent, neque Theodoretus tam diligenter accuratèque respondisset sanctificari quidem panem & vinum in carnem & sanguinem Christi, atque μετασχηματισθαι, id est transelementari, palpari tamen & videri vt antea, quasi diceret transelementari quidem panem & vinum, naturales tamen elementorum proprietates manere. Theodoretum Macarius sequitur. Ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ προσφέρεται ἄρτος καὶ οἶνος ἀντίτυπα τῆς σαρκὸς αὐτοῦ καὶ τῆς αἱμάτων. in ecclesia offertur panis & vinum ἀντίτυπα corporis & sanguinis Christi. Quæ verba tu etiam multò minus quàm superiora intelligis. Neque enim, vt tu existimas, idem est

Macarius
hom. 27.

ἀντίτυπον quod figura vel τύπος, sed id quod in figuræ locum substituitur, quod & ipsa nominis vis atque notio satis declarat, & ex sacramentum scripturarum veterumque Ecclesiæ patrum Græcorum vsu satis perspicitur. Ita enim Apostolus Petrus: aquam baptismi vocat ἀντίτυπον 1. Petr. 3. aquarum illarum quibus per arcam Ecclesiæ typum in diluuiio octo ille animæ saluatæ sunt. Et Epiphanius vocat τὰ μὴ παλαιὰ μυστήρια τῶν νεῦ πάχα ἀπὸ παλαιῶν μυστήρια ἀντίτυπα non veterascētia noui Paschæ mysteria. Quod & Cyrillus aliis verbis expressit: καὶ φαγὼν τὸν τύπον ὡς πληρωτῆς τῆς τυπικῶν ἐξέφανε τὴν ἀληθειαν. cum comedisset typum, hoc est agnum typicum, vt impletor typicorum protulit veritatem, eodémque reliqui patres modo loquuntur, vt nobis in nouo testamento corpus & sanguinè Christi dari ostendant tanquam ἀντίτυπα pro typis illis atque figuris quibus in veteri testamento adumbrabatur. Atque ἀντίτυπων nomine eo patres libentius vsi sunt, quod etsi corpus Christi & sanguinem verissimè in sacramēto habemus, tamen rector & velatum, & non in propria specie quam illi ἀρχέτυπον appellarunt, vt ex sancti Maximi verbis perspicuum est: καὶ τὰ ὡς δεδειχθέντα 2. Max. lib. 2. καὶ τῶν ἐν ταῦτα ἀποθητῶν συμβόλων ἡμῶν ἀρχέτυπα χαίρεται μυστήρια: id est, largitur nobis archetypa mysteria quæ hic nobis per symbola in sensum cadentia ostensa sunt. Vbi ἀρχέτυπα siue mysteria vocat ipsum corpus

1. Petr. 3.

Homil. de
resurrect.In serm. de
coena Dom.
& lot. pedū.S. Max. lib.
de Eccles.
mystag.

& sanguinem, propria specie in cœlo apparētia
 quę quod nō nisi beatis reuelētur, mysteria vo-
 cavit: Et Ioannes Damascenus ἀντίτυπα autē
 futurorum dicuntur, non quasi non sint verē
 corpus & sanguis Christi, sed quia nunc per
 ea participamus diuinitatem Christi, tunc autē
 intellectualiter per solam visionem participa-
 bimus. Et rursum. Non est τύπος seu figura
 panis & vinum corporis & sanguinis Christi
 (absit enim hoc) sed est ipsum corpus Domini
 deificatum, ipso Domino dicente hoc est, non
 τύπος corporis mei, sed corpus meum, non
 τύπος sanguinis, sed sanguis. Quod & Cyrill.
 Hieros. dixit. ἐν τῷ πῶ τῆ ἀρτῆς, id est, in spe-
 cie panis, datur tibi corpus, & ἐν τῷ πῶ τῆ οἴνου,
 id est, in specie vini sanguis. Hoc enim est ha-
 bere nos ἀντίτυπα: corpus nempe & sanguinē
 Christi panis viniq̄ue τύπω velata. Quod &
 ibidem addit. Qui videtur (inquit) panis, nō est
 panis, sed corpus Christi. Immō & Macarius
 ipse eo quem citas loco ne quis tecum erraret,
 mox ea quę tu subdolē tacuisti addidit. Qui
 sumunt (inquit) ἐκ τῆ φαινομένης ἀρτῆς,
 id est, ex eo qui apparer panis, carnem
 Christi comedunt. Ex quibus patet ἀντί-
 τυπα cum vocasse ipsum Christi corpus &
 sanguinem, sub typo velata. Atque hęc qui-
 dem de antitypis, vt quę huius nominis vis at-
 que notio apud veteres fuerit videas. Quan-
 quam non ignoro corpus Christi, vt sacra-
 mento regitur, etiam comparatione sui, vt

Cyrrill. ca-
tech. 4.

in cruce oblatum est ἀντίτυπον rectē dici.
 Vt omittam, quod iam olim Damascenus scri-
 psit. Et si quidam ἀντίτυπα corporis & sangui-
 nis Domini panem & vinū vocauerūt vt deifer
 vocauit Basilius: non tamē post sanctificationē
 dixit, sed priusquam sanctificaretur oblatio.
 Vides ergo quā multā nobis, quāque faci-
 faciles & expeditā viā suppetāt, quibus & pa-
 trum sententiā explicemus, & leuissimas tuas
 cōiecturas ab illorum mente lōgissimē abesse
 ostendamus. Laudo tamen ingenium tuum
 quod cum paucissimā te patrum testimonia,
 eaque summa vi detorta habere intelligas, vt
 maximam tamen copiam in summa inopia ia-
 ctes: Nullam, ais, in hoc iudicio antiquitatem refugio
 nullum conciliū, nullum patrem, nullum omnino syn-
 cera vetustatis monumentum. Quoniā igitur tu ita
 vis conditionem lubens accipio, & cum vnico
 contentus sis, ne parcus videar, tecum agam
 liberalius. Primum verō Ignatium proferam.
 Eucharistias, inquit, & oblationes non ad-
 mittunt, quod non confiteantur Eucharistiā
 esse carnem Seruatoris nostri Iesu Christi quę
 pro peccatis nostris passā est, quam pater sua
 benignitate suscitauit. Quod testimonium an-
 te annos mille & eo amplius ex Ignatio contra
 sui temporis hæreticos citauit Theodoretus.
 Iustinus Martyr. Quemadmodum per ver-
 bum Dei incarnatus est Iesus Christus, Salua-
 tor noster, & carnem, & sanguinem pro nostra
 salute assumpsit, ita quoque per preces verbi

lib. 4. c. 14.

66

67

68

69

70

71

72

73

74

75

76

77

78

79

80

81

82

83

84

85

86

87

88

89

90

91

92

93

94

95

96

97

98

99

100

101

102

103

104

105

106

107

108

109

110

Ignat. epist.
ad Smyca.

Theod. dia-
log. 3.
Iust. apol. 2.

« illius, cibum ex quo sanguis & caro nostra per
 « imitationem aluntur, cum benedictus fuerit,
 « Iesu ipsius incarnati carnem & sanguinem di-
 lib. 5. contr. dicimus esse. Irenæus. Quando ergo & mix-
 hæres. rus calix & fractus panis percipit verbum Dei,
 « fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi, ex
 « quibus augetur & consistit nostræ carnis sub-
 « stantia: quomodo negat carnem capacem esse
 « donationis Dei, quæ est vita æterna, quæ san-
 « guine & corpore Christi nutritur, & mēbrum
 « eius fit, quemadmodum Apostolus ait in ea
 « quæ est ad Ephesios epistola. Quoniā membra
 lib. de Re- sumus corporis eius, & ossa de ossib⁹ eius. Ter-
 surr. carnis. tull. Caro abluirur, vt anima emaculetur, caro
 « inungitur, vt anima cōsecratur, caro signatur,
 « vt anima muniatur, caro manus impositione
 « adumbratur, vt anima spiritu illuminetur, caro
 « corpore & sanguine Christi vescitur, vt & ani-
 ma Deo saginetur. Origenes. Quando san-
 Hom. 6. in diuersoslo- ctum cibum illudque incorruptum accipis
 eos. epulum, quando vitæ pane & poculo fruens
 « manducas & bibis corpus & sanguinem Do-
 « mini, tunc Dominus sub testum tuum ingre-
 « ditur. Et tu ergo humilians te ipsum imitare
 « hunc Ceterationem & dicito: Domine non sum
 « dignus vt intres sub testum meum. Vbi enim
 « indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur
 De cœna accipienti. Cyprianus. Panis ille quem Do-
 Domini. minus discipulis dedit, non effigie, sed natura
 Hil. li. 8. de mutatus omnipotētis verbi dei factus est caro,
 Trinit. Hilarius. Non est humano, aut sæculi sensu in

Dei rebus loquendum, neque per violentam
 atque impudentem prædicationem cœlestium
 dictorum sanitari, alienæ, atque impiæ intelli-
 gentiæ extorquenda peruersitas est, quæ scripta
 sunt legamus, & quæ legimus intelligamus, &
 tunc perfectè fidei officio fungemur. De natu-
 rali enim in nobis Christi veritate quæ dicimus,
 nisi ab eo discimus, stultè atque impiè dicimus.
 Ipse enim ait, caro mea verè est esca, & sanguis
 meus verè est potus. qui edit carnem meam, &
 bibit sanguinem meum, in me manet, & ego
 in eo. De veritate enim carnis & sanguinis non
 est relictus ambigendi locus. Nunc enim &
 ipsius Domini professione, & fide nostra verè,
 caro est, & verè sanguis est, & hæc accepta atq;
 hausta id efficiunt, vt nos in Christo, & Chri-
 stus in nobis sit. Basilii. Interrogatio. Quali
 cum animi persuasione affectione corpus &
 sanguinem Christi communicemus? Respon-
 sio. Fidem faciunt verba Domini, qui dixit,
 Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.
 Gregorius Nyssenus. Quærebatur quo modo
 illud vnum corpus Christi omnem hominum
 in quibus fides est naturam viuificaret, & in
 omnes ita distribueretur vt nullam diminutio-
 nem subiret. Et paulò post, Corpus pro-
 preterea quòd Deus verbum in illo habitauit di-
 uinam obtinuit dignitatem: quamobrem rectè
 nunc etiam Dei verbo sanctificatum panem in
 Dei verbi corpus credimus commutari. Et
 enim corpus illud potentia erat panis: sancti-

In regul.
 breuiorib.
 quæst. 172.

In cateche-
 tico.

Catech.
mystago-
gica,Lib. 4. de
sacramētis
cap. 4. & 5.
& de iis qui
mysteriis
iniciantur
cap. 9.

ficatum est autem habitatione verbi quod in
carne habitauit. Itaque qua ex causa panis in
eo corpore mutatus, in diuinam virtutem
transiit, eadem de causa nunc etiam fit, non
quidem quia comeditur eò progrediēs vt ver-
bi corpus euadat, sed statim per verbum in
corpus mutatur, vt dictum est à verbo, Hoc est
corpus meum. Cyrillus Hierosolymitanus.
Cum Christus ipse de pane pronuntiauerit, &
dixerit, Hoc est corpus meum, quis audebit de
mysterio ambigere? Et cum idem ipse tam as-
seueranter dixerit, Hic est sanguis meus, quis
vnquam dubitauerit, vt dicat non esse eius
sanguinem? Aquam olim in vinum conuertit
in Cana Galileæ, quod cum quandam habeat
cum sanguine propinquitatem, facile in illum
transmutatur, & eum parum dignum existima-
bimus cui credamus quod vinum in sangui-
nem mutet? Ambros. Si tanta vis in sermo-
ne Domini Iesu, vt incipiant esse quæ non
erant, quāto magis operatorius est, vt sint quæ
erant, & in aliud commutentur? Cælum non
erat, mare non erat, terra non erat, sed audi di-
centem: Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit,
& creata sunt. Ergo vt tibi respondeam, non
erat corpus Christi ante consecrationem, sed
post cōsecrationem dico tibi quia iam corpus
est Christi. Ipse dixit, & factum est: ipse man-
dauit, & creatū est. Ergo didicisti quod ex pa-
ne corpus Christi fiat & quod vinum & aqua
in calicem immittitur, sed fit sanguis consecra-

tione verbi cœlestis. Epiphanius Videmus In anchoræ
enim quod acceperit saluator in manus suas, rato.
veluti euangelium habet, quod surrexit in cœ-
na, & accepit hæc, & vbi gratias egisset dixit,
hoc est meum, & hoc & hoc, &c. Et videmus
quod non est æquale, neque simile, non ima-
gini in carne, non inuisibili deitati, non linea-
mentis membrorum, hoc est enim rotundæ
formæ, & insensibile, quantum ad potentiam,
& voluit per gratiam dicere hoc meum est,
hoc, & hoc. & nemo non fidem habet sermo-
ni: qui enim non credit esse ipsum verum sicut
dixit, is excidit à gratia & salute. Quòd autem
audiuimus, id credimus, quod est ipse. Do-
minum verò nostrum nouimus totū sensum,
totum sensitūm, totum Deum, totum ope-
rantem, totum lucem, totum incomprehen-
sibilem, sed qui cum gratia hoc nobis largi-
tus est. Gregorius Nazianzenus. Cum graui
morbo periclitaretur, ad medicum omnium
mortalium confugit. cumque leuius aliquan-
tulum morbus vrgeret, ad altare cum fide:
Dominūque qui super illud colitur, maximo
clamore obtestans, omnibus nominibus ap-
pellitans, atque omnium rerum, quas vnquam
mirificè gessit cōmonefaciens, &c. Chrysost. Homil. 24.
Quādo id propositū videmus, dic tecū, propter in priorem
hoc corpus, nō amplius terra & cinis ego sum, ad Cor.
non amplius captiuus, sed liber. Hoc corpus
affixum, verberatum, morte victum non est.
Hoc corpus sol crucifixum vidēs radios auer-

tit. Propter hoc & velum templi scissum est, &
 terra vniuersa tremuit. Hoc idem corpus cruci-
 tatum, lancea vulheratum, fonte sanguinis &
 aquæ vniuerso orbi salutare scaturiuit. Idem,
 Dialog. 3. O miraculum, ð Dei benignitatem, qui cum
 de sacer. patre sursum sedet in illo ipso temporis arti-
 culo omnium manibus pertractatur; ac se ipse
 tradit volentibus ipsum excipere & comple-
 sti. August. Et ferebatur in manibus suis;
 In Psal. 33. hoc verò fratres quomodo possit fieri in ho-
 mine quis intelligat? quis enim portatur in
 manibus suis? manibus aliorum potest portari
 homo, manibus suis nemo portatur quod quo-
 modo intelligatur in ipso Dauid secundum
 literam non inuenimus, in Christo autem in-
 uenimus. Ferebatur enim Christus in manibus
 suis quando commendans ipse corpus suum
 ait, Hoc est corpus meum. ferebat enim illud
 corpus in manibus suis, &c. Idem. Quæro
 In Psal. 89. quid sit scabellum pedum eius, & dicit mihi
 scriptura; terra scabellum pedum meorum,
 fluctuans cõuerto me ad Christum, quia ipsum
 quæro hic, & inuenio quod sine anxietate ado-
 retur terra, sine anxietate adoretur scabellum
 pedum eius. Suscepit enim de terra terrâ, quia
 caro de terra est, & de carne Mariæ carnem ac-
 cepit: Et quia in ipsa carne sic ambulauit, &
 ipsam nobis carnem manducandam ad salu-
 tem dedit. nemo autem illam carnem mandu-
 cat nisi prius adoret, inuētum est quemadmo-
 dum adoretur scabellum pedum Domini, &

non solum non peccemus adorando, sed pec-
 cemus non adorando. Hieronym. Non Moy-
 ses dedit nobis panem verum, sed Dominus
 Iesus ipse conuiuia, & conuiuium, ipse come-
 dens, & qui comeditur. Cyrillus Alex. Nec
 dubites an hoc verum sit, eo manifestè dicente
 Hoc est corpus meum, sed potius suscipe ver-
 ba Saluatoris in fide. Cum enim sit veritas, non
 mentitur. Insaniunt igitur dicentes mysticam
 benedictionem à sanctificatione cessare, si
 quæ reliquæ remanserunt eius in diem sub-
 sequentem. Non enim mutabitur sacrosanctū
 corpus Christi, sed virtus benedictionis & vi-
 uificatiua gratia numinis in eo est. Idem. San-
 ctam, & viuificatricem & sine sanguine immo-
 lationem in ecclesia celebramus, non vnus
 secundum nos, hominisque communis corpus,
 quod offertur esse credentes, sed potius tan-
 quam proprium corpus factū, nec non & san-
 guinē omnia viuificantis verbi. Cõmunis enim
 caro viuificare non potest. Leo. Sic sacræ
 mensæ communicare debetis, vt nihil prorsus
 de veritate corporis Christi & sanguinis am-
 bigatis. Hoc enim ore sumitur quod fide credi-
 tur: Et frustra ab illis amen responderetur à qui-
 bus contra id quod accipitur disputatur.
 Damascenus. Interrogas quomodo panis fiat
 corpus Christi, & vinum sanguis Christi? re-
 spondeo tibi & ego. Spiritus sanctus obum-
 brat, & hæc operatur super sermonem & in-
 telligentiam. Panis autem & vinum transmu-

Quest. 2. ad
 Hedibiam.

Epistola ad
 Cœlesyriū
 Episc. Mar-
 cenoitem.

Caluinistæ
 insaniunt.

In interpre-
 tatione an-
 them, II.

Sermi 6. de
 ieiunio.

Lib. 4. de fide
 de Orthodj
 cap. 14.

tantur. Nouit enim Deus humanam infirmitatem nostram quod plura vsu non trita auerfatur molestè ferès. Hunc in modum quia mos hominibus est panem manducare, & vinum & aquam bibere, coniunxit his ipse suam diuinitatem; & fecit hoc suum corpus & sanguinem. Non est figura panis & vinum corporis & sanguinis Christi. Absit enim hoc, sed est ipsum corpus Deificatum; ipso dicente: Hoc est corpus meum. Non figura corporis, sed corpus, & non figura sanguinis, sed sanguis. Theophilactus. Panis qui à nobis in mysteriis manducatur non est tantum figura quædam carnis Domini, sed ipsa caro Domini. Non enim dixit panis quem ego dabo figura est carnis, sed caro mea est. Transformatur enim arcanis verbis panis ille per mysticam benedictionem & accessionem Spiritus sancti in carnè Domini.

in cap. 22.

Possent equidem his patrum testimoniis innumera adiungere alia. Sed cum id iam plures præstiterint, & tu vel vno contentus eras, pluribus hic non agam, quin potius vt tu fidem liberes vrgebo. *Integrum erit tibi* (inquis) *ad quemuis ex illo omni sanctissimorum patrum venerandis concessu prouocare. Nullum; nullum* (inquã) *eximo.* Feci ego Campiani nomine quod postulasti, Vicissimque à te meo iure postulo vt quod patres crediderunt, credas, quod docuerunt, doceas, & in quo illi honore Eucharistiã habuerunt habeas. Sic fidem præstitam præclarè liberabis. Doce (inquã) cum patribus hoc ipsum ore sumi

mi quod corde creditur. Non cum tuo Caluino aliud credi, siue per fidem participari, aliud ore sumi. Doce cum patribus nos non sola fide aut charitate, sed naturaliter & corporaliter per Eucharistiã Christo coniungi, non cum tuo Caluino, soli hoc fidei tribuendum esse. Doce cum patribus corpus Christi & sanguinem fieri per consecrationem cum à sacerdote ipsa sanctificationis verba proferuntur, non cum tuo Caluino haud aliter quam per fidem suscipientium in Eucharistia esse, quasi sibi quisque corpus Christi præsens efficiat. Doce cum patribus non otiosa sed efficacia siue operatoria (vt patres loquuntur) verba Christi in vltima cœna fuisse. Non cum tuo Caluino vi omni ac efficacia destituta: nihilque Christum suis verbis fecisse aliud, quam vt panem tanquam signum nobis sui corporis relinqueret, quod amicus quiuis amico discedenti largiri facile potest. Doce cum patribus non tantum animas spiritualiter ali corpore, & sanguine Christi sed etiã corpora ad immortalitatè nutriri: non cum tuo Caluino Eucharistiã nihil corporibus conferre, sed animæ tantum cibum esse ac pabulum. Doce cum patribus verbis Christi, Hoc est corpus meum, esse credendum, quantumuis sensus & ratio auersari videantur, & non cum tuo Caluino, sensui prorsus ac rationi credendum. Doce cum patribus in hoc mysterio summum miraculum esse quod Christus simul in cœlo sit, & in altari: & non cum tuo Caluino

Leo Ser. 6.
de ieiunio,
Hilar. 8. de
Trina.

Ambr. ca. 9.
de iis qui
myst. initiã.

Iusti, apol. 2

Irenæus,
lib. 5. contr.
hæres.

Chrysost.
hom. 81. in
Matth.

Chryf. li. 3.
de Sacerd.

Aug. in
Psal. 33.

Greg. Niss.
in Cath.

Aug. in
Psal. 89.

Christi corpus in altari non esse, sed tantum distare quantum à terra cœlum. Doce cum patribus Christum quando dixit, Hoc est corpus meum, seipsum suis manibus tulisse, & eo quidem modo quo nullus hominum se ferre potuit, & non cum tuo Caluino Christum non se, sed panem tantum in manibus tulisse, sui corporis signum, quod quibus hominum nullo negotio præstiterit. Doce cum patribus ut panis in carnem Christi dum hic in terris ageret, caloris nativi beneficio in carnem eius vertebatur, ita panem in Eucharistia, per verbum sanctificationis in ipsius carnem conuer- ti: non cum tuo Caluino nullam omnino in panem mutationem fieri. Doce cum patribus in Eucharistia Christi corpus adorandum esse, non cum blasphemo tuo Caluino idololatrias esse qui illud adorant. Doce cum patribus ita corpus Christi in Eucharistia esse ut in sacrificio Deo patri offeratur: Non cum tuo Caluino corpus Christi absque summa Dei iniuria in sacrificium offerri non posse. Denique ut finem aliquando faciam doce cum patribus verba illa à Christo prolata (Hoc est corpus meum) in hunc modum exponenda esse, ut verum ibi corpus Christi sit, non cum tuo Caluino, non aliter intelligenda quam quod ibi corporis Christi symbolum sit siue figura. Hoc ni feceris academicos testor causa te iam omnino cecidisse. Quod tu mihi sanè fateri videris. Nam mox veluti mutata sententia alio te ver-

tis. Nos (inquis) patrum non serui sumus, sed filij: Quando ex auctoritate diuina aliquid nobis præscribunt, tanquam parentibus obtemperamus: vos tanquam mancipia dicta patrum vniuersa sine iudicio arripitis: Si tecum patres omnes idem sentiunt, quid te illorum addicere sententia dubitas? Cur qui ad patres antea tanta fiducia protocasti nunc tanquam re desperata ab iis appellas? quæ hæc leuitas? Quæ inconstantia? Næ illi sibi malè cōsulit qui talibus Proteis salutē suā cōmittunt, De quibus rectissimè Cæpianus: *Rem sic instituit* (inquit) *ut nisi reorum iudicio steterit, nullū iud. citū sit futurum.* *Æquum verò non est* (ais) *ut Romanū pontificis iudicio stemmus.* At nihil hic Campianus de Romano dixit pontifice, sed vos cum rei sitis, simul esse iudices velle quæstus est. Quod si vobis ipsi de vestra causa iudicandi auctoritatem non arrogatis, quem ergo controuersie iudicem, qui sententiam proferre possit in terris eligitis? Lutherum fortasse, Caluinum aut Bezam: At ego rursum de Lutherofiscitor, vllūanne in terris ille iudicem habuit? An fortè omnium mortalium legibus solutus, missus est (ut de se ipse ait) *tanquam ovis in medio luporum, hoc est, ut Papa, Cardinalibus, Episcopis & similibus* (ut ipse modestissimè loquitur) *lupum uirā det, illosque in ordinem redigat.* Plurimum, ut video, in cōmuni illa & hæreticis omnibus familiarī arrogantiā profecistis, in qua vel veteres illos patriarchas vestros longè luperatis, qui Apostolicam sedem, & si cane peius &

Lutherus in
cap. 10.
Matth.

De peccat.
orig. contra
Pelagian. &
Cælest. c. 6.

anguē semper oderint, illius tamen censuram vehementer reformidarunt, neque palam repudiare ausi sunt, vt de Pelagio & Cælestio Augustinus testatur, à quibus vestras de baptismo hæreses mutuati estis. Egit (inquit Augustinus) cum homine papa Zozimus vt sedis Apostolicæ literis, quæ à sanctæ memoriæ tuo præcessore manuerant præberet assensum. At ille noluit quidem diaconi obiecta damnare, sed beati Papæ Innocentij literis non est ausus obstere, sed se omnia quæ sedes illa damnaret, damnaturum promisit. *Romanum (ais) Põtificem maximorum criminum reum facimus. Quem quæso pontificem, & ad quod tribunal, & quibus de criminibus accusatis? sanè si conuitia ac linguæ procacitas purgandis omnibus criminibus sufficiant, facilis esset, & cuius obuia ratio iudicia omnia eludendi. Video tamen quem iudicem appellas. Quanto (inquis) rectius Augusti scripturarum authoritatibus, non quorumcumque propriis, sed vtriusque communibus testibus res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet. Harum nos, inquis, iudicio, nõ nostro stare volumus. Quàm verò hic ineptè, quam ridiculè Augustinum citas! qui scripturam cor munem esse veritatis testem voluit, tu iudic. m. Certè si Augustinum tanti faceres, quanti præ te fers, nihil hæc ad declinandum Romani Pontificis iudiciũ spectare facile vidisses, cui minimè vnquam dubium fuit, supremum hoc in tertis esse tribunal, ad quod omnes de religione controuersæ finirentur. Clarissimè enim ille pronuncia-*

Aug. contra
Max. lib. 3.
cap. 14.

scripturarum authoritatibus, non quorumcumque propriis, sed vtriusque communibus testibus res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet. Harum nos, inquis, iudicio, nõ nostro stare volumus. Quàm verò hic ineptè, quam ridiculè Augustinum citas! qui scripturam cor munem esse veritatis testem voluit, tu iudic. m. Certè si Augustinum tanti faceres, quanti præ te fers, nihil hæc ad declinandum Romani Pontificis iudiciũ spectare facile vidisses, cui minimè vnquam dubium fuit, supremum hoc in tertis esse tribunal, ad quod omnes de religione controuersæ finirentur. Clarissimè enim ille pronuncia-

aduersus Donatistas Melchiadis, & aduersus Pelagium ac Cælestium Innocentij, & Zozimi sententia, nullam in terris aliam esse expectandam censuit. Sed vt ad eum quem tu profers locum respondeam: cum hæreticos cerneret sibi malè conscios apostolicæ sedis tribunal, & concilij etiã Niceni iudicium. modis omnibus declinare: & iam ad scripturas, iam ad Ariminensem prouocare synodum: vt nihil pro illorum salute intentatum relinqueret, non recusauit fortissimus miles quibus vellèt aduersarij armis certare. Quod & nos vobiscũ iam facimus, tamen si & ab apostolica sede, & ab Oecumenica totius orbis synodo iam olim estis damnati. At quis tandè disputandi finis erit, nisi quod Campianus faciendum dixit, vbi de scripturarũ interpretatione inter nos minimè conuenit, ad veterum Ecclesiæ patrum testimonia vtrique confugiamus, non ad Lutherum, Zuinglium, Calvinum, vel Bezam? Cui tu. *Dic mihi (inquis) fratercule, quid sit quo minus horum quos nominas singuli tã potuerint scripturas fideliter enarrare quã ij qui seculis aliquot antecesserunt? quid istis defuit quod illi habuerunt? quæ ars, quæ lingua, quod subsidium? Et quid, obsecro, patribus defuit, in quo Lutherus, Zuinglius, Calvinus, Beza, excelluerunt, vt abiecta patrum interpretatione, hos in scripturis intelligendis nouos sequi magistros debeamus? nisi fortè quod liliorum in humeris stigmatè ob nefandi criminis perpetracionem cum Caluino iniusti non fuerunt, nec votas deo virgines incestis connubiis*

epist. 102. &
lib. 2. contra
duas epist.
Pelag. ca. 3.
& de pecc.
orig. contr.
Pelagiũ &
Cælest.
cap. 6.

cum Luthero funestant, nec classicum seditionis hæreticis cum Zuinglio cecinerint, nec Cádidas cum Beza, & Audēbertos habuerint, nec extraordinarij, vt ita dicam, propheta, sed legitima successione creati pastores, nec apostata, sed in suscepto semel vitæ instituto constantes fuerunt, nec vxores ducere, sed cælibem agere vitam voluerunt, nec nouorum dogmatum authores, sed illius quã à maioribus acceperant fidei defensores fuerunt: & ob hæc tam graua, vt vobis videtur, crimina nouus ille Euangelij vestri spiritus, quo dũce scripturas enarrarent non tam illorũ mentibus quam vestris illuxit. Alias enim causas quam has, aut his similes, etsi diu mecum multũque cogitarim, inuenire tamen nullas potui. Illud verò nos propius fortasse attingere tibi videtur quod de tuis magistris gloriaris. *Horum* (inquis) *nullus est qui non Iesuitarum vniuersam nationẽ doctrina atq; omni laudis genere longè superarit.* Prudẽtius sanè fecisses Whitakere si priusquã toti Iesuitarũ nationi tam petulãter insultares, cum vno Edmundo Campiano fortiter conflixisses, qui si vos solus ita exercuit, ita conceptam de vestra secta opinionem ex multorum animis deleuit, vt eo superstite vniuersũ ministrorum ordinem metus ingens exanimarit, ne mox ab omnibus deserti parietibus concionari cogerentur, nimium tu certè impudenter totam, vt vocas, Iesuitarum nationem cõtemnis, quæ quantulacunque est, multo tamen

quam Calvinistarum natio in orbe Christiano latius patet, & vel hoc solo nomine omnibus hæreticorum nationibus felicior est, quod catholicæ Ecclesiæ, infima licet, ac minima, pars tamen aliqua est. Quæ si de artibus illis ac linguis, quarum tantam vobis peritiam tribuere soletis, certare vobiscum stauisset, nõ est ad eò, his præsiidiis destituta vt qui eam te melius nouerunt, vestras illi vires magnoperè pertimescendas existiment. Sed leuiora sunt huiusmodi certamina, in quibus neq; vincere gloriosum, neq; succubere turpe sibi vnquam duxit. Fidei causa est quam nos defendimus, cuius certissima veritate, diuinique auxilij spe haud dubia freti, nullas hæreticorum minas pertimescimus, nulla certamina recusamus.

TERTIA RATIO.

AVdito Ecclesiæ nomine, hostis expalluit. Sed tamen excogitauit quiddam, quod à vobis animaduerti volo, vt falsi ruinam, & inopiam cognoscatis. Senserat in Scripturis tum Prophetiis, tum Apostolicis, vbique honorificam Ecclesiæ fieri mentionem: vocari ciuitatem sanctam *a*, fructiferam vineam *b*, montem excelsum *c*, directam viam *d*, columbam vnicam *e*, regnum Cœli *f*, sponsam *g*, & corpus Christi *h*, firmamentum veri *i*, multitudinem illam, cui Spiritus promissus instillet omnia salutaria *k*: illam, in quam vniuersam

- a Apoc. 21. v. 10.
- b Psal. 79. v. 9.
- c Isa. v. 2.
- d Il. 35. v. 8.
- e Cãt. 6. v. 8.
- f Matt. 13. v. 24.
- g Cãt. 4. v. 8.
- h eph. 5. v. 23.
- & 1. Cor. 12. v. 12.
- i 1. Tim. 3. v. 15.
- k Ioan. 14. v. 26.

- nullæ sint vnquam fauces diaboli morsum le-
 tiferum *a*, impacturæ: illam, cui quicumque re-
 pugnet, quantumuis ore Christum prædicet,
 non magis Christo, quàm publicanus aut eth-
 nicus *b*, potiatur. Non est ausus contrauenire
 sonitu, videri noluit ecclesiæ quam toties Scri-
 pturæ commemorant, refragari, nomen calli-
 dè retinuit, rem ipsam funditus, desiniendo, su-
 stulit. His enim proprietatibus delineauit Ec-
 clesiam, quæ penitus ipsam occultant, & dimo-
 tam à sensibus, tâquam idèam Platoniam, se-
 cretis obtutibus hominum, per paucorum sub-
 iiciant *c*, eorum tantummodo qui singulariter
 afflati, corpus hoc ærium intelligentia com-
 prehenderent, & huiusce sodalitatis participes
 subtili quodam oculo iustrarent. Vbi candor?
 Vbi simplicitas? Quæ scripturæ, quæ sensa, qui
 patres, hoc penicillo depingût Ecclesiam? Sunt
 Christi ad Asiaticas *d*, ecclesias, sunt Petri, Pau-
 li, Ioannis, aliorum, ad diuersas epistolæ: fre-
 quentes in Actis Apostolicis inchoantur &
 propagantur Ecclesiæ *e*. Quid istæ? num soli
 Deo & sanctis hominibus, an christianis etiam
 cuiusque generis manifestæ? Sed profectò, du-
 rum telum necessitas est. Ignoscite. Nam qui
 seculis omninò quindecim, non oppidum, non
 villam, non domum reperiunt imbutâ doctri-
 na sua, donec infelix monachus *f*, incesto con-
 nubio votam Deo virginem funestasset, aut
 Heluetus gladiator *g*, in patriam coniurasset,
 aut stigmaticus perfuga *h*, Geneuam occupaf-

a Matt. 16.
v. 18.

b Matt. 18.
v. 17.

c Cal. Inst.
li. 4. c. 1. nu.
2. & 3.

d Apoc. 1.
2. 3.

e Act. 8. 10
11. & seq.

f Lutherus

g Zuingl.
h Caluinus

fer: Ij coguntur Ecclesiam, si quam volent, in la-
 rebris venditare, & eos parentes asserere, quos
 nec ipsi nouerint, neque mortalium quisquam
 aspexerit. Nisi fortè gaudent maioribus illis
 quos hæreticos fuisse liquet, vt Aërio, Iouinia-
 no, Vigilantio, Heluidio, Iconomachis, Beren-
 gario, Waldēsibus, Lolhardo, wiclefo, Hussio,
 à quibus pestifera quædam fragmenta dogma-
 rum emendicant. Nolite mirari si fumulos
 istos nò pertimui, quos, modò ad meridianam
 lucem venero, minimè fuerit laboriosum dis-
 pellere. Hæc est enim nostra sermocinatio.
 Dic mihi, sub scribis Ecclesiæ quæ seculis ante-
 actis viguit? omninò. obeamus ergo terras &
 tempora: cui? cœtui fidelium, quorum? nomi-
 na nesciuntur, sed constat plurimos extitisse.
 constat? quibus constat? Deo. quis dicit? nos,
 qui diuinitus edocti sumus. fabulæ. quæ credã?
 si arderes fide, tam scires hoc, quàm te viuere.

Spectatum admissi risum teneatis?

Iuberi Christianos omnes adiungere se Ec-
 clesiæ, cauere ne spiritali gladio trucidentur,
 in domo dei pacem colere, huic animas crede-
 re columini veritatis, isthic querelas omnes
 deponere, hinc eiectos habere pro ethnicis, ne-
 scire tamen tot centenis, tot homines, vbinam
 illa sit, quæ huc pertineant? Vnum illud cre-
 pare in tenebris, vbi, vbi sit Ecclesia, tantum-
 modò sanctos & in æthera destinatos ea con-
 tineri? Ex quo fit, vt si quis imperiũ sui præsu-
 lis detrectare velit, scelere soluatur, dummodò

Henri Pan-
tal, in Chro.

sibi persuadeat presbyterum in crimen incidisse, & ab Ecclesia protinus excidisse. Cum scirem aduersarios talia cōminisci, quod nullius ætatis Ecclesiæ consueissent, & orbatos tora re, velle tamen inter angustias vocabulum possidere, solabar me vestro acumine, atque adeo mihi pollicebar fore, vt quamprimum huiusmodi technas ex ipsorum cōfessione cerneretis, statim homines ingenui & cordati stultas argutias in vestram intextas perniciem discerneretis.

CONFVTATIO RESPONSIONIS

WHITAKERI.

AD disputationem de Ecclesia tanquam de via fessus accedis, & cum aduersus Campianum neque arma tibi, neque vires suppetere videas, vt locum respirandi aliquem inuenires, remorari aliquantisper lectorem verborum inani strepitu voluisti, quique perpetuus hæreticorum mos fuit, aduersus Romanam ecclesiam omniconuitorum genere maledicam linguam armare. Quibus ego, ne tui similis videar, silentio respondendum esse duxi. *Catholici* (inquis) *uestri turbulenti aliarum disputationum procellis in-*

stati in isto ecclesiæ portu libenter conquiescunt. Bene habet sanè, quod catholicos nos esse agnoscis. Sic enim maiores tui, id est hæretici omnes, catholicos vocare consequerunt. Velint enim nolint ipsi quoque hæretici & schismatū alumni (inquit Augustinus) quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quam catholicam vocat. Non enim possunt intelligi nisi hoc eam nomine discernant quo ab vniuerso orbe nuncupatur. Magnū verò nobis crimen obicitis, quod turbulentis, vt ais, disputationum uestrarum procellis iactati in ecclesiæ portu libenter cōquiescamus. Quasi verò aduersus hæresum tempestates portus aliquis tutior, aut fida magis statio inueniri possit maiorive nos reprehensione digni simus, qui vt ingruentes hæresum tempestates vitemus, ad ecclesiæ nos portum recipimus, quam qui diluio regnare, ne aquarum impetu obruerentur, in arcam Noë, quæ ecclesiæ tum typus fuit, sese receperunt. Ecclesia est enim, vt elegantissimè Cyprianus scriptum reliquit, Cuius scætu nascimur, cuius lacte nutrimur, cuius spiritu animamur, quæ nos Deo seruat, quæ filios regno quos generauit assignat. Quisquis ab ea segregatus est adulteræ iungitur, à promissis ecclesiæ separatur, nec perueniet ad Christi præmia qui reliquit ecclesiam Christi. alienus est, profanus est, hostis est, habere iam non potest Deum patrem, qui ecclesiam non habet matrem. Si potuit euadere

Aug. de vera relig. c. 17

Cypr. de unit. eccles.

quisquam qui extra arcam Noë fuit, & qui ex-
tra ecclesiam foris fuerit, euadet. Tu ergo si hęc
nobis stationem deferendam asseris, aliam ma-
gis fidam ostende. *Sed & nos (inquis) Ecclesiam
tanquam matrem colimus ac veneramur.* Cur ergo
nobis vitio vertis quod disputationum vestrarum
procellis agitati libenter in hoc portu cõ-
quiescamus? Quomodo enim matrē quę nos
genuit, suõq; nos sinu perperuõ fouere deber,
deserere possumus? Et si eo quo dicitis loco ec-
clesiam habetis, cur ad illam non cõfugitis? cur
in disputationibus aduersum nos vestris, illius
authoritate vos nunquã defenditis? Quis enim
aliquãdo Lutheranus, quis Calvinianus, cū Ca-
tholicis disputas eccles. authoritate, vel se tueri
atq; defendere, vel aduersarios oppugnare est
ausus? Scripturis illi quidẽ, patribus, cõciliis, etsi
perperã, summãq; impudẽtia, tamẽ interdũ vtĩ
tur, ecclesię authoritate nunquã. Nec immeri-
tõ, nulli enim non est perspicuũ illius ecclesię
quã prophetę olim prædixerunt, & quã status
naturãq; noui testamenti postulat, ne leuissimã
quidẽ apud illos vmbřã inueniri posse. Quę res
in causa est cur omni qua possũt arte illius au-
thoritãtẽ eleuare studeãt, adẽd vt ne ab horř-
dis quidẽ blasphemis interdũ sibi tẽperent, dũ
Christi spõsam, quã sibi ille perpetuo fidei vin-
culo desponsauit, falli, errare, decipi posse sce-
leratissimẽ cõtendunt, & quantumuis eã velut
matrẽ se colere ac venerari verbo proficãtur,
ad rem tamen vbi ventũ est, nihil nobis aliud
quã pro ecclesia Platonica quandã ideã ob-

trudant, in qua tot anteactis seculorum spatiis,
nulli pastores, nulla sacramẽta, nulli ritus, nullę
cerimonię, nulla fidei confessio, nulli Christia-
ni populi cętus, nulla tẽpla, nulla altaria, nullũ
deniq; christianę religionis vestigiũ appareat.
Hoc verõ illud est quod meritõ vobis Cãpia-
nus obiecit. *His enim, inquit, proprietatibus deli-
neãt ecclesiã quę penitus ipsam occulant, & dimotã à
sensibus tanquã ideã Platonica secretis obrutibus ho-
minũ per paucorũ subiiciãt.* magnũ hoc fanẽ crimẽ
est, & in euãgelicis hominibus, quales vos pro-
fitemini, minimẽ tolerandũ. Quod tu cũ cona-
ris diluere, clarius multõ atque iuculẽtius red-
dis. *Ecclesiã, inquis, proprietates illas ascribimus, quę
verã ecclesiã naturã continet: quę si adsunt, ecclesiã
cõstituent, & tollunt si auferantur.* addis deinde: *Id
nos verã eccles. propriũ esse iudicamus vt verbũ Christi
audiãt, & cõseruet, vt sacř amẽtis integrẽ pureq; vta-
tur.* Agnosce ritã scholę vestrę respõsionem,
qua nihil aliud quã tenebras sc̃ctatorib; vestris
offũditis. Enimuerõ nõ aliter nobis integer pu-
rũq; sacramẽtorũ vsus, & verbi prædicatio quã
per ecclesiã cõstare potest. Quare nõ his tanquã
notis ecclesia nobis querẽda est: sed hęc ipsa ab
ecclesia discẽda. sic enim Isa. *Erũ in nouissimis die-
bus preparatus n. õs domus domini in vertice montũ
& eleuabitur super colles. Et sũet ad eũ omnes gẽtes,
& ibunt populi multi, & dicent: Venite ascendamus
ad montẽ Domini, & ad domũ Dei Iacob, & docebit
nos vias suas.* Vias ergo Domini in hoc mõte di-
scere debemus, nõ his viis montẽ quẽrere, quas
nisi eccl. cõmonstrante nunquã cognoscerem;

Cõfess. Aug.
art 7.
Brent. in
conf. Viti-
tomb ca. de
eccl. Magd.
cent. 1. c. 2.

[Isaie 2]

Nos enim veluti in tenebris versamur: ecclesia
verò facem nobis præferat necesse est, si vias
Domini videre volumus. Vos verò Calviniani
iis similes estis qui de nocte ambulant, ac ne-
mine viam commòstrantè tenerè se tamen
viã putant: nec ex ducè viam, sed ducem ex viã
inuestigare pergunt. Aliter profectò longèque
prudètius Irenæus. Quid enim (inquit) si de ali-
qua modicã quæstione disceptatio orta fuisset,
nonne oporteret in antiquissimas recurrere ec-
clesias, & ab iis sumerè de præsentè quæstione
quod certū est? aliter Tertul. Quid prædicatè.
De præscr. rint apostoli; quid illis Christus reuelauerit, &
hic præscribã, nõ aliter probari debere nisi per
casdè ecclesias quas ipsi apostoli condiderunt.
Si hæc ita sunt, constar proinde omnem do-
ctrinam quæ cum illis ecclesiis apostolicis &
matricibus & originalibus fidei conspiret ve-
ritatem deputandam: reliquam verò omnem
de mendaciò præiudicandam. Hoc sanè adeò
verum est, vt apertam Caluino confessionem
vis ipsa veritatis expresserit, dum ait: *Digni*
esse qui fame & inedia pereant, quicumque spiri-
tualem anima cibum diuinitus sibi per manus Ec-
clesiæ porrectum respiciunt. Cum igitur is demum
salutaris animæ cibus sit; quem fidissima
veritatis cùstos ecclesia; veluti suis nobis
manibus porrigit, veræ profectò doctrinæ
iudicium non à phanatico priuati cuiusquam
hominis enthusiasmo, sed ab ecclesia peti de-
bet. Quod si tam claræ adhuc tamquæ manife-

Lib. 3. ca. 4

De præscr.

Lib. 4. ca. 1
Eccl. 5.

stæ veritati obstitit, dicite si potestis quis illis
vnquam vestigiis ecclesiam inuenit? aut quid
est aliud ex illis eam notis inuestigare, quam
obscurum (quod dicitur) per obscurius quære-
re: Neque enim fieri potest vt verus cuiquam
sacramentorum vsus legitimæque verbi præ-
dicatio ipsa notior ecclesia esse possit, aut ali-
ter nobis quam per ecclesiam innotescere: vt
infantulus, nisi inuenta nutrice, orèque vberibus
admoto, lac quo nutriatur nunquam in-
ueniet. Nam, vt eleganter Augustinus, ecclesia,
vt regenerandis sinū, ita regeneratis vbera præ-
bet. Quid enim si vbi vera sit ecclesia dubitan-
ti, summòque id studio inuestigati pro magno
quis respondeat, ibi esse vbi cunq; verum Dei
verbum, purusque & integer sacramentorum
vsus fuerit? An non sibi illusum potius quam
responsum alter putabit? cum non minus de
his quàm de ipsa quam quærit ecclesia dubi-
ter, ideòque ecclesiam quærat vt hæc ipsa ab
ecclesia discat. Quid verò si quærat ex vobis,
quibus potissimum notis doctrinam sanam à
corrupta, & à legitimo sacramentorū vsu, adul-
terinum discernat? ad scripturas, opinor, illum
remittetis? Et quid est aliud scriptura quam
ipsum Dei verbum? Verbum ergo ex verbo
inuestigabit. Et quomodo tandem hanc esse
scripturam cognoscet? hic sat scio ad spiritum
illum vestrum tanquam ad extremam ancho-
ram confugietis. Sed hoc quã ineptum? quam
ridiculum? post tot ambages, tam varios tamq;

finuosos dubitationum anfractus ad phanati-
 cum illum vertiginis spiritū rem omnem tan-
 dem aliquando perducere? Cur enim non po-
 tius in ipso dubitationis ingressū ecclesiæ no-
 tas quibus inueniri posset quærenti vnico ver-
 bo responditis? Ex spiritu scilicet ecclesiam
 esse cognoscendam. Sic enim & illos quæren-
 di, & vos respondendi labore facile leuasse-
 ris: cum hæc summa rei sit, illam demum verā
 esse ecclesiam quam suus cuique spiritus verā
 esse suggererit. Hoc enim in causa est vt aliam
 esse videamus Lutheranis ecclesiā, Zuinglianis
 aliam, aliā denique Calvinianis, quia horū sin-
 gulis suus est spiritus. Ac vt ita rem se habere
 clarissimè videas, in mentem tibi reuoca Lu-
 therum, Zuinglium, Caluinum his eccle-
 siam notis quibus tu quærendam dicis, summa
 olim diligentia inuestigasse: sed cum neque in
 Europa, neque in Asia, neque in Africa vllam
 in qua ipsorū iudicio eæ notæ essent ecclesiam
 inuenire potuissent, nouūque orbem pige-
 ret accedere, vt diurno sese molestōque lon-
 gius quærendi labore leuarent, ex suo quisque
 spiritu quam voluit sibi verbi prædicationem,
 ac sacramentorum administrationem effinxit,
 ac deinde huic consentaneam quisque eccle-
 siam fabricauit. Quæ cum ita se habeant, cur
 non eodem quo vobis iure, aliis quoque o-
 mnibus licebit ex suo sibi spiritu quam vo-
 luerint ecclesiam fabricare? præclare enim Au-
 gustinus. Qui gloriatur nullo sibi hominum
 exponente

exponente scripturas intelligere, cur ipse affe-
 ctat aliis exponere, ac non potius eos remittit
 Deo, vt ipsi quoque, non per hominem, sed illo
 intus docente intelligant? Ad extremum eas esse
 ecclesiæ notas oportet, de quibus inter eos qui
 omnibus anteaetis seculis floruerint, ac eos
 etiam qui nunc viuunt, controuersia nulla sit,
 quæque claræ ac perspicuæ sint, vt de illis abs-
 que errore facile quiuis iudicare possit, (cum
 & illos veram quoque ecclesiam cognoscere
 necesse sit,) ac demum aded propriæ ac pecu-
 liares; vt non modò in aliam conuenire non
 possint, sed neque ab alia vel probabiliter ven-
 dicari. Iam verò nemo est qui non videat quas
 vos asseritis notas huius generis minimè esse.
 Quis enim vnquam antiquorum patrum iis
 ecclesiam inuestigandam censuit? Quis qui ec-
 clesiam nondum inuenit, sed illius inuestigan-
 dæ studio tenetur, de his sine errore vnquā iu-
 dicabit? An non hoc modò latissimam errori-
 bus omnibus viam aperitis, dum omnes omni-
 no homines veræ religionis iudices constitui-
 tis? Quid verò ineptius, quid absurdius, quam
 iis ad rem aliquam inuestigandam notis vt, de
 quibus neque is qui quærit, si suo tantum iudi-
 cio nitatur, sine grauissimis erroribus iudicare
 poterit, sed ad huiusmodi notas certò cognos-
 scendas aliis rursus clarioribus opus sit. Deni-
 que cum quædā notæ sint quas nulli vnquam
 hæretici sibi vendicare audeant, aliæ verò, quas
 etsi immeritò, tamen aliqua apud imperitos

hominēs probabilitate vsurpant, cur, si hæretici non estis, has reiciitis, illasque amplectimini. Quæ enim tam absurda ac phanauica secta est quæ nõ vestras has notas sibi summa arrogãtia vendicet? Quæ res vel sola prudenti viro satis esse debet, vt facile intelligat, & hæreticos vos esse, & has notas minimè eas esse quibus omnis de vera Christi ecclesiã lis possit componi? Calviniani enim iam olim ex illis, (si veræ esset ecclesiæ notæ) apud Lutheranos, à quibus ob non synceram Eucharistiæ administrationem defecerunt, veram non esse ecclesiam ostendissent, & Anabaptistæ, quod baptismi sacramentum adulterarint, apud neutros ecclesiam esse commonstrassent: Et tamen adhuc sub iudice lis est, singulis æquo, vt videtur, Marte pugnantibus. Quantò rectius Campianus, veterum ecclesiæ patrum vestigia sequutus, ex clarioribus ecclesiam notis inuestigandam asseruit, quas nulli vnquam hæretici vel probabiliter vindicare potuerunt! Quibus ego explicandis, cum & copiosè id à multis sit præstitum, & tua nos responsio aliò vocet, non immoror. Illud tantum addam, verissimam esse, certissimamque, ac clarissimam ecclesiæ notam, quæque cæterarum omnium instar esse possit, vt Catholica sit. Eã porrò Catholicam vocamus, quæ à Christo fundata, & quasi vinea domini manibus plantata impleuit terram, Propheta teste. Operuit montes vmbra eius, & arbuta eius cedros Dei. Extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagine, eius: Psal. 79. Quæ &

imox vt plantata est crescere cœpit, & ad hæc vsque tempora creuit, nec donec totum peruaferit orbem crescere desinet. Hæc, si potestis, ecclesiæ notam vlli vestrorum hominum cetui vnquã cõuenisse ostēdite: quæ nos, ita omnes ecclesiæ patres perpetuò vli sunt. Hieron. in primis qui post longã cū Luciferianis disputatiōne coronidis loco ad verã ecclesiã ab adultera discernendã hæc adiecit. Verũ quia iam multũ sermocinati sumus, & prolixitas cõcertationis audientiũ studia lassauit, breuè tibi apertamque animi mei sententiã proferã. In illa esse permanentũ ecclesia, quæ ab Apost. fundata vsque ad hæc diè durat: sicubi audieris eos qui dicuntur Christi, nõ à Domino Iesu Christo, sed à quõquã alio nũcupari, vt potè Marcionitas, Valentinianos, Montenses, Calvinianos, (hoc enim nomen tu tibi gloriæ ducis) scito non ecclesiã Christi, sed Antichristi esse synagogam. Ex hoc ipso enim quod postea instituti sunt, eos se esse indicant quos futuros apostolus prænucciãuit. Nec sibi blandiantur si de scripturarum capitulis videantur sibi affirmare quod dicũt, cum & diabolus è scripturis aliqua sit loquutus, & scripturæ nõ in legēdo, sed in intelligēdo consistant. Et Augustinus ad Honoratum Manichæũ, cum in hæc verba scribit. Dubitabimus nos eius ecclesiæ condere gremio quæ vsque ad confessionem generis humani, ab apostolica sede per successiones episcoporum frustra hæreticis circum latrantibus: & partim plebis

ipſius iudicio, partim conciliorum grauitatē,
 partim etiam miraculorū maieſtate damnatis,
 culmen authoritatis obtinuit. Et Tertull. eam
 verā eſſe eccleſ. oſtēdit quę antiquior eſt. Prius
 enim bonum ſemē ſeminauit paterfamilias in
 agro ſuo, deinde verò inimicus homo ſuperſe-
 minauit zizania hinc ille hæreticos irridēs. *Qui*
eſtis vos? unde & quādo veniſti? Vbi tādū latuiſti?
 Quid Irenāū referā? qui ad verā eccleſiā inue-
 ſtigandā atq; cognoscendā non aliā inuenit no-
 tam certiorē ac clariorē perpetua Episcoporū
 ſucceſſione, quā ille in Rom. eccleſia tanquam
 præcipua ac principe à Petro ad ſua vſque tē-
 pora diligenter oſtendit: Quid Vincētium? qui
 quod ſemper, quod vbiq; quod apud omnes
 fuit, hoc eſſe Catholicū & firmiſſima fide cre-
 dendum docet? Quid reliquos omnes qui eo-
 dem modo ſuæ ætatis hæreticos veræ eccleſie
 expertes eſſe probarunt? Quorum tu dum ſen-
 tentiam reiicis, quid aliud quam occultam, &
 vt rectè Campianus ſcripſit, æream nobis Ec-
 cleſiā obtrudis? Lubet verò hīc quid dicas ex-
 pendere. *Iſta* (inquis) *verbum Dei nimirum, & ſa-*
cramenta, eccleſiam in clariffima & quaſi meridiana
luce conſtituunt. Cum ergo hæ notæ & οὐρανός
 tu loqueris ſint, quæ ſi ad ſint eccleſiam confi-
 tuant, & tollunt ſi auferātur, in meridiana ſanè
 luce atque in oculis hominum eccleſia ſemper
 verfabitur. Quid ergo eſt quod tot annis ve-
 ſtram in tenebris latuiſſe eccleſiā dicitis? Quid
 ſibi vult quod mox ſubiungis. *Eccleſia luna ſi-*
milis, nunc tota lucet ſolis radiis incenſa. nunc luminis

Matth. 13.

Lib. 3. cap. 3.

Virr. coh. hær. 1.

magna parte priuatur, nunc lumen omnino nullum
oſtendit. Quam hæc ſibi bellè cohærent dili-
 genter attende. Eccleſiam per notas & οὐρανός
 in meridiana luce conſtitutam eſſe, & interdū
 omni prorfus luce priuari. Et quid tandem ſi-
 bi vult quod tanto ſtudio poſtea probare in-
 teris? Achabo (inquis) *domināte vſque adeo fuit eccle-*
ſie iſraelitice aſpectus obſcuritate inſuſcatus, vt diui-
ſiſſimus propheta Elias præter ſe neminem eſſe relictū
quereretur. Hocine eſt in meridiana luce ſolis
 radiis accenſam ſplendere? Mira vos cæcitate
 laboratis qui ad occultā veſtrā eccleſiā confir-
 mādā Eliæ testimoniū tam imperitè adducitis:
 cum nō de vniuerſa ille ſynagoga, ſed de regno
 tantū Iſraelitico, in quo ipſe tū agebat loqua-
 tur. In toto enim Iudæ regno clariffimam ful-
 ſiſſe eccleſiā ex eadē quā tu citat; regum hiſto-
 ria facile cōſtat. Addis, *mirū nō eſſe ſi in regno An-*
tichriſti mira eſſet ſolitudo, non quia multa Chiliades
& Myriades ſanctorū remāſerint, qui genua beſtiæ nō
flexerint, nec ſignū eius inuri ſibi permiſerint. Huic
 ego ænigmati explicādo Oedipū aliq; querē-
 dum cōſeo. Mirā, ais, fidelīū ſolitudinē, & tamē
 remāſiſſe Chiliades & myriades ſanctorū, quorū
 certè numero, ſi nos, vt dicitis, cultores Baal ſū-
 mus, ne patriarchas quidē veſtros, vt de vobis
 nihil dicā, aſcribere pot eſtis. Nam & Lutherns
 veſter, & Caluinus, & Beza, genua Baal flexerūt,
 & ſignū ſibi beſtiæ inuri paſſi ſunt. Niſi fortè
 liliorū illud ſignū, quo nefandi criminis cauſa
 Nouioduni Calu. inuſtus eſt, beſtiæ ſignū abra-
 ſit. Mirū verò ex tot Chiliadib. ac Myriadibus

3. Reg. 19.

neminem tenebris illis erepsisse, qui vni se Lu-
thero sociū adiungeret: cuius rei causam mihi
velim explices, illudq; simul doceas, quid apo-
stata monacho ad hanc vestri Euangelij lucem
mundo inferendam opus fuerit? Quidque my-
riades illæ vestre interea egerint? quibus in ter-
ris vixerint? Nam inter nos si fuerunt, hypocri-
tas certe maximos fuisse, & Romanæ ecclesiæ
fidem simulasse necesse est. Si vero alibi, quis
eos metus in tenebras sese abdere coëgit? Ab
Helix iam exemplo ad illum hierosolymitanæ
ecclesiæ statum descendis, *Qui tum fuit quando
Christus salutis nostræ negotium procurauit.* de quo
valde tibi subtiliter quærere videris. *Illæ ergo
ecclesiæ fuitne Campianæ vera ecclesiæ, an non fuit? Si
fuit, Christum ergo vera ecclesiæ odit, & morte dignū
iudicauit. Si non fuit, ubi tandem, & quæ fuit?* Plum-
beum sanè & tuo whitakere acumine dignū
dilemma. Quis enim nescit Scribas illos, ac
Pharisæos Christum verum Messiam agno-
scere debuisse, cum tot ille miraculis eum se
esse clarissimè confirmaret, quem omnes pro-
phetæ venturum antea prædixerant? Quod
quia minimè fecerunt, quid mirum si facta ve-
ræ fidèi iactura Dei ecclesiæ esse desierunt?
quorū à fide defectionem iidem etiā propheta
haud quaquā silentio præterierunt. Excæca cor
populi huius (inquit Deus per Prophetam) &
aures eius aggraua, & oculos eius claude. Et
apud Hieremiam. In illa die peribit cor regis,
& cor principum, & obstupescunt sacerdotes.
Et apud Ezechielem. Lex peribit à sacerdote,

Isaiæ 6.

Ierem. 4.

Ezech. c. 7.

Mich. 3.

& consiliū à senioribus. Denique apud Mi-
chæam. Nox vobis pro visione erit, & tenebræ
pro diuinatione. Cernis iam obtusi illius tui
dilemmatis cornu alterum contractum conci-
disse. Quantum verò in altero sit acuminis vi-
deamus. *Si non fuit* (inquis) *ubi tandem, & quæ
fuit? Vis vno dicam verbo? In Christo sanè, &
in apostolis, & illis etiam Iudæis qui inuinci-
bili (vt theologi loquuntur) aduentus Christi
ignorantia laborabant: quales non paucos in
ranta præsertim Iudæorum dispersione fuisse
dubium non est: vt nihil de iis dicam. qui Iu-
dæorum ritibus minimè initiati, vera tamen in
Deum fide erant imbuti. Atque hic altero quo-
que cornu contracto cornutus esse desisti.
Neque vt tu nugaris, in illud ipsum incidimus
quod Campianus in vobis reprehendit. Non
enim idcirco inuisibilem facimus ecclesiā,
quod in vobis reprehēdimus. Nisi fortè Chri-
stus ipse, apostoli omnes, atque etiam discipuli
cum tot aliis vndique dispersis Iudæis (vt alios
omitam) tibi inuisibiles fuisse videntur. Sed
nouo nos rursus ariete quatit. *Si hierosolymi-
cæna ecclesiæ contingere potuit ut quanquam ecclesiæ
nomen possideret, tamen nihil aliud esset quam antrū
& spelunca latronum: non video quid sibi Romana
ecclesiæ vindicare possit, quo minus, etsi ecclesiæ no-
men retineat, corpus tamen iam dudum amiserit.*
Quali verò idem de Christi ecclesiā quod de
Iudæorum synagoga iudiciū esse debeat, cum
prophetæ omnes vt collapsuram aliquando
synagogam, ita Christi ecclesiā nullo vnquam*

tempore interituram clarissimè vaticinati sint.
 Isaiæ 59. Hoc fœdus meū cū iis dicit Dominus. Spiritus
 „ qui est in te, & verba mea quę posui in ore tuo,
 „ non recedēt de ore tuo, & de ore seminis tui, &
 „ de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amo
 „ dō & vsq; in æternū. Et apud alium Prophetā,
 Jerem. 31. Ecce dies veniēt, dicit Dominus, & feriā domui
 „ Israel, & domui Iuda fœdus novūm. Hęc dicit
 „ Dominus, qui dat solē in lumine diei, ordinē lu
 „ ne & stellarū in lumine noctis qui turbat mare,
 „ & sonāt fluctus eius, Dominus exercitum no
 „ mē illi. Si defecerint leges istę coram me dicit
 „ Dominus, tūc & semē Israel deficiet, vt non
 „ sit gens corā me cunctis diebus. Et apud Eze
 „ chielem. Percutiam cum illis fœdus pacis, pa
 Ezech. 37. ctum sempiternū erit cum iis, & fundabo eos,
 „ & multiplicabo, & dabo sanctificationem meā
 „ in mediō eorum in perpetuum. Sed quid pro
 „ phetis immoror? cum Christus ipse qui huius
 „ ecclesię caput est, tam disertis verbis dixerit,
 Matth. vlt. „ Ecce ego vobiscum sum, omnibus diebus vsque ad cō
 „ suamationem sæculi, ac rursus. Super hanc petram
 „ adificabo ecclesiam meam, & porta inferi non preua
 Matth. 16. lebunt aduersus eam. Ex quibus nullo vnquam
 tempore interituram ecclesiam, sed vt diuinus
 ille vates cecinit, sicut solem in conspectu Dei
 Psal. 88. semper futuram constat. Lucere enim in mun
 do Christianos oportebat vt filios lucis & lu
 men mundi, vt fulē Tertull. differit. Neque est
 quod frigidus illo perfugio elabi te posse speres
 Veram quidem & Catholicam Christi ecclesiam de
 ficere non posse, Romanam posse: cū in nullam plane

aliam catholicę ecclesię nomē, & quęcunque
 de Christi ecclesia prophetę prædixerunt, quā
 in Romanam conuenite possint. Ac ne tu no
 minis homonymia ludas: non eam tantū quę
 Romanę vrbs mœnibus cingitur, Romanam
 nūcupamus ecclesiam, sed quę per vnīuersum
 orbē diffusa Rom. pont. tanquā Christi vicario
 adheret, & vt veteres loquūtur aures, cum
 cathedra Petri cōmunionē cōiungitur. A qua
 cū Lutherus defecerit, nō potuit profectō non
 à catholica ecclesia defecisse. Quid tu verò pro
 luthero respondeas audiamus. *Lutherū Romanā*
dānavit ecclesia. Idēne hæreticus Lutherus? At Chri
stū ierosolymis trucidavit. Tolerari vt cunq; pos
set. Romanę ecclesię & Synagogę ab hæreti
co homine & ecclesię hoste facta cōtentio, sed
 quod Lutherū cū Christo cōparas, omnes pro
 fectō modestiæ & rationis limites excedit: nisi
 fortè tibi Lutherus non iā tertius Elias, vt olim
 suis, sed alter esse messias videatur: atq; vt Chri
 stus in hūc mundum venit vt pro veteri illa sy
 nagoga nouā sibi ecclesiam cōstitueret, ita Lu
 therus ad Christi abolendā ecclesiam, nouamque
 sibi constituendā venerit. Sed nos profectō ne
 que Messia aliū, neq; Euangelistā, neque Apo
 stolum expectamus: neque in prophetarū ora
 culis quidquā de extraordinaria hac nouorum
 prophetarū missione legere meminimus: et si
 nō prophetę modò, sed & Christus ipse pseu
 dopphetas multos in mundū vêturos prædi
 xerit. Sed te furor, vt video, tuus aded exagitat,
 vt cū in mille te formas veteris, & nūc ecclesię

in luce meridiana cōstitutam, nunc ita obscuram ut vix appareat, nunc ne videri quidē omnino posse cōtenderis: tandem quod extremū à te amentiae expectari poterat, sanctissimam Christi sponsam ecclesiam talem aliquando futuram affirmes, qualis in Christi aduētū fuit Iudeorum Synagoga: id est, ut tū ipse interpretaris, antrum & speluncam latronum. Hocine est quod te facerē iactas, ecclesiae encomia quae Campianus commemorat agnoscere, & multo etiam plura praedicare? Vbi quaeso Campianus dixit ecclesiam nihil aliud aliquando fore quam antrum & speluncam latronum? Quod tibi tamen non satis est dixisse, nisi hoc ipsum quibus possis argumentis suadeas. *Paulus* (inquit) *antequam Christus ad iudicium venerit, apostasiam futuram praedixit, quam patres antiquissimi de religione atque ecclesia intelligunt.* Nae tu egregius es pauli interpres. Nisi venerit *Σατανα*, id est, nisi ecclesia fuerit antrum & spelunca latronum, O praeclearam & tanto dignā Theologo interpretationem. Cuius authores tu quidem esse patres dicis. Sed hic te typographus credo tuus miserē decepit, qui patres illos, quos tu magno fortasse numero, pro tua in hoc genere copia cumulaueras, tanto silentio praeteriit, ut ne nominarit quidem. Verūm ne te hic pluribus detineam, patres profectō apud Paulum *Σατανα* nomine, vel per antonomasiam Antichristum ipsum, vel certē à Romano imperio defectionem intellexerūt: Quod ne tuus quidem

2. Theſ. 2.

Caluinus silentio praeteriit, quem te hic non consuluisse miror. *Nam quod de imperij Romani defectione locum hunc exposuerunt (inquit) magis frivolum est quam ut longa refutatione opus habeat. Ac miror tam multos scriptores, doctos aliquos & acutos in re tam facili hallucinatos esse: nisi quod cum errasset unus, turmatim alij sine iudicio sequuti sunt.* Rursum verō Campianum sic vrges. *Christus de suorum paucitate vaticinatur clarissime: Cū venerit filius hominis, numquid inueniet fidem in terris?* Quid hoc quaeso momenti habet ut ecclesiam aliquando speluncam fore latronum ostendas? Nec te pudet ad Donatistarum aliorumque omnium haereticorum perfugium diuertere, quibus familiare admodum fuit de suorum paucitate mirificē gloriari. Audi verō quā hūc locum aliter ac tu loq̄que rectius Augustinus exposuerit. De apostasia (inquit) orbis terrarū dictum interpretatur Donatistae quod ait Dominus. *Filius hominis veniens putas inueniet fidem in terris?* quod nos intelligimus dictum, vel propter ipsam fidei perfectionem, quae ira difficilis est hominibus, ut in ipsis quoque admirabilibus sanctis, sicut in ipso moſe, inueniatur aliquid ubi trepidauerint, vel trepidare poterint: vel propter illam iniquorum abundantiam & paucitatem bonorum, de qua satis diximus. Et Hieronymus. *Quod si de illa quae in Euangelio scripta est sibi sententia blandiuntur. Putantne cū venerit filius hominis inueniet fidem in terra. Sciant illam fidem nominari de*

Caluinus in hūc locum.

Luc 18.

De vnitat. eccles. c. 12.

contra Lucifer.

Luca 18. qua ipse Dominus aiebat, Fides tua te saluam
 Matt. 9. 16. fecit. Et alibi de centurione non inueni tãtam
 » fidẽ in Israel, & ad apostolos: quid timidi estis
 » modicæ fidei, Necnon & alibi: Si habueritis fi-
 » dem sicut granum synapis, dicetis hunc monti,
 » transnigra, & transnigrabit. Cyprianus de-
 » nique. Sic (inquit) in nobis emarcuit vigor fi-
 » dei, sic credentium robur elanguit. Et idcirco
 » dominus tempora nostra respiciens in Euan-
 » gelio suo dicit: Filius hominis cum venerit pu-
 » tas inueniet fidem in terra. Intelligis, credo,
 » quid nõ ego tibi, sed maioribus tuis, id est hæ-
 » reticis, tuo more disputantibus, antiqui illi pa-
 » tres responderint. Hunc verò fidei languorẽ vt
 » nihil ad ecclesię defectionẽ pertinere intelligas
 » Audi rursum, si placet, Cypr. *Nõ sic* (inquit) *quã-
 » us nouissimis temporibus, in ecclesia Dei, aut euãgelicũ
 » vigor cecidit, aut Christiana virtutis, aut fidei robur
 » elanguit, vt non superflus portio sacerdotũ quæ minime
 » ad has rerũ ruinas, & fidei naufragia succumbat, nec
 » christianã fidẽ aliena perfidia deprimat ad ruinã, sed
 » magis exultat ad gloriã. Quid plura? nam etsi tibi
 » quod falsissimũ est, vltro largiremur, eã esse quã
 » fingis huius loci sententiam: tamen nihil tuam
 » aduersus Campianum causam iuuaret. Non
 » enim ab euangelista scriptum est, Lutherus ve-
 » niens putasne inueniet fidem in terra: sed filius
 » hominis veniẽs putasne inueniet fidem in ter-
 » ra. Cũ nondum ergo filius hominis mũdum
 » iudicaturus aduenerit, quidquid tandem mo-
 » liaris, nõquam ex hoc loco, quod conaris, effi-*

Matth. 10.
 Cypr. de v-
 nita, ecclef.

epist. 68.

cies; Lutherũ veniẽtem nullam in terris fidem
 inuenisset, nisi fortẽ de Lutheri fide intelli-
 gas. Quam ergo frigidum est, ac ieiunũ quod
 ais. *Sequitur quando Christus venerit perexiguus
 fore numerum eorum ad quos vera ecclesię nomen per-
 tineat: nisi fortẽ Lutherus tibi Christus sit, &
 quia Christo adueniente perexiguus erit fide-
 lium numerus, etiam Luthero adueniente per-
 exiguus esse debeat. Ecclesiam Campianus nõ
 tanquam inuisibilem ac phãtasticam aliquam
 chimeram à Christo atque apostolis depictam,
 ex variis quas ad ecclesias apostoli scripserunt
 epistolis ostendit. Tu vt respondeas in omnem
 te patrem vertis, & modo vos habere manifestas
 ecclesias in Anglia, Scotia, Germania & Gallia, mo-
 do nusquam illas apparere ecclesias ad quas Apostoli
 scripserunt, affirmas: feræ instar irretitæ, quæ se
 quanto expedire vehementius nititur, tanto
 se retibus fortius implicat. Tandem verò ita
 concludis. cuiusmodi hoc est? Ecclesia illa ad quas
 Christus & apostoli scripserunt, erant manifesta, ergo
 ecclesia catholica semper erit manifesta? Atque hic
 Campiani dialecticam irrides, magne magister
 dialecticorum. Sed dic quæso, an non tibi con-
 sentaneum videtur, si singulæ ecclesiæ ex quĩ-
 bus veluti partibus ecclesia catholica coalescit,
 sub aspectum cadunt (quod Campianus asse-
 ruit) ipsam quoque ecclesiam aspectabilem
 esse? Nisi fortẽ in tua dialectica partes quidem
 videri omnes possint, totũ verò nõ possit. Et vt
 magnũ te dialecticum esse Academici videant,*

hunc mihi quæso nodum dissolue. Periisse autem ecclesias, Ephesinam, Smyrnensem, Pergamenam, Corinthiam, & cæteras ad quas Christus & apostoli scripserunt. Quod si ecclesia inuisibilis esse potest (vt tu tanto studio contendis) quo argumento hæc periisse, vel ulli hominû costare potest? Quid enim si quis dicat eas etiamnum durare, sed, quod ecclesiæ sæpe contingere dicitis, inuisibiles esse? Velsi hæc nunc periisse ecclesias, quod nusquam appareat dicis, vt re vera dicis, an non omnes Lutheranorum ac Calvinianorum ecclesiæ eodem tibi iure ante Lutherum periisse videntur: cum à nemine mortalium inspectæ magis tunc fuerint quàm quæ nunc planè perierunt? At Christi certè ecclesia perire vel te iudice non potest. Calvinianorum ergo & Lutheranorum ecclesiæ, ne si tuam quidem dialecticam sequamur; Christi ecclesiæ censendæ sunt. Iam cætera videamus. *Quod illis* (inquis) *ecclesiis videmus euenisse, doce non posse in Romanam ecclesiam cadere.* Perfacile est sanè quod petis: cû Romanæ ecclesiæ nomine (vt supra diximus) non eam quæ Romanæ vrbs mœnibus cincta est intelligamus, sed quæ per vniuersum orbem diffusa Romano pontifici tanquam Christi in terris vicario adhæret, & cûm cathedra Petri communionem coniungitur. Hæc nimirum est Catholica ecclesia, cuius stabilem nobis perpetuamque firmitudinem, & prophetæ olim; & suo Christus ore commendauit. De vobis

verò rectissimè dixit Campianus. Non oppidum, nõ villam, non domum reperire potuisse doctrina vestra imbutam. Tu quidem dialecticè valde respondes. *Temporibus apostolicis, omnes Ecclesiæ, omnes vrbes, omnia oppida, familia omnes, eandem fidem ac religionem coluerunt, quam nunc nos profitemur.* Quali non idem Ariani olim, & Macedoniani, & Pelagiani, & Donatistæ, omnes denique hæretici veteres eadem probabilitate dicere potuissent. Tuum erat, si appositè ad rem respondere voluisses, ex omnibus apostolicis ecclesiis vnã saltẽ aliquam, vt Romanam, Ephesinam, Alexandrinam, Antiochenam, vel aliam quamuis ex certis sincera antiquitatis monumentis ostendere, quæ eosdem ritus, eadem sacramenta, eandem ecclesiasticæ administrationis formam vobiscum habuerit: Sed nihil minus, quin potius imperitorum dialecticorum more quod in quæstione est positum, totiusque controuersiæ summa censetur, pro certo atque explorato sumis. Ac mihi quidem, vt ingenuè dicam, mirum viderur tot târâsque vestras ecclesias quas apostolica ætate viguisse dicitis, tam repentino hostium impetu ita esse deletas, nulla vt tantæ stragis vestigia supersint, neque vel vnus ex prælio viuis euaserit, qui tantam posteris cladem nunciaret. Consulite quæso annales vestros, & tempora nobis, loca, personas, belli ortum, progressum, exitum diligentius, si potestis, notate: alioquin nihil sanè à vobis fide dignum afferri pruden-

res viri iudicabūt. Latere vos certè nō potest ex quo Lutherana vestra, vel Calviniana ecclesia Angliā occupauit, quāti rerū motus, quot bella vndique exarserūt, quantis omnium ordinum sudoribus, & quāndiu laboratum est, vt noua hæc fides ex Anglia in orbem vnde venerat remitteretur, perpetuamque tanti cōficiētis memoriam apud omnes posteros esse permansuram. Quid ergo si non Angliam tantum, sed vniuersum orbem, quā latè Christi fides patuit, ecclesia vestra occupasset? Quid esse potest incredibilius quam eam vno veluti momento ita deleri potuisse, vt ne vel minima tārte ruinae aura ad posteros peruenerit: *Tanta (inquis) strages paulatim facta est. Nam paulatim doctrina puritas corrumpi cepit, & varia superstitione latius manauit.* Atqui eo certè res incredibilior: Neminem in tanta Apostolicorum virorum multitudine fuisse, qui sensim irrepentes in ecclesiam superstitiones reprimeret. Respondes hoc loco. *Patres sanctissimi quantum poterant vtriterunt, quousque id mysterium iniquitatis totam tandem occuparet ecclesiam.* Dic igitur, obsecro, à quibus & qua ætate dogma aliquod religionis nostræ, quam tu impiè superstitionē appellas, àn ecclesiam inuectū sit? aut qui vnquā partes dogmati vlli quod Catholica profiteretur ecclesia restiterunt? Nisi fortè tibi Simon Magnus pater uideretur qui dogmati Catholico de Libero arbitrio restitit, Montanus, qui dogmati de matrimonio non dissoluendo, Nouatus, qui

pœnitenti-

pœnitentiæ & confirmationis sacramentis, Iouinianus, qui votis & virginitati, Vigilantius, qui diuorum inuocationi, Aërius, qui sacrificio pro defunctis offerendo, Pelagius, qui necessitati Baptismi: & vt de cæteris nihil dicam, Manes ille impius, qui externum sacrificium non admisit. Sed quid illud tandem sibi vult? *Quousque mysterium illud iniquitatis per omnes ecclesie partes permearet, & totam tandem occuparet ecclesiam.* Hactenus sanè whitakere tam gnauiter impudens fuisti, vt commilitones omnes merito superasse videaris, hic verò etiā teipsum superasti. Quid enim vel à summo religionis christianæ hoste magis impium dici aut cogitari potuit, quam mysterium iniquitatis totam occupasse ecclesiam? Et mox addis, *efficere tamen sceleratus Antichristus nunquam potuit, quin sanctorum multitudo remaneret qui ab impiis & nefariis sacris abhorreret.* Hic tibi rursus noua opus est dialectica. Nam vetere illa nunquam profectò hæc duo rectè coniunges: nisi fortè quos tu sanctos appellas ad totam ecclesiam minime pertinent. Illud verò quam est à te præclare dictum. *Testis est omnium temporum historia, quam ego nunc persequi potui, si necesse esset, & domos, & villas, oppida, vrbes, regiones nonnullas commemorare, in quibus ecclesiam Christus frequentem & copiosam habuit.* An non hoc est Sycophantam agere, quod vel maximè factum oportuit, & quod vnicum Campianus quærebat, posse te facile præstare si velles, nec præstare tamen omnino?

L

Contentus erat Campianus vel vna domo, vbi tuam fuisse religionem ostenderes: tu oppida, vrbes, regiones nonnullas, commemorare, si velles, posse re iactitas, & tamē ne tuguriolum quidem ostendis vllum: neque ostendere omnino potes, nisi pro natura inuisibilis ecclesiæ, inuisibiles etiam regiones, & oppida *ἀόρατα*, singulari qua in his rebus vales industria effingas, Nam quod de Græcorū ecclesiis ais. *Græci profectò nunquam adhuc induci potuerunt ut se ad vestram ecclesiam iungerent, & à vobis non minus quam nos sumus, auersi sunt:* merū profectò mendacium est. Satis enim ex temporum historia constat, & quo primum tempore ab ecclesiā Romana Græci desciuerint, & quā sarpē etiā ad illius communionem aghito errore redierint, & vt ptiora non repetam tempora, quomodo in cōcilio florentino imperator Palæologus cum Græcis atque Armeniis Rom. pont. Christi vicarium lubēs agnouerit, & Romanę Ecclesiæ fidem professus sit. Immo & in hodiernum diem quā vehementer vestra omnia reiiciant, ac detestentur, atque à nobis in paucissimis sanè dissentiant Ieremias ille Patriarcha Constantinop. edito etiam suo idiomate Græco libro, qui & Latine nunc extat, satis supérque declarauit, de quo plura fortasse aliàs. Succenses verò Campiano, quod Lutherum religionis, vel potius impictatis vestræ parentem votam Deo virginem funestasse dixerit. *Virginem Lutherus (inquis) voto inconsideratè*

et superstioso prius alligatā, post in religione melius institutam, sancto matrimonio sibi copulauit. Verū hic tibi atque tuis cum Paulo negoriū est, qui *disertis sanè verbis damnationem habere eas viduas dixit, quæ nubere volunt, quia primam fidem irritam fecerunt. Quæ verba haud aliter queunt intelligi, quā quia quæ huiusmodi erant promissum Deo cœlibatum incestis nuptiis violarant. Sic enim hunc locum patres omnes vno ore exposuerunt. Epiphanius quidem cum tradidisse dixisset sanctos Dei Apostolos, peccatum esse post decretam Deo virginitatem ad nuptas conuerti, ne cui catholicū hoc dogma cum illa Pauli sententia pugnare videatur, qua ait, Si nupserit virgo non peccauit: Paulum ait loqui de illa virgine quæ non est dedicata Deo. Et quod hæc ita se habeant (inquit) docet nos idem Apostolus dicens, Iuniores viduas reiice. Postquam enim lasciuierunt contra Christum nubere volunt, habentes iudicium quod primam fidem reiecerunt. Si itaque ea quæ post mundi experientiam vidua fuit atque Deo dicata, & postea nupsit, iudicium & cōdemnationem habebit, quod primam fidem reiecit, quanto magis quæ citra mundi experientiam Deo dicata virgo fuit, & nupsit; contra Christum lasciuuit, & priorem fidem reiecit, & iudicium habebit, velut quæ proprium erga Deum propositum laxauit. Hieronymus. Si nupserit virgo non peccauit, non illa virgo, quæ semet Dei cultui dedicauit,*

1. Timot. 3.

hæref. 61.

1. Cor. 7.

Lib. 1. cōtra Iouinianū.

Harum enim si qua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit.

Aug. in Pf. 75. Augustinus. Quid autem, ait Apostolus Paulus de quibusdam quæ uouerunt & non reddiderunt? habentes, inquit, damnationem quia primam fidem irritam fecerunt, uouerunt & non reddiderunt. Et alio loco. Habentes (inquit) damnationem quia primam fidem irritam fecerunt, id est, voluntatem ad nuptias à proposito continentiae deflexerunt: irrita quippe fecerunt fidem quam prius uouerant, quam perseverantia implere noluerunt. Et rursus, qua expetita (viduali & virginali continentia) iam non solum capessere nuptias, sed etiam si non nubatur, nubere uelle damnabile est. Nam ut hoc demonstraret Apostolus, non ait, cum in deliciis egerint in Christo nubunt, sed nubere uolunt, habentes (inquit) damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt, etsi non nubendo, sed tamen uolendo. Chrysostom. Viduæ omnino, si uoluerit, potestatem nubendi Paulus facit, at eam quæ coniuge mortuo se in reliquum tempus Deo castam fore professâ sit, si postea nupserit uehementer accusat, ut quæ pacta quæ cum Deo fecerat tanquam oblita neglexerit. Fulgentius. Non peccat uirgo nubens, si uirginitatem Deo priusquam nuberet in corde non uouit. Et paulò post. Nam & uiduas quasdam beatus Paulus vinculo pronunciat damnationis obstrictas, quia scilicet post continentiae

Aug. in Pf.
75.

Aug. de
bono uidi-
tat. cap. 8.

Chryf. lib.
lib. de uirg.
cap. 39.

Epist. de
coniugali
debito.

professionem nubendi receptam non abiiciunt uoluntatem, de quibus euitandis Timotheum sic instruit. Adolescentiores autem uiduas deuita, & cetera. Isidorus. Illas dicit Apostolus non peccare si nubant, quæ nondum uouerunt Deo castitatem, ceterum uel quæ in corde promissit, si aliud fecerit, habet damnationem quia primam fidem, sicut ait Apostolus, irritam fecit. Quamquam quid ego hic patres commemoro? cum tuus ipse Caluinus eas uiduas quæ ad publicum Ecclesiae ministerium recipiebantur perpetui cœlibatus conditionem sibi imposuisse fateatur, causamque cum Beza commune reddat, quod ad hoc munus ineptæ sint quæ matrimonio sunt obstrictæ, quodque coniugium cum ea quam subibant functione minimè conueniret. At si diaconissas, neque uerbi prædicatione, neque sacramentorum administratione (præcipuis nimirum Ecclesiae functionibus) distentas matrimonio ineptas esse tui isti Apostoli pronunciarunt: quanto maiori ratione Ecclesiae ministros, & sacramentorum administratione, & diuini uerbi prædicatione assidua occupatos, quorum se numero Lutherus infelicitissimo certè omine ingessit, cœlibem ducere uitam oportet? Ut de illius monacha nihil dicam, quæ sanè si muneris dignitatem cui se illa deuouerat spectes, multò etiam quam diaconissæ minus nuptiis erat idonea. Mirari uerò satis nequeo

Isid. lib. 2.
de offic. ca.
17.

Calu. in c. 9.
1. ad Tim.
Beza ibidè.

cum Christi Apostoli ad impositum sibi munus obeundū nō satis sibi expediti viderentur, nisi ab vxoribus quas ante duxerant sese abstinerent, nouos istos Apostolos, nisi vxores haberent, Euāgelio se ineptos iudicare. Sed tu fortasse, vt antiquitatis es peritissimus, priscorum patrum exemplis fratris Martini nuptias commendabis, & si sua (inquies) Symoni Helena fuit, si Carpocrati Marcellina, si Seuero Philomena, si Montano Maximilla atque Priscilla, cur non & fratri Martino Luthero sua erit Katherina Borra, & Bezæ quoque sua candida? Zuinglium tuū (si tamen tuus est) quem Campianus Heluetum gladiatorem in Patriam cōiurasse ait, *Nihil fecisse affirmas, nisi quod fortem virum, & bonum ciuem, & fidelem gregis sui pastorem decuit.* Ad populum phaleras whitakere. Satis enim orbi Christiano atque nimium notum est, ciuilibus eum bellis in Heluetia classicum cecinisse. Nam quod Caluini stigma humero inustum cum Pauli stigmatibus conferre non dubitas, facis tu id quidem pro tua modestia, summōque in præceptorē amore perhumaniter: nisi quod meminisse debueras Christi stigmata in corpore suo Paulum portasse, Caluinum verò stigmata liliorum, quibus non nisi nefarij homines ob immania crimina ad perpetuam inuri infamiam solent. Eadem fide Caluinum, ais, quam semel administrandam suscepit ecclesiam nunquam deseruisse. Addere debuisses, nisi quando ob excitatas Gebennæ

seditiones ad Argentinenses confugit, vbi ingrata, vt dicebat, ciuitatis pertæsus nunquam se in eam reuersurum iureiurando etiam addito promisit. Nūc Campiani sermocinationem præclarè tibi excutere videris. Quærit ille num ecclesiæ subscribatis quæ sæculis antè actis viguit. *Subscribimus* (inquies) *sed illi ecclesiæ quæ in præceptis Apostolicis persistit.* Atque hic intercisam esse Campiano sermocinationis seriem gloriaris, quod suum ipsi responsum redditum non sit. Equidem candorem hic tuum laudo: fateris enim quod res est, minimè illi responsum esse. Neque enim ex vobis ille quæ fuit, num ecclesiæ quæ in apostolicis præceptis persistisset subscriberetis, sed num illi quæ sæculis antea actis viguit. Huic enim si subscribatis, causa iam planè cecidistis, cum nullam aliam, sæculis omnibus antea actis ad hanc vsque ætatem floruisse constet. Si verò non subscribitis, iure profectò Campianus cogi vos dixit ecclesiam, si quam habere vultis, in latebris venditare, & eos parètes asserere, quos nec ipsi nouistis, nec mortalium quisquam aliquādo conspexit. Emergite verò, si potestis, ex his tenebris, &, si in apostolicis præceptis Romana ecclesia nō persistit, aliam proferte aliquam quæ Romana deficiente persistit, vel, quod vobis Campianus obiecit, nullam vos nisi in tenebris ecclesiam posse venditare vltro fatemini: Tu verò nescio quo pacto dum è tenebris emergere vis, in alias longè densiores te abdis. *Eccle-*

fiam (inquis) docti sumus ex sacris libris distinguere, ut alia sit aspectabilis, alia hominum aspectum fugiat. Ad aspectabilem omnes ij pertinent qui verbum audire & sacramenta percipere volunt, ad alteram nullis nisi electis aditus pater. Vnam ego hactenus Catholicam Ecclesiam ex Apostolorum, & Nicenæ synodi symbolo credidi: tu me nunc duas Ecclesias ex nescio quo symbolo credere vis. Si non credo ignosce, & mihi obsecro ex duabus his ecclesiis vtri tandem subscribas responde. Si aspectabili, at præter Romanam ecclesiam nullam tu aliam quæ omnibus seculis anteaactis vigerit indicare potes. Si illi quæ hominum aspectum fugit, an non omne tuum præsidium in pristinis illis tenebris collocas. Nouum ergo laborem tibi subeundum vides, ut quia ex duabus quas distinguis ecclesiis neutra à Campiani telis te tutum reddit, tertiã aliquam, neque aspectabilem, neque non aspectabilem tibi ipse fabrices. Nos verò, si nescis, vnam Catholicam ecclesiam credimus, quæ non electos modò complectitur, sed quotquot vera fide ac religione imbuti sunt. Atque hæc, non tanquam ideam Platoniam, vel quæ hominum aspectum velut noctua in tenebris fugiat, sed quæ in luce omnium gentium atque populorum constituta, meritò dicatur ciuitas supra montem posita quæ abscondi nõ potest. Huiusmodi (inquam) Ecclesiam Christi ipsius ac prophetarum & apostolorum oraculis edocti constanter credimus, ac profite-

Matth. 5.

mur, cuius fœtu nasci, cuius spiritu animari possimus, ut te ex Cypriano ante docuimus. Vos si, ut tenebrarum filij, tenebras tam perditæ amatis, magnis quæso itineribus ad vestram illam tenebricosam ecclesiam pergite, quam neque vos ipsi, neque mortalium vllus in posterum queat intueri.

QUARTA RATIO.

GRavis, Ecclesia nascente, quæstio de legitimis cæremonijs, quæ credentium animos disturbauit, coacto Apostolorum & seniorum concilio, soluta est. Credidẽre parentibus filij, pastoribus oues, in hæc verba mandantibus: *Visum est spiritui sancto & nobis a. Sequuta sunt ad extirpandam hæresim, quæ variis quibusque seculis pullulauit, œcumenica veterum concilia quatuor, tantæ firmitudinis, ut iis, ante annos mille, singularis honos tãquam diuinis vocibus haberetur b Non abibo longius. Etiam domi nostræ, comitijs regni, eadem concilia, pristinum ius, inuiolatamque dignitatem obrinent, Hęc citabo, tẽque ipsam. c, Anglia, dulcissima patria, contestabor. Si quem admodum præ te fers, quatuor ista Concilia reuerebere, summũ honorẽ primæ sedis Episcopo, id est, Petro deferes d: Incruentum corporis & sanguinis Christi sacrificium in altari*

Concilia.

a Act. 15. v. 28.

b Greg. lib. 1. epist. 24.

c An. 1. EliC.

d Nic. can. 6. Chal. act. 4. & 16. Constantin. no. cap. 5.

a Eph. cōc. in epist. ad Nestoriū. Nic. can. 14. b Chal. act. 11. c Nic. cōc. apud. Soc. lib. 1. ca. 8. d Vide Chal. Can. 4. 7. 16. & 24.

recognosces *a*: Beatos Martyrēs, diuōsque omnes cōlites, vt pro te Christo supplicent, obsecrabis *b*: Mulierosos apostatas ab infando concubitu & incestu publico coërcebis *c*, multa facies quæ demoliris, multa quæ facis, infecta voles *d*. Porro Synodos aliorum temporū, nominatim verò Tridentinam, eiusdem auctoritatis ac fidei cum primis fuisse, quando vsus venerit, demonstraturum me spondeo atque recipio. Auctus igitur Conciliorum omnium valido & exquisito præsidio, cur non ingrediar in hanc palæstram animo tranquillo & præsentī, obseruaturus aduersarium quō se proriapiat? Nam & euidentissima producā quæ distorquere non poterit, & probatissima quæ respuere non audebit. Fortasse verbosius obloquendo diem extrahere conabitur: sed ab inuentis hominibus, si vos ego benè noui, nec aures, nec oculos compilabit. Quōd si quis erit omninō tam demens, qui se vnum opponat senatoribus orbis terræ, & iis quidem omni exceptione maioribus, sanctioribus, doctioribus, verustioribus, libenter aspiciam illud os, quod vbi vobis ostendero, reliqua cogitationibus vestris reliquam. Interim hoc monebo. Qui pleno Concilio ritè atque ordine consummato momentum & pondus abrogat, videri mihi nullo consilio, nullo cerebro, neque solū in Theologicis tardū, sed etiam in politicis incōsultum. Si vnquam Dei Spiritus illuxit Ecclesie, certè illud est tempus immittendi Numi-

nis, quum omnium Ecclesiarum quæ sunt in terris patentissima, religio, maturitas, scientia, sapientia, dignitas, vnam in urbem confluerint, adhibitisque modis omnibus, diuinis & humanis, quibus indagari veritas possit, promissum implorent Spiritum *a*, quō salutariter & prudenter sanctiāt. Profiliat nunc aliquis factiōnis hæreticæ magistellus, attollat supercilia, suspendat nasum, frontem perfricat, iudicēsque suos scurriliter ipse iudicet. quos ille ludos, quos iocos dabit? Repertus est Lutherus *b* qui diceret, anteferre se Conciliis, duorū suffragia bonorum & eruditorum hominum (putatote suū & Ppilippi) si quando in Christi nomine cōsensissent. O circulos! Repertus est Kemnissus *c*, qui concilium Tridentinum ad suos vertiginis importunæ calculos exegerit. quid lucratus? infamiam. Dum iste, nī cauerit, sepelietur cum Arrio, Tridentina synodus quō magis inueterascet, eō magis indies, eōque perennius efflorescet. Bone Deus, quæ gentium varietas, qui delectus Episcoporum totius orbis, qui Regum & Rerum publicarum splendor, quæ medulla Theologorum, quæ sanctitas, quæ lacrymæ, quæ ieiunia, qui flores Academici, quæ linguæ, quanta subtilitas, quantus labor, quàm infinita lectio, quanta virtutum & studiorum diuitiæ, augustum illud sacrariū impleuerunt? Audiui ego Pontifices exultantes, & in his Antonium Archiepiscopum Pragensem, à quo sum creatus presbyter, amplissi-

a Matt. 18. v. 20. Ioan. 14. v. 26.

b Luthera lib. de capt. Babil.

c Martini Kemnissij examen Cōc. Trid.

mos & prudentissimos viros, quòd in ea schola hæsisissent aliquot annis: vt nullum Ferdinandi Cæsaris, cui multum debuerant, régalius & vberius in se beneficium colerent, quàm hoc fuit, quòd in Tridentino gymnasio legati ex Pannonia confedissent. Intellexit hoc Cæsar, qui reuersis ita gratulatus est. *Alumnus vos in schola optima.*

Joan. Hufs.

Huc inuitati fide publica cur non properarunt aduersarij, vt eos palam refellerent, in quos ranunculi coaxant è cauernulis? Hussio & Hieronymo fregère fidem, inquit. Quid Constantiensis concilij proceres. falsum est, nullam enim dedère. Sed nec in Hussium tamen animaduersum fuisset, nisi homo perfidiosus & pestilens, retractus ex fuga quam ei Sigismundus Imperator periculo capitis interdixerat, violatis etiam cõditionibus quas scripto pepigerat cum Cæsare, vim omnem illius diplomatis eneruasset. Fefellit Hussium præcipitata malitia. Hussus enim, cum barbaras in sua Boëmia tragœdias excitasset, semetipsum sistere Constantiæ, despexit prærogatiuã Concilij, securitatem petiit à Cæsare. Cæsar obsignauit, Christianus orbis resignauit, maior Cæsare. redire ad mentem hæresiarcha noluit, petiit. Hieronymus verò Pragensis furtim venit Constantiam, protectus à nemine, deprehensus comparuit, perorauit, habitus est perbenignè, liber abiit quòd voluit, sanatus est, hæresim eiurauit, relapsus est, exustus est. Quid

toties vnum exemplum de sexcētis exagitant? repetant annales suos. Martinus ipse Lutherus, odium Dei & hominum, Augustæ positus coram Cardinale Cajetano, nõne quòd potuit, eructauit, & Maximiliani literis communitus, excessit? Idem accitus wormatiam, cum & Cæsarem & pleròsque Imperij principes haberet infensos, nõne Cæsaris verbo tutus fuit? Postremò Lutheranorum & Zuingliorum capita præsentè Carolo quinto, hæreticorum hoste, victore, domino, nõne datis induciis, cõfessiones suas toties innouatas exhibuère comitiis Augustanis, & sospites abière? Haud secus, literæ Tridentinæ locupletissimas aduersario cautiones prouiderant: vt noluit. Nimirum se iactat in angulis, in quibus vbi tria verba Græcã sonuerit, sapere videatur: abhorret à luce, quæ literatorem in numero poneret, & ad honesta subsellia deuocaret. Catholicis Anglis tale chirographum impunitatis impetrent, si diligunt salutem animarum. Nos Hussium nõ causabimur, in curiam, verbo Principis innixi, conuolabimus.

Sed vt vndè sum egressus eò regrediar, Concilia generalia mea sunt, primũ, vltimum, media, his pugnabo. Hastam expectet aduersarius amētaram, quam euellere nunquam poterit. prosteratur in eo Satanas, Christus viuat.

Anno 1518.

Anno 1521.

Augustana
Confessio.
a Vide cõc.
Trid. Sess.
13. & 18.

CONFVTATIO
RESPONSIONIS
WHITAKERI.



In quanta est, semp̄q; fuit in catho-
lica Christi ecclesia conciliorum
utilitas, tanta esset eorū apud om-
nes qui se christianos profiterentur
authoritas, non esset Whitakeri
tantus tui similium numerus qui spre-
ta Spiritus sancti per concilia loquentis
authoritate, nouorum sibi dogmatum
magistros quos sequerentur eligerent.
Quoties enim hæresis aliqua la-
tius inter Christianos serpere, &
Catholicae Ecclesiae pacem perturbare
cepit, nullum vnquam aduersus grassan-
tem hanc animorum pestem remedium
concilio præstantius optimi quique
pastores inuenerunt. Quorum vnus,
nulli in suarum ouium salute
procuranda secundus *saluberrimam esse in ecclesia
plenariorum conciliorum auctoritatem scripsit*: na-
que scripsit modò, sed ipsa etiam experientia
compertum, satis atque exploratum habuit.
Nam & celebrem illam de Baptismo quaestione à
Donatistis summa contentione agitatam compulisse
episcopos aut inter se salua pace & veritate disceptare,
& fluctuare, donec plenario totius orbis concilio, quod
saluberrime sentiebatur, etiam remotis dubitationibus
firmaretur. Quin & hanc gloriam captasse refert Pe-
lagianos hæreticos ut pro eis saltem orientis & occi-

Aug. epist.
118.

lit. de Bap-
contra Do-
nauitasc. 7.

lib. 4. ad Bo-
uil. cap. 12.

dentes Synodi congregarentur, ut quoniam orbem ter-
rarum perdere non poterant, saltem commouisse vide-
rentur. Eadem fuit de conciliorum auctoritate
Ambrosij sententia. De Nicena enim Synodo
tam honorificè, tamq; religiose sensit, ut quod
de cæteris eiusdem generis illius fuerit iudiciū
dubitare nefas sit. De conciliis (inquit) id po-
tissimum sequar, quod trecenti decem & octo
sacerdotes, tanquam Ahrahæ electi iudicio cõ-
sona fidei virtute victores, velut trophaum to-
ro orbe subactis perfidis extulerunt, ut mihi
videatur hoc esse diuinum quod eodem nu-
mero in conciliis, fidei habeamus oraculum,
quo in historia, pietatis exemplum. Et alio lo-
co, ab huius Synodi tractatu neque morte se,
neque gladio separari posse profiteretur. Taceo
cæteros patres, quorum nemo fuit qui non sa-
cro sanctam legitimorum conciliorum autho-
ritatem agnouerit. Quos Calviniani ne singu-
lari impudentia contemnere videamini, cum
omnia prorsus concilia reiicere non audeatis,
eorum tamen vim atque robur quibus pote-
stis artibus eleuare conamini, & quæ vestra esse
in religionis negotio constantia solet, modò
conciliorum auctoritatem miris laudibus ex-
rollitis, modò ad fidei dogmata definienda sa-
tis in se ponderis habere ac virium negatis. Sic
enim Calvinus: *Nos certè libenter concedimus, si*
quo de dogmate incidat disceptatio nullum esse, nec
melius, nec certius remedium, quam si verorum epi-
scoporum Synodus conueniat, ubi controuersum dogma

De fide ad
gratiam in
Prolog.

Ambr. epist.
32.

lib. 4. cap. 9.
sect. 13.

excitatur. Multo enim plus ponderis habebit huiusmodi definitio, in quam communiter Ecclesia pastores inuocato Christi spiritu consenserint, quam si quisque seorsum domi conceptam populo traderet, vel pauci homines priuati eam conficerent. Quis hic non crederet legitimi concilij sententiam opinioni cuius suæ Caluinum anteferre? Verum cum cerneret nouis suis dogmatibus concilia profus omnia repugnare, probabilia quidem ex conciliis ad confirmandam fidem argumenta duci concessit, certa verò ac necessaria minimè. Paulò enim post addit. Hoc autem perpetuum esse nego, ut vera sit ac certa scriptura interpretatio quæ concilij suffragiis fuerit recepta. Et alio loco, concilij quidem definitionem pondus suum habere vult esseque instar præiudicij cuiusdam, sed tamen examen minimè impedire. Ac rursum, in illis quoque antiquis conciliis ac purioribus esse quod desideres. Denique spiritum sanctum sic pius alioquin ac sanctas Synodos gubernasse, ut interim aliquid iis humanitus accidere sineret ne nimis hominibus confideremus. Quæ omnia quis eo spectare non vider, cuius ut liceat conciliorum decreta ac definitiones cum voluerit in dubium reuocare, & priuati illius spiritus examini subicere? hanc tu præceptoris constantiam præclare imitaris. Nam & initio responsionis tuæ, ne quid in laude conciliorum Caluino concedas, concilium nihil esse aliud quam florem, & tanquam epitomen ecclesiæ asseris: & conciliorum nomen amplum, fidem singularem, auctoritatem esse grauissimam. Addis

verò non ita multò post. Tamen ne putes tantum istis conciliis (quatuor nimirum æcumenicis) In art. relig; art. 26. fuisse unquam à nobis tributum; ut quidquid ab illis sancitum fuerit, necessariò suscipiendum iudicaremus, accipe nunc quid nostra ecclesia de æcumenicis conciliis senserit, atque statuerit: Concilia errare possunt, & interdum errarunt, etiam in his quæ ad normam pietatis pertinent: idèdque quæ ab illis constituntur ut ad salutem necessaria, neque robur habent neque auctoritatem, nisi ostendi possint ex sacris literis esse desumpta. O sententiam vestra illa quam iactatis Ecclesia dignissimam! qua semel admissa nullus deinceps examinandi concilia finis erit, dum ut quisque hæreticus erit impudentissimus, ita cõciliorum canones, quos suis esse dogmatibus contrarios videt, ex scripturis sacris minimè esse desumptos vel maximè vociferabitur, atque ita fiet, ut omni conciliorum auctoritate sublata; frustra à Christo instituta, atque ab Apostolis celebrata, nobisque comendata videantur: nullusque deinceps erit illius remedij vsus quo nullum esse, nec melius, nec certius tuus ipse Caluinus fatetur. Mirari verò te ais Nazianzenum de conciliis tam iniquè iudicasse & acerbè scripsisse. Secum enim deliberasse, ac planè cõstituisse ait omnia episcoporum concilia fugeret, quandoquidem nullius unquam synodi felicem exitum vidisset. Absit tamen à Nazianzeno, ut de vllò vnquam legitimo cõcilio, aut tam iniquè quam vos iudicaret, aut acerbè scripserit. In ea certè quam profers epistola nihil ille

Epist. 42.

aliud, quàm de summa hæreticorum suæ ætatis nequitia queritur, quorum fraude atque malitia fiebat, nulla vt legitima synodus Episcoporum in vnum coire locum posset, vbi de dogmatibus fidei ac negotiis ecclesiasticis cõsiliu caperent, ita illorum furor omnia late peruaserat. Hæc enim ab eo ante Constantino-politanum cõcilium scripta sunt, quo tempore nullum ille æcumenicum concilium viderat. Nicena enim Synodus ipsius ætatem præcesserat. Quod si illius de Synodorum auctoritate sententiam longè apertissimam desideras quæ ad Cledonium aduersus Apollinarij hæresim scribit attende. *Illud etiam indignitatem accedit quod ab occidentali synodo sese, vt audio, susceptos esse affirmant, à qua eos prius condemnatos esse nemini est obscurum. Quod si vel nunc, vel ante suscepti sunt hoc ostendant, & nos acquiescemus. Perficuum enim erit eos rectæ doctrinæ assentiri. Nec enim aliter se res habere potest, si hoc consecuti sunt.* Hæcine tu verba esse hominis de concilio iniquè iudicantis putas? aut ille si errare synodū posse etiā in iisquæ ad pietatis normā pertinent vobiscum existimasset, Synodi auctoritatem pro certissimo argumento, & quod aliter se habere non posset, habuisset? lēq; Apollinarij sēctatoribus, si eam possent ostēdere, planè assensuū dixisset? Nequaquam. Singulari igitur Nazianzenū iniuria afficis, dum summū illū totōq; orbe celeberrimum Theologum iniquè de cõciliis iudicasse, acerbèque scripsisse ais: qui doctorum hominū, sanctorūmq; iudicio id alle-

Nazianz.
epist. i. ad
Cledon.
cōtra Apo-
liar.

quutus est, nihil vt in illius scriptis nisi ex veræ pietatis & Catholicæ religionis regula reperiat. A qua sanè, vestra de conciliis sentētia longissimè abhorret. Quod vt Cāpianus planum faceret, ab ipso apostolorū ac seniorū concilio orsus est: cuius illa loquendi forma à reliquis deinceps cõciliis æcumenicis iure optimo vsurpata (PLACVIT SPIRITV SANCTO ET NOBIS,) quo essent omnia loco habenda satis ostendit. Tu verò Whitakere, cū sacrosanctā huius cõciliij auctoritatē negare nō audeas, arrepta occasione vt lectoris animū ab instituta disputatione auertas, in cæremonias ecclesiasticas inueheris, quas cū non modò hominibus vtilissimas esse, verum etiā in corpore adhuc versantibus prorsus necessarias, ipsūq; Christi ex p̄lo fatis probatas perspicuū sit, de carū tamē multitudine, & tu iā quereris, & cõquestū olim August. ais: Verū tuasego, tuīq; similiū querelas nil moror, quibus placere nihil potest ab Ecclesia Cath. sanctè institutū. Augustinū tamē in tam iniuste querimonix societate vocari nō patior: Sed hoc nimis doleo, inquit, quia multa quæ in diuinis libris saluberrimè præcepta sunt minus curatur, & tã multis præsumptionibus sic plena sunt omnia, vt grauius corripatur qui per octauas suas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentia sepelierit. Omnia itaque talia, quæ neq; sanctarū scripturarū auctoritatibus cōtinētur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inueniuntur, nec cõsuetudine vniuersæ ecclesiæ roborata sunt, sed diuersorū

Basil. de vi-
ta solitar.
cap. 5.

Aug. epist.
119. ad Iu-
nuar. ca. 19.

„ locorū diuersis moribus innumerabiliter va-
 „ riantur, ita vt vix, aut omnino nunquam inue-
 „ niri possint causæ quas in eis instituendis ho-
 „ mines sequuti sunt, vbi facultas tribuitur, sine
 „ vlla dubitatione refecanda existimo. Quamuis
 „ enim neque hoc inueniri possit, quomodo cō-
 „ tra fidem sint, ipsam tamen religionem quam
 „ paucissimis & manifestissimis celebrationum
 „ sacramentis misericordia Dei esse liberam vo-
 „ luit, seruilibus oneribus premunt, vt tolera-
 „ bilior sit conditio Iudæorum, qui etiam si tēp-
 „ pus libertatis nō agnouerint, legalibus tamen
 „ sarcinis, non humanis præsumptionibus subii-
 „ ciuntur. Sed ecclesia Dei inter multam, paleam
 „ multaque zizania constituta, multa tolerat, &
 „ tamen quæ sunt contra fidem, vel bonā vitam
 „ non approbat, nec tacet, nec facit. Hæc Augu-
 „ stinus, non vt ecclesiasticas cæremonias vestro
 „ more carperet, sed vt non temere à quouis pro
 „ arbitrio instituendas seruandæque ostenderet,
 „ Nam vt idem priori ad Ianuarium epistola
 „ scribit. Si quid horum tota per orbem fre-
 „ quentat ecclesia, hoc quin ita faciendum sit di-
 „ sputare insolentissimæ insanix est. Vos ergo dū
 „ aduersus ecclesiæ cæremonias toto orbe, tot se-
 „ culis receptas tanta linguæ procacitate dispu-
 „ ratis, quid aliud quam vestram ipsi insaniam
 „ Augustino teste proditis? Nam quod cæremoni-
 „ arum vsu diuinam primi huius concilij san-
 „ ctionem à nobis esse nefariè violatam clamas,
 „ quis meram esse Calumniā non facilè intel-

Epist. 118.

ligitæum Christianorum cæremoniæ, ipsaque
 aded sacramenta, non ad graue illud legis Mo-
 saicæ, sed ad suaue Christi iugum, onusque leue
 pertineant. Verum cum & grauior sit, & sanè
 prolixior de conciliorum natura, præstantia, ac
 dignitate disputatio, quàm loci huius ratio fe-
 rat: de iis tantum disseram quæ tu à Campiano
 obiecta eludere niteris. Ac primum quidem
 Nicenæ Synodi sextum vobis canonem Cam-
 pianus obiecit, vbi tu rursus in communem
 locū tam vobis nunc omnibus, quàm patribus
 olim vestris hæreticis, familiarem digrederis,
 vt Romanos pontifices quibus potes conuiciis
 incessas. Quæ te disceptandi ratio aded oble-
 ctat vt non vita modo functis petulantè in-
 sultes, verum etiam Gregorium decimum tert-
 ium, qui nunc Christi Vicarius, ac successor
 Petri, Catholicam gubernat ecclesiam, impu-
 dentissimis mendacijs petas. Quibus equidem
 diluendis frustra immorarer, cum tantam illi
 apud bonos omnes tamq; certā singularis san-
 ctimonix, pietatis, atq; prudentix gloriam, res
 præclarè gestæ pepererint, nullis vt imparorū
 hominum linguis quātumuis procacibus, non
 dico deleri, sed ne obscurari quidem aut om-
 nino lædi queat. Ad canonis itaque verba me
 confero. Ea sic habent. τὰ ἀρχαῖα ἐθῆ κρα-
 τεῖται. τὰ ἐν ἀγίῳ πνεύματι, καὶ πενδαπό-
 λει, ὡς τὸν ἐν ἀλεξάνδρειᾳ ἐπίσκοπον πάντων
 τῶν ἐχθρῶν τὴν ἐξουσίαν: ὅτι δὲ καὶ τῶ ἐν τῇ
 Ῥώμῃ ἐπίσκοπῳ τὸ αὐτὸ συνέθετο ὅτι. ὁμοίως δὲ

M iij



καὶ τὴν ἀντιόχεια, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ ὁρεσθέντα σὺν τοῖς ἐκκλησιαστικαῖς
 id est, vigeant prisca consuetudines quæ in Ægypto Libya ac Pentapoli sunt, vt Episcopus Alexandrinus horum omnium habeat potestatem, quia idem consuetum est episcopo Romanæ. Similiter autē in Antiochia, & in aliis prouinciis seruanda sunt priuilegia ecclesiis. Hoc tu canone. *Metropolitanos omnes & Patriarchas Romano Episcopo exequari vis, nec ei quicquam amplius, quam Antiocheno, Alexandrino, & ceteris aliarum prouinciarum Metropolitanis tribui:* cum tamē ad Romanæ sedis auctoritatem in omnes Ecclesias stabiliendā nihil dici clarius, nihil apertius possit. Etenim cum ad suam Alexandrino Episcopo auctoritatem asserendam, pro argumento patres Romanæ Ecclesiæ consuetudinem asserat, qua hanc illius auctoritatem Romanus probare Pontifex cōsuevit, non æqualem certē, vt tu videri vis, vtriusque ecclesiæ auctoritatem faciunt, sed à Romana Alexandrinam, velut à matre, totam pendere ostendunt à qua omnem quam habet auctoritatem accipit. Nam quæ ex Ruffino huius canonis interpretatio à te affertur, vel te ipso iudice à Græco canone prorsus est aliena: quamquā & illa suā habere sententiam non ineptam potest. Hanc verò quam dixi Nicenorum esse patrum mentem docere te possunt quæ Paschasinus sedis apostolicæ vicarius in Calcedonenſi Synodo recitauit: vbi sextum hunc canonē lecturus ita

Self. 16. cō-
eil. Calced.

præfatus est. Trecetorum decē & octo patrum canon sextus; quod Ecclesia Romana semper habuit principatū: vt admoneret nimirū quid hoc canone Niceni patres iutellerint. Atque vt canonem, ita eius sententiā à Calcedonenſi Synodo susceptam fuisse, nō ex ipsa modò Synodo constare potest, verum etiā ex Liberato Carthaginensi Archidiacono qui in Breuiario causæ Nestorianorū cap. 13. Paschasini legati cōtradictionem à iudicibus concilij & episcopis omnibus susceptam fuisse testatur. Verum ego, ne in re tam perspicua prolixior sim, si plura de hui⁹ canonis genuino sensu desideras, ad ea te mitto quæ Turrianus noster eruditè disseruit, & ad alium etiam eiusdem cōcilij canonem priori certē non minus apertè Romani pontificis auctoritatem probantem. *Consideret patriarcha (inquiūt patres) ea quæ Archiepiscopi & episcopi in prouinciis suis faciunt, & si quid reperiat secus quam oporteat factum, mutet, & disponat prout sibi videatur, siquidē ipse est pater omnium, & illi filij eius. Et quamuis sit Archiepisc. inter Episc. tanquā frater maior, qui curā habet fratrum suorum, & ei debet obedientiam, quia præst, est tamen patriarcha iis omnibus qui sub potestate eius sunt superior, sicut ille qui tenet sedē Romæ caput est & princeps patriarch. quādoquidē ipse est prim⁹, sicut petrus, cui data est potestas in omnes principes Christianos & omnes populos eorū, ut qui sit vicarius Christi domini nostri, super cūctos populos & vniuers. Eccl. Christi. Et quicumq; cōtraxerit à Synodo excommunicatur.* Si quid ergo nicenē

Turr. pro
can. Apof.

Can. 39. ex
atab. in lat.
conuersus.

Synodo tribuis Romani certè Pontificis in omnes Christi Ecclesias auctoritatem negare supremam, sine summa impudentia minime potes. Nunquam enim Niceni Patres si Romanum Pontificem, non nisi parem cæteris & æqualem esse credidissent, sextoque vt ais concilij canone pronunciaissent, iidem postea penè omnes Sardis congregati clarissimo Sardicenis concilij decreto summam Romani Pontificis in cæteros omnes potestatem comprobassent, quod ab iis tamen factum esse ipse etiam Caluinus fatetur. Ad Calcedonensem deinde Synodum accedis, in qua tam perspicua sunt, tamque manifesta quæ ad asserendam Romanæ sedis supremam in terris potestatem Campianus protulit, vt quidquid tandem moliaris, nulla vnquã arte, nullis fraudibus queas eludere. Cui enim obscurum esse potest quod illius concilij patres de Dioscoro scribunt hæretico, quem ob multa quidem alia crimina, sed ob illud potissimum quod excommunicationem in Romanum dictare pontificem præsumperat, ipsius Romani Pontificis, qui tum magnus ille Leo erat, auctoritate, omni Episcopatus dignitate priuarunt? Quo loco quantum illi Romano deferant pontifici satis illa indicant. Vnde sanctissimus & beatissimus Archiepiscopus magnæ & senioris Romæ, per nos, & per præsentem sanctam synodum, vna cum ter beatissimo & omni laude digno Petro Apostolo, qui est petra & crepido Catho-

Lib. 4. ca. 7.
sect. 9.

Act. 3.

licæ Ecclesiæ, ille qui est rectæ fidei fundamentum, nudauit eum, tam episcopatus dignitate, quam etiam ab omni sacerdotali alienauit ministerio. Iidemque rursus patres in epistola ad Leonem Romanum Pontificem hæc scribunt. In epist. ad Leonem. Et post hæc omnia, insuper & contra ipsum cui vineæ custodia à Salvatore commissa est extendit insaniam, & contra tuam quoque Apostolicam sanctitatem excommunicationem meditatus est. contra te qui corpus Ecclesiæ vnire festinas. Quin & sua ab eodem pōtifice decreta confirmari sic postulant. Stabilire digneris sanctissime ac beatissime pater, quæcunque ad robur veræ Ecclesiasticæ ordinationis statuimus. cumque omnes in Synodo Episcopi ordine cōsederent ante altaris cancellos, Paschasius Apostolicæ sedis vicarius dixit. Papa vrbis Romæ, quæ est caput omnium ecclesiarum, præcipit vt Dioscorus Alexandrinorum Episcopus non sedeat in Episcoporum concilio. Et Lucentius collega ipsius addidit. Quia cum personam iudicandi non haberet, præsumpsit, & Synodum ausus est facere sine auctoritate sedis apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est. Plurima sunt in eo concilio huiusmodi, aut his etiam clariora, quibus non honoris tantum dignitas, vt Caluiniani exponunt, sed & primatus auctoritas Romano pōtifici concessa docetur: quæ Whitakerus vt eleuet, quædam ex alia eiusdem Synodi actione profert. *Quandoquidem olim Romana Ecclesia*

Act. 1.

Euagrium
lib. 2. cap. 4.

propter illius urbis imperium, privilegia magna sunt tributa, æquum videri, ut magna Roma quæ iam imperio fuit & senatu ornata, iisdem quibus veteris Romæ privilegiis frueretur. Quæ sanè si in ipsis conciliorum libris, ac non in monitoris nescio cuius locis forè communibus legisset, nunquam hæc toti concilio sententiam, nisi omni prorsus pudore exuto tribuisset, quæ non nisi quorundam est hominū, quibus illud in primis cordi erat, ut Constantinopolitanæ Ecclesiæ dignitatem modis omnibus promouerent. Nam ut in eadem actione legimus postquam suam illi causam perorassent Lucentius Episcopus Leonis in concilio legatus iuxta eura Nicenæ concilij canonem quem Campianus citavit primatum omnem Romanæ deberi Ecclesiæ ostendit, atque inter patriarchas primum Alexandrino locum esse tribuendum: tandemq; gloriosissimi iudices dixerunt. Ex his quæ gesta sunt, vel ab vnoquoque deposita perpendimus omnem quidem primatum & honorem præcipuum, secundum canones, antiquæ Romæ Archiepiscopo conferuari. Illud etiam imperitiæ Whitakeræ tribuendum est, quod ne ea quidem intelligis quæ de Constantinopolitanæ ecclesiæ privilegiis illius fautores à concilio petunt. Non enim ut vtriusque par esset æqualisque auctoritas, sed, ut eorum vtar verbis (quæ tu ut causæ tuæ admodum contraria prudenter tacuisti) ut in ecclesiasticis, sicut illa, maiestatem habeat negotiis, & secunda post illam existat, popo-

Concil. Ni-
ceni, Can. 6.

serunt. Quid verò illa sibi in ecclesiasticis negotiis maiestas velit, satis, cum eodem loco, tum etiam non ita multo post declaratur. Ut Archiepiscopus nimirum Constantinopolis nouæ Romæ, Patriarchas ordinandi in Asia, Ponti, & Thraciæ diocesisibus potestatem habeat. Quid quòd quamuis in ea Synodo secundus post Romanū pontificē locus Constantinopolitano tributus esset, intellexere tamen concilij patres, nihil illud decretum, nisi Romani pontificis accederet auctoritas, ponderis habiturum: ob eamque causam ad Leonē, ut supra diximus, literas dederunt: quibus cum ille, Constantinopolitani episcopi ambitione permotus, respondere differret, Martianus & Valentinus imperatores idem denuo à pontifice per literas petierunt, quibus sanè imperatoribus Leo, non ut sua tueretur privilegia, de quibus ne dubitatum quidē fuit aliquando, sed ut Niceni concilij canones de Patriarcharū sedibus pristinum robur obtinerent, grauissimè in hæc verba respondit. Multum Anatolius episc. proprio detrahit merito, si illicito crescere optat augmento. habeat sicut optamus Constant. ciuitas gloriā suam, & protegente dextera Dei diuturno clemētiæ vestræ fruatur imperio. Alia tamen ratio est rerū seculariū, alia diuinarū: nec præter illā petram quā dominus in fundamento posuit stabilis erit vlla constructio. propria perdit qui indebita cōcupiscit. Satis sit prædicto quod vestræ pietatis auxilio & mei fauoris

Act. eadem

100pist. 52

Theodor.
epist. ad
Leonem.

assensu episcopatū tantæ vrbs obrinuit. Non
dedignetur regiam ciuitatem, quam Aposto-
licam non potest facere sedem. Quid plura
Quis enim iam non videt ipsa teste experientia
Constantinopolitanam sedem, vt Leo tanto
antè prædixerat, pestifera hac ambitione, pro-
pria perdidisse, atque in sæuissimam Turcarum
tyrannidem incidisse? Quam verò magna, quæ-
que apud omnes certa Romani Pontificis au-
thoritas fuerit, vel ex sola ad eundem Leonem
Theodoreti appellatione intelligere potes. Si
Paulus (inquit) ad Magnū Petrum Antiochiā
cucurrit, vt de institutis legalibus ab eo affer-
ret solutionem, multò magis nos, qui abiecti-
sumus, ad Apostolicam vestram sedem curri-
mus, vt ecclesiarū vlceribus medicinam à vo-
bis accipiamus. Vobis enim per omnia primos
esse conuenit. Habet vrbs vestra Petri & Pauli,
doctorum veritatis sepulchra, quæ fidelium ani-
mas illuminant. Alexandrinus præsul non tan-
tum iniuste deposuit Flavianum Cōstantino-
polititanum Episcopum, sed me quoque absen-
tem calamo iugulauit: cum me nec in ius vo-
casset, nec præsentem iudicasset, nec quid de
suscepta à Salvatore humanitate sentirem in-
terrogasset: Et anno superiori, cum duo qui
morbo Apollinaris infecti erant illuc excur-
rissent, nos in Ecclesia notauit anathemate.
Ego autem Apostolicæ vestræ sedis expecto
sententiam, & supplico, & obsecro vestram
sanctitatem, vt mihi opem ferat, iustū vestrum,

crectum appellati iudicium, & iubeat ad vos
accurrere, & ostendere meam doctrinam ve-
stigia apostolica sequentem. Ante omnia autē
rogo, vt sciam à vobis an in iniusta hac depofi-
tione me oporteat acquiescere, an non. Vestrā
enim expectabo sententiam, nec vlli deinceps
hominum exhibebo molestiā, sed quod flecti
non potest, Saluatoris nostri expectabo iudi-
cium. Denique quantam Leo in cæteros etiam
episcopos potestatē, & habuerit, & sanè exer-
cuerit, si illius legisti epistolas, ignorare non
potes. Atque ne multa commemorem, an non
Thesalonicensi Episcopo vices Leo suas per
Græciam vicināsque alias regiones commisit?
Quoniam (inquit) sicut præcessores mei præ-
cessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ
priorum sequutus exemplum vices mei mo-
deraminis delegaui. Non latuit hoc Caluinum
tuum, qui cum & in Galliis, & in Hispaniis
suas Leonem vices quibusdam delegasse epi-
scopis perspexisset, nihil quod responderet ha-
buit aliud, homo modestissimus, quàm vt san-
ctissimo pontifici ambitionis notam, si quam
posset, inureret, fuit (inquit) ille vt eruditus ac
sacundus, ita gloriæ ac dominationis supra modum
cupidus. Cuius ego censuræ & reipsum padere
credo whitakere, cum nemini esse dubium
possit in summo apud omnes honore Leonem
ob singularem quandam vitæ sanctimoniam
semper fuisse quam & insigni miraculo: Attila
Italiam vastante Deus ostendit, quem hic pon-

Epist. 84.

Caluin. li. 4
c. 7. sect. 11.

rixef quantūuis crudelē & victoriis insolentē
 à Romanæ vr̄bis incēdio direptionēque, haud
 aliter quam Alexandrū magnum ab ecclesia
 Hierosolymitana Iudæorum olim pontifex
 Iaddus deterruit, pauloque post inuadente vr̄-
 bem Genferico, summa & sanctitatis opinione
 & eloquentæ vi persuasit, vt ab incendio, igno-
 miniis, & cædibus abstineret. Cōstantinopolita-
 ranum nūc conciliū sequitur, cuius Quintus
 ille quem campianus protulit canō maiorem
 quam vlli alteri honorem Romanæ sedi meri-
 to iurēque optimo deberi tā diserrē affirmat,
 vt ne tu ipse quidem inficias ire potueris. Con-
 stantinopolitanæ ciuitatis episcopum habere,
 oportet primatus honorem post Romanum
 episcopū, propterea quod sit noua Roma. Sed
 præclarus scilicet interpres, *non hunc illum esse
 honorem ais quem sibi pontifex Romanus vendicat.*
 Nimirum rectius tu, longēque fælicius, quam
 ipsi qui canonem condiderunt patres, quid sibi
 voluerint intelligis. Eundem enim illi honore
 Romano pontifici quem Cāpianus dixit aper-
 tē tribuerunt. Nam & à Damaso qui Apostoli-
 cæ tunc sedi præerat perierunt vt Nestarij,
 Fabiani, Cyrilli, ordinationem sua autoritate
 confirmaret, & magna sese cum modestia ex-
 cusarūt, quod Romā ab ipso tanquam à capite
 euocari, ecclesiasticis distēti negotiis venire nō
 potuerint. horū ergo patrū sententiā si probas,
 vt te certē probare simulas, caput esse ecclesia-
 rū omniū Rom. pont. nobiscū agnosce, & cōtē-

Cōst.
 can. 5.

nimus. Quod ni feceris, nulli vnquam erudito,
 cōciliorum te authoritati parere persuadebis.
 Superest ex illis quatuor quarum Campianus
 meminit Ephesina Synodus, in qua nihil Rom.
 pont. delatum ais, quod non aliis etiam episco-
 pis cōueniret. Quid ergo est quod ad Cælesti-
 num pontificem patres illi scripserunt? Quo-
 niam necessitas postulauit vt quæ cōsequuta
 sunt in hac synodo, omnia ad cognitionē san-
 ctitatis tuæ referrentur, necessario scribimus.
 Et paulo post. Ioannis Antiocheni temeritatē
 referuauimus pietatis tuæ iudicio. An non sum
 mam hic Rom. pont. autoritatem, supremūq;
 agnouisse iudiciū videntur? Et in ipsa Nestorij
 dānatione. Tum ecclesiæ canonibus (inquiunt)
 tum epistola sanctissimi patris nostri, & colle-
 gæ Cælestini, episcopi ecclesiæ Romanæ nec-
 sario compulsi, ad hanc seueram sententiā, non
 sine lachrymis contra Nestorium pronuncian-
 dam venimus. Illud nimirum erat quod ad Cy-
 rillum Cælestinus scripserat. Adiunctā tibi no-
 stræ sedis autoritate ipse qui vice nostrāq; po-
 testate fungeris sententiā hanc summa seuerita-
 te pronunciabis, vt nisi intra decem ab hac ad-
 monitione dies prauas suas conciones confes-
 sione mandata literis excretur, & c. discat se o-
 nibus modis nostro cœtu pellendum. Ac vt ta-
 dem hunc locum concludā, quæ hac ipsa de re
 ad presbyteros populūque Constantinopol.
 Cyril. scripsit attende. Nisi Nestorius ad termi-
 num à sanctis. Rom. Ecclesiæ Episc. Cælestino

in epist. ad
 Cælest.

Epist. 18.
ad Cælest.

præfixum nouis suis dogmatibus astineat, nihil
cum sacerdotibus Dei habiturus commercij,
sed omnino futurus est alienus. Et ad ipsum
Romanum pontificem. Verumtamen (inquit)
ipsi ab illius communione cum fiducia nos nõ
excepimus, donec ista pietati tuæ communice-
mus. Quapropter quid videatur, exprimere di-
gnare. Hic tu non facile, credo, efficias ne Aca-
demici videant ante Synodum etiam Calce-
donensem ab Ephesini concilij patribus Ro-
manum Pontificem Ecclesiasticæ communio-
nis caput agnitum fuisse: & vltimum semper
de hæreticis iudicium, contra quam tu sentis,
tulisse. Postremò, vt risum credo lectori mo-
ueres, ipse tibi quod refelleres argumentum,
tanquam à Campiano propositum, fingis, &
quasi hæc ille concilij verba, quorum ne me-
minit quidem, pro sua citasset sententia. Hæc est
fides Catholica & orthodoxa Ecclesiæ, cui cuncti o-
sentiant orthodoxi pontifices. mox eum malè hæc
verba interpretatum affirmas, teque subtilem
valde interpretem præbes, dum Episcopos hoc
loco, non Ecclesiæ, sed fidèi consentire obser-
uas. Sed mihi crede whitakere tacuisse omni-
no præstitisset, quàm doctis omnibus tantam
tuam ignorantiam tantò cum contentionis
studio coniunctam ostendere. Quis enim non
facile intelliget nihil te in Campiani libello
quod iure reprehenderes inuenire potuisse, cū
vt aliquid habeas in quo eum reprehendas,
quædam illi commenta affingis tua, quæ illi
credo,

credo in mentem venire nunquam. Quod ta-
men eò ferrem æquiore animo, quo tibi tuisq;
omnibus, cum aduersus catholicos scriberis,
hoc esse familiarius, scio, si vel hoc ipsum quod
illi falso ascribis rectè scires reprehendere.
Cum enim neque vera Christi ecclesia sine fi-
de, neque fides esse nisi in eadem ecclesia pos-
sit: quis non videt vtrovis hanc patrum sen-
tentiam modo exponas nihil interesse? Neque
minus puerile est, & regio certè professore in-
dignum, quod mox in hæc verba adiuungis.
illa fides quam is literis patres sunt complexi, omnes
vbique orthodoxi pontifices approbarunt, & nos etiã
defendimus. vbi pro cornuto aliquo, quem ex-
pectabam syllogismo, spè mea fallus nihil ali-
ud quam solæcismum inuenio. Atque hæc
quidem ad ea quæ pro Romani Pontificis au-
thoritate Campianus protulit, à tuis calumniis
vindicanâ scripsisse suffecerit. Non enim (vt
diximus) rem hanc rotam pro dignitate tractan-
dam, sed tuas, whitakere, ineptias refellendas
suscipimus. Quæ reliqua sunt igitur deinceps
videamus. Pro inruento corporis & sanguinis
Christi sacrificio, citauit Campianus canonem
Nicensi concilij decimum quartum. *In quo nec*
inruenti tu, nec sacrificij, nec altaris mentionem re-
periri ullam respōdes. Vis dicam cur nõ repereris?
Nunquam, credo, legisti. *Pervenit (inquit) canon*
ad sanctum concilium, quod in locis quibusdam ex-
imitatibus, presbyteris sancta diaconi porrigant. Hoc
neque regula, neque consuetudo tradidit, et hi qui

Solæc. whi-
tak.

Cœ. Nicen.
can. 14.

offerendi sacrificium non habent potestatem, his qui offerunt, corpus Christi porrigat. Quis hic apertam fieri sacrificij mentionem non videat? atque eius sacrificij quod cum sine sanguinis effusione fiat & offeratur, incruentum sanè nemo esse negauerit. Et cum huius sacrificij offerendi potestatem solos habere sacerdotes canon discretè testetur, neque sine altari sacerdos esse atque sacrificium queat: qua tu queso fronte nullam hic, neque incruenti, neque sacrificij, neque altaris mentionem scribis reperiri? Ac ne plura hic ex eodem commemorem, illud omnium instar erit, quod inter illius *Μετ' ἁπολείας* legitur, vt cogitatione nostra sursum erecta fide intelligamus, καὶ οὕτω ὅτι τῆς ἱερέως ἐκείνης

” Παπῆς τῶν ἀμνῶν τῆ θεῶν ἀφροντα τὴν ἀμαρτίαν τῆ κόσμου ἀθύτως ὑπὸ τῶν ἱερέων

” θυομένην, καὶ τὸ τίμιον αὐτῆς αἷμα. id est, positum esse in illa sacra mēsa Agnum Dei, qui tollit peccatum mundi, qui sine mactatione a sacerdotibus immolatur, & venerandum eius sanguinem. Quem locum Calvinus in suis illis institutionibus scèdè deprauauit pauca quædā omissis reliquis quæ suo repugnare dogmati videbat proferens. *huic* (inquit) *malo proculdubio voluit obuiare Nicena Synodus cū vetuit nos humiliter arētos esse ad proposita Symbola.* Quod & tu ipse in iis quæ affers veterū testimoniis facis quæ cū apertè Eucharistiam esse ἀνάμακτον ἑστίαι id est incruentum sacrificium testentur, tu tamen ita bellè interpretaris, vt ex sacrificio non

Inst. cap. 17.
Cal. lib. 4.
scēt. 36.

sacrificium nobis efficias. Vbi illud te fallit, quod nōdum ex patribus didiceris ἀνάμακτον hoc sacrificium, siue incruentum dici, nō quod sanguinis expers omnino sit, sed quod sine sanguinis effusione in illius sacrificij memoriam offeratur, quod cum sanguinis effusione in ara crucis oblatum est. Gregorius enim Nazianzenus, dum Valentis persecutionem describeret, inter alia plarāq; militum quæ commemorat scelera. In altaribus, inquit, saltantes & incruenta sacrificia hominum & victimarum cruore scedantes. Et alio loco. Non iam altaria à putissimo & incruento sacrificio nomen habentia, scelesto sanguine scedabant nec impiis altaribus loca non adeunda dedecorabunt: Et Chrysof. ad Innocentium scribens: sanctuariū ingressi sunt milites, quorum aliquos scimus nullis initiatos mysteriis, & viderunt omnia quæ intus erant. Quin & sanctissimus Christi sanguis, sicut in tali tumultu contingit, in prædictorum militum vestes effusus est. Quid Eusebius? Christus mirabilem quandam victimā patri suo immolans pro nostra omnium salute obtulit, eiusque rei memoriam vt nos ipsi Deo pro sacrificio offerremus instituit. Quid Photius apud Oecumeniū? Christus secundum ordinem Melchisedech incruentam obtulit hostiam, ac deinde suum ipsius corpus. Oecumenius vero cum Photium de incruento sacrificio citasset, Christum ipsum per sacerdotes dixit sacrificari, quia ipse modum iis in mystica

Orat. in
laudē Basil.

In Iul. orat.

24

24

24

24

24

24

24

24

24

24

24

24

24

24

24

24

24

24

24

24

24

24

Orat. de
Pasch.

cœna tradidit istiusmodi sacrificij. Gregorius
denique Nyssenus. Nam qui omnia pro domi-
nica potestate atque autoritate administrat,
non expectat, vel ex prodicione necessitatem,
vel Iudæos grassatorum in modum adoriētes,
vel Pilati iudicium iniquum, vt illorum scelus
ac malitia communis hominum salutis prin-
cipium & causa esset, sed pro ineffabili, arca-
noque, & qui ab hominibus cerni nequit, sa-
crificij modo, sua dispositione & administra-
tione præoccupat impetum violentum, ac sese
oblationem ac victimam offert pro nobis, sa-
cerdos simul & Agnus Dei, qui tollit peccatū
mundi. Quando hoc accidit? cum suū corpus
ad comedendum, & sanguinem suum familia-
ribus ad bibēdum præbuit. cuiuslibet enim hoc
perspicuū est, quod oue vesci homo nō possit,
nisi commestionem mactatio præcesserit. Qui
igitur dedit discipulis suis corpus suum ad co-
medendum, apertè demonstrat iam perfectam
& absolutam *factam esse immolationem*. Quo lo-
co ineffabilem illum arcanūmq; sacrificij mo-
dū, & qui ab hominibus cerni nequit, non ob
aliud addidit nisi vt incruentū, quod alij dixe-
rūt, sacrificiū significaret. Et vt cæteros præter-
eam quid tuam refellere sententiam apertius
posset, quam quod idem ille quem citasti Cy-
rillus scribit. Sanctū, & viuificū, incruentūq;
in ecclesia celebramus sacrificium, non homi-
nis alicuius nobis similis, & cōmunis corpus,
consimiliter & pretiosum sanguinē esse, quod

In declar.
anathem.
II.

proponitur, credentes, sed magis quā pro-
prium viuificantis verbi corpus & sanguinem
accipimus. Non ergo, vt nugaris, idē apud Cy-
rillū est incruentum sacrificiū & gratiarū actio,
sed incruenti sacrificij nomine ipsam corporis
& sanguinis Christi oblationē intelligit, nōsq;
Deo offerre ait incruenta sacrificia & gratiarū
actiones, quod sacrificiū ipsum incruentū non
sine gratiarum actione offeramus. Quod ele-
ganter ad Dardanū Augustinus scripsit. Nostri
in quo sacrificio dicatur: Gratias agamus Do-
mino Deo nostro, à cuius sacrificij humilitate
longè abest Typhus & Cothurnus illorum. Et
certè si incruenti sacrificij nomine nihil aliud
quā gratiarū actionē intelligere debeamus, in-
eptè admodū niceni cōcilij patres, nō diaconis,
sed solis sacerdotibus huius sacrificij offerendū
potestatem esse, concessam dixissent. Cui enim
non licet labiorum suorū sacrificia Deo offer-
re? Pari profectò ignorantia Eusebiū interpre-
tatus es. Post hæc omnia (inquit) admirandam
Hostiā, victimamq; eximiam patri sacrificādo
immolauit, pro nostra omnium salute, nobisque
memoriā eius rei pro sacrificio, vt iugiter offer-
remus deo instituit, Nō quod solā nudamq;, vt
tu existimas, noui testamēti memoriā sacrificiū
appellet, sed quod in memoriā ac recordationē
cruēri sacrificij incruentum in nouo testamento
sacrificiū offeramus, vt faciliē quæ apud ipsum
non ita multo post sequuntur ostendant. Sic
enim illud Malachiæ vaticiniū interpretatur:

Cyrill. ad
Regin.

epist. 46

lib. x. de de-
monstrat.
euang. c. 10.

„ Ab ortu enim solis vsque ad occasum magnum
 „ est nomen meum in gentibus: & in omni loco
 „ sacrificatur & offertur nomini meo oblatio
 „ munda, quia magnum est nomen meum in
 „ gentibus, dicit Dominus exercituum. Sacrifi-
 „ camus (inquit) Deo plenum, & odorem affe-
 „ rens, & sacrosanctum Sacrificium, sacrifici-
 „ mus nouo more, secundum nouum Testa-
 „ mentum, hostiam mundam, memoriam ma-
 „ gni illius sacrificij, secundum quæ ab ipso
 „ tradita sunt mysteria, celebrantes. Ex quibus
 „ verbis luce clarior efficitur eorum quæ tu cita-
 „ sti verborum sententia. Incruentorum & rationa-
 „ bilium sacrificiorum secundum noua mysteria.
 „ & alio loco. memoriam nobis tradidit quam
 „ pro sacrificio offerremus. Quam sententiam &
 „ Chrylost. eleganter expressit. Eandem hostiam
 „ quæ tum oblata est, offerimus & nunc, sed in
 „ memoriam illius. Et Theodoretus non aliud
 „ nos offerre sacrificium, quam Christus obtulit,
 „ sed illius vnus memoriam agere dicit. Et D.
 „ Augustinus Christiani peracti eius sacrificij
 „ memoriam celebrant sacrosancta oblatione &
 „ participatione corporis & sanguinis Christi.
 „ Sed quid ego pluribus hic veterum ecclesie
 „ patrum testimoniis incruenti huius sacrificij
 „ oblationem demonstrarem? cum res adeo aper-
 „ ta sit vt ne Caluinus quidem ipse in hac ve-
 „ res fuisse sententia negare audeat. *Solemne est*
 „ (inquit) *nebulonibus istis* (ita Catholicos pro
 „ sua modestia appellat) *quidquid vitiosum in pa-*

De demō-
frat. lib. i.
sub finem.

Hom. 17. in
epist. ad
Heb.
Theod. in
cap. 3. ad
Hebr.
Aug. lib. 20
contra Fau-
stum cap. 18

Calui. lib. de
refor. Eccl.

„ vribus legitur corradere: ac si quis solam, auro neglecto
 „ scoriā, & abiectis granis quisquiliis studiosè legeret.
 „ Cum ergo obuium locum Malachia de Missæ sacrifi-
 „ cio ab Irenæo exponi, oblationem Melchisedech sic tra-
 „ ctari ab Athanasio, Ambrosio, Augustino, Arnobio:
 „ breuiter responsum sit eosdem illos scriptores alibi quo-
 „ que panem interpretari corpus Christi, sed ita ridicu-
 „ le, vt dissetire nos cogat ratio & veritas. Et rursum.
 „ Non est ergo quod vel Ambrosium, vel alium quem-
 „ piam ex tota veterum cohorte acutius vidisse putemus,
 „ quam ipsum apostolum. Postremò. Quod ad veteres
 „ spectat (inquit) non est quod ob eorum gratiam ab æter-
 „ na & inflexibili Dei veritate recedamus. Hæc sunt,
 „ Academici, noui istius prophetæ oracula cuius
 „ effrenatam audaciam qui æternum petire vo-
 „ let liberè sequatur. Nam & ille hac in re non
 „ minus præcipiti infania ducem sequutus est
 „ Martinum Lutherum. Cuius hæc sunt verba
 „ helleboro sanè dignissima. *Quid ergo dicemus*
 „ *ad Canonem & auctoritates patrum. primum re-*
 „ *spondeo. si nihil habetur quod dicatur, tutius est*
 „ *omnia negare quam Missam concedere opus aut sa-*
 „ *cificium esse.* De Calcedonensis vero Synodi
 „ actione vndecima quid Campiano respondeas
 „ audiamus. *Nihil habet* (inquis) *quod quidquam ad*
 „ *istius causam spectet.* Bonane hoc fide dicis whita-
 „ kere? an tuo more lectori studeas imponere? ne-
 „ que vereris ne in tam manifesto deprehendaris,
 „ mendacio? Quid enim de noui testamenti sa-
 „ crificiis apertius dici potest, quam illa est de
 „ quibusdam Bassiani episcopi querela qui sper-

Euth. lib. de
capt. babil.

Act. II.

nentes Dei timorem, & immaculatum virtutem myſteriorum, quam ex manibus ipſius acceperant, poſtquam myſteriorum perfectio celebrata eſt, repete eum apprehendentes ſummis iniuriis affecerunt? Et ruruſum, Craſtina autē die Miſſas celebrauimus omnes ſimul, & poſt Miſſas manus iniicientes incluſerunt me, & cū vi abripuerunt pallium ſacerdotij mei, &c. De inceſtis verò monachorū nuptiis quid illo canone clariuſ? Si qua virgo ſe dicauerit Deo, ſimiliter & monachus, non licere ei iūgi nuptiis, ſi verò inuenti fuerint hoc facientes, maneat excōmunicati: Statuimus verò poſſe in eis facere humanitatē, ſi ita probauerit loci Epico- pus. Quo pertinet & Socratis locus quem tu eadem fraude diſſimulas. Ex illo enim loco facile perſpicias veterē eccleſiæ traditionē fuiſſe, vt qui in clerum ante cōſcripti erant quam du- xiſſent vxores, hi deinceps à nuptiis abſtinerēt. Quod num ad mulierofos illos, quos Cāpianus perſtringit apoſtatas pertineat tu videris. Verum hæc tua eſſe præcipua hoc loco cura videtur, vt quia Campianus breuitatis gratia omiſſis authorum verbis libros tantū notauit, imponere eum lectoribus voluiſſe perſuadeas. Quod nunquam apud eos efficies, qui libros ipſi diligenter inſpexerint, & quo ille ſingula retulerit animaduertent. Sed iam quæ tua ſit de ſanctorum cum Chriſto regnantium precibus implorandis ſententia expendamus. Martyres Campianus diuſque omnes, vt pro nobis Chriſto ſupplicent obſecrandos dixit. Tu

Can. 16.

Socr. lib. 1.
cap. 8.

contra, Num martyres, diuſque cœlites pro nobis ſupplicent neſcimus. Quid mirum? Tam enim de illis impiè ſentitis, vt pro quibus illi ſupplicet prorsus ſitis indigniſſimi: præſertim cum omnem ſanctorum communionem è medio tollatis. Quamdiu enim mortalem hanc vitam ducitis, cum nulla eſſe bona opera dicaris, ſed omnia vitioſa, penitūſque infecta, peccatorum tatum apud vos eſſe communitio poteſt. Qui verò in cœlum recepti æterna iam fœlicitate fruuntur, veſtro certè iudicio nec obefſe vobis, nec prodeſſe quidquam poſſunt. Sed an quia vos, num diui pro vobis ſupplicent neſcitis, Campiano fatiſ reſponſum eſt, qui id vos neſcire haud poſſe dixerat, ſi in fidei doctrina veterū eccleſiæ patrū veſtigiiſ inſiſtere velletis? Quid enim? an vobiſcū hoc fortè, neſciuit Ambroſius? an potiùs hæc ſcribens, cōpertum ſatis, atque exploratū cum Campiano habuit? Nō mediocre dogma, quod ait, vox ſanguinis fratris tui ad me clamat, quia Deus iuſtos audit, etiam mortuos, quoniam Deo viuunt, & meritò pro viuentibus habentur. An neſciuit Cyprianus, cum ad Cornelium Romanum pontificem ſcripſit. Si quis iſtinc noſtrum prior diuinæ dignationis celeritate præceſſerit, perſeueret apud Dominum noſtra dilectio, pro fratribus & ſororibus noſtris apud miſericordiam patris non ceſſet oratio. An neſciuit Auguſtinus cum Fauſti reſpondens calumnias ait. Populus Chriſtianus memorias martyrum religioſa celebritate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meri-

Lib. 2. de
Cain & A-
bel. cap. 9.”
”
Cyp. ep. 57”
”
”
”
”
”
cōtr. Fauſt.
Manich.
lib. 20. cap.
1. & 2.

Hieronym.
cōtra Vigil.

tis eorū confocietur, atque orationibus adiu-
uerur. An deniq; vt ceteros raceā nesciuit Hie-
ronymus, qui in Vigilantium eadem vobiscum
ignorantia ac cœcitate laborantem eo nomine
tam grauiter inuectus est? Valde hic video de-
fuisse officio suo spiritum illum vestrum, qui
vos omnia docere solet, cum in tantis vos igno-
rantia tenebris reliquerit, vt quod in ecclesia
catholica doctis simul atque indoctis semper
fuit notissimum, hoc vos turpiter ignoretis.
Sed huius negligentia culpam mira mox dili-
gentia compenlauit, illudque suggessit quod
ais. *Quid nos agamus sanctas ignorare certum est.*
Quomodo verò id vobis certum est? Aut quo
tandem singularis amicitia priuilegio ita in
illorum intimos animi recessus penetrastis, ni-
hil vt illis deus, licet amicissimis, reueler, quod
vobiscum non statim communicent. Vò sine de
illorum beatitudine certi eritis, illi vestram in
terris miseriam ignorabunt? Tantò nimirum
vos lumine spiritus ille vester collustrauit, vt
plura vos de illorum statu, quàm de vestro illi
intelligant. *Que hæc dementia est Whitakeri?*
quibus Christus mortalem adhuc in terris vi-
tam agentibus, vt amicis suis diuina ac cele-
stia patefecit, iis iam in cœlo regnantibus, ma-
iorique sibi amicitia cõiunctis, ne eorum qui-
dem quæ in terris aguntur quidquam patefa-
ciet? Subuersurus Sodomã dominus: Num cæ-
lare porero Abrahã (inquit) quæ gesturus sum?
Et Elizæus Sunamitide vidua ad ipsius pedes

Ioan. 15.

Gen. 18.

abiecta, filiique mortem tacitè lugente, cum
eam Giezi amouere vellet prohibuit, & tan-
quam rem insolitam nõ sine admiratione nar-
rans. Dimitte illam, inquit, anima enim eius in
amaritudine est, & Dominus celauit à me &
non indicauit mihi: adeò enim Elizeo Domi-
nus abdita quæque, etiam futura reuelabat, vt
regi Syriæ suorum consiliorum proditorem
quærenti, ex seruis quidam responderit. Ne-
quaquã domine mi Rex, sed Elizæus Prophe-
ta qui est in Israel indicat regi Israel omnia
verba quæcunque loquutus fueris in conclau-
tuo. Quid Ioseph, quid Samuël, quid alios pe-
nè innumeros Prophetia spiritu copiosissimè
à Deo ornatos referam? quibus si tam admira-
bilem rerum etiam longissimè distitarum scien-
tiam Deus impertiuit quid ineptius, quid ab-
surdius quàm tantam beatissimam veritatem ipsam
clarissimè intuentibus ignorantiam tribuere?
ac ne nostram hanc ratiocinationem esse exis-
tisses, Augustinum si placet ita differentem
audi. Si in hac vita (inquit) vbi hominum mi-
rabiliū prophetia ita comparanda est illi vi-
tæ, quasi paruuli ad iuuenem, vidit tamen He-
lizæus accipientem munera seruum suum, vbi
ipse non erat: itane cum venerit quod perfectū
est, nec iam corpus corruptibile aggrauabit
animam, sed incorruptibile nihil impediet, illi
sancti ad ea quæ videnda sunt, oculis corporis
quibus Helizæus absens ad seruum suum vi-
dendum non indiguit, indigebunt. Quem imi-

Aug. lib. 22.
cap. 29. de
Ciu. Dei.

4. Reg. 5.
& 6.

1. Cor. 13.
Sap. 9.

22

22

22

22

22

Eucher. in tatus Eucherius eundem scripturæ locum ex-
 lib. 4. Regū. plicans. Si Propheta Helizæus (inquit) pue-
 3) rum suum Giezi absens corpore vidit accipiē-
 3) tem munera quæ dedit illi Naaman Syrus, quæ
 3) Propheta memoratus à lepre deformitate mū-
 3) dauerat, quod seruus nequam Domino suo nō
 3) vidente latēter se fecisse putauerat: quāto ma-
 3) gis in illo corpore spiritali videbūt sancti om-
 3) nia, non solum si oculos claudāt, verum etiam
 3) vnde sunt corpore absentes. Tūc enim erit per-
 3) fectum illud de quo loquens Apostolus ait: Ex
 3) parte scimus, & ex parte prophetamus: cū autē
 3) venerit quod perfectum est enacuabitur quod
 3) ex parte est. At tibi fortè whitakere ignorare
 sancti quid nos agamus vidētur, quia modum
 quo scire id possunt minimè intelligis. Augu-
 3) stinus ergo non vnum tibi, sed plures modos
 ostēdet. Possunt (inquit) audire ab illis qui hinc
 3) ad eos moriendo pergūt, possunt & ab angelis
 3) qui rebus quæ aguntur hic præsto sunt, audire
 3) aliquid mortui, quod vnumquemq; illorū au-
 3) dire debere iudicat, cui cuncta subiecta sunt.
 Nisi enim essent angeli qui possent interesse &
 viuorum & mortuorū locis, non dixisset Do-
 minus Iesus, contigit autē mori inopem illum,
 & ferri ab angelis in sinū Abrahæ. Nunc ergo
 hic, nūc ibi esse potuerūt, quia hinc illuc quem
 Deus voluit abstulerūt. Possunt etiam spiritus
 mortuorum aliqua quæ hic aguntur quæ nec-
 cessariū est eos nosse, & quæ necessariū non est
 eos non nosse, non solū præterita vel præsentia,

3) Cor. 13.

August. de
 cura pro
 mortuis.
 cap. 14. & 15

verū etiam futura, spiritu Dei reuelante co-
 gnoscere, sicut non omnes homines, sed Pro-
 phetæ dum hic viuerent cognoscebant, nec ipsi
 omnia, sed quæ illis esse reuelanda Dei prou-
 idencia iudicarat. Mitti quoq; ad viuos aliquos
 ex mortuis, sicut è contrariō Paulus ex viuis in
 Paradisum raptus est, diuina scriptura testatur.
 Nam Samuel Propheta defunctus, viuo Saule
 etiam regi futura prædixit. Et paulò post: Quid
 de Moyse dicturi sumus? qui certè & in Deu-
 teronomio mortuus, & in Euāgelio cum Elia,
 qui mortuus non est, legitur apparuisse viuē-
 tibus. Tibi ergo whitakere certum sit sanctos
 quid nos agamus ignorare, Augustino certum
 est cognoscere. Hoc enim eorum beatitudo
 qua omnia sciunt quæ scire desiderant, hoc dei
 erga illos amor, quo cum seipsum patefaciat,
 res hominum occultas esse non sinit, hoc deni-
 que illorum erga nos charitas postulat, qua
 nobis tanquam fratribus in periculoso adhuc
 certamine, quod & ipsi experiri sunt, constitu-
 tis suam petētibus opem negare non possunt.
 Sed vt ad Cāpianum redeā, quā ille verè dixerit
 martyres diuōs; vt pro vobis supplicent orā-
 dos certum vobis atq; exploratū fore, si concil-
 iorum, veterūque Ecclesiæ patrum autho-
 ritas quidquam apud vos ponderis habeat, tu
 ipse clarissima hac confessione testaris. *Inue-
 tratā diuos in precibus appellandi cōsuetudinē mini-
 mē curamus: Etsi hic antiquus mos est, ab humana ta-
 men superstitione, nō ab auctoritate diuina manans.*

Quid ergo tot ambagibus opus erat? Nihil enim Campianus aliud scripserat, quàm quod deposita tandem peruicacia fateris, diuorum intercessionem illis probari qui sacrosanctam cõciliorum autoritatem veterumque ecclesie patrum venerandam canitiem reuerentur. Quæ tu quidem singulari arrogancia hoc loco contemnere non vereris. Sed ne sine ratione insanire videaris. *Ad Christum* (inquis) *potius credimus, et unum obsecramus, qui et nouit quibus egemus, et vult, et potest quæ petimus largiri.* Quid? An tu sanctissimos patres Cyprianum, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, aliosque omnes hoc ignorasse existimas? aut quoties sanctorum cum Christo regnantium preces opemque implorarunt, Christum fuisse auersatos? Quanquam quid ego patres cõmemorem? Si whitakero credimus, neque Paulus ipse ab iniuria Christo inferenda sibi temperauit, cum Romanorum preces ac Corinthiorum pro se fieri postulauit. Sed absit à piorum mentibus tam impia cogitatio. Non enim ignorarunt sanctissimi patres, omnia sibi in Christi, non in sancti cuiusuis nomine esse impetranda: quod vel antiquissimus ille ecclesie mos te docere potuit, quo collectæ omnes (vt antiquo vtar Christianorum vocabulo) per Christum Dominum nostrum clauduntur. Sed cum satis intelligerët, non eadẽ apud Deum omnes gratia & autoritate valere, (non enim omnes vel Moyse esse, vel Samueles possunt)

Rom. 17.
2. COR. 1.

& quo eorũ qui suis à Deo precibus per Christum quidpiã obtinere contendunt, frequentior numerus est, vt ad maiorem hæc res diuini cultus amplificatione spectat, eo preces Deo gratiores effici: vtroque sanè nomine ad Christi gloriam quam maximè amplificandam socios sibi quam plurimos in orãdo, eos potissimum quos Deo esse gratissimos minimè dubitabãt, sancti patres adhibere consueuerunt. Ac nisi tu iam planè professus esses nihili te antiquorum patrum in hac re iudicium facere, in promptu mihi hoc loco esset, non modò illorum testimonia iam inde ab Apostolorum temporibus, verum etiam miracula enumerare, quibus tanquam sigillis Deus gratissimum sibi esse hunc sanctorum suorum honorem confirmauit. Nota omnibus historia est quam D. Augustinus re-

Aug. de ciuitate
ra pro moribus
cap. 16.

centulit: Felicẽ Nolanum confessorem in mœnibus ciuitatis apparuisse, vt à Gothorum illa armis, & obsidione propugnaret. Hinc illa soluitur quæstio (inquit) quonam modo martyres ipsi beneficiis quæ datur orantibus, indicat se interesse rebus humanis, si nesciunt mortui quid agunt vni. Non enim solis beneficiorum effectibus, verum etiam ipsis hominum aspectibus confessorem apparuisse Felicem cuius inquilinatum pie diligis, cum à barbaris Nola oppugnaretur, audiuius, nõ incertis rumoribus, sed testibus certis. Nota de Theodosio historia, cui Ioannes Euangelista & Philippus quos singulari ille cultu venerari con-

Theod. li. 3. *cap. 24.* fuenrat in somnis apparuere, victoriámque contra Maximum tyrannum prædixere. Notissima quoque historia de duobus fratribus qui matris imprecatione paralyti afflicti, sancti Stephani martyris precibus sanitati sunt restituti. Et ne longior sim, vnum Theodoret clarissimi scriptoris testimonium afferam.

Aug. lib. 22. *de Ciuit. cap. 8.*

Theod. 1. 8. *de curand. grec. affect.*

Martyrum templa conspicua cernuntur, in iis dies festos agimus, ægroti à martyribus sanitatem petunt, & steriles viri & mulieres dari sibi filios petunt, & qui peregrè proficiscuntur petunt sibi martyres comites esse, vel potius itineris duces. Et qui sospites redierunt gratias agunt acceptum beneficium confitentes, & votorum compotes dona persolunt. Nam alij manuum simulacra suspendunt, ex argento auroque collecta: hæc sunt sanitatis quam martyres illis contulerunt certissima signa. Dic mihi whitaker quomodo, si diuorum cultus ab humana superstitione manauit, tot illum, tantisque miraculis sibi Deus gratissimum esse ostendit? hic sane quod respondeas habes nihil, nisi forte cituratis illis Christianæ religionis hostibus, Eunomio, & Porphyrio, vt olim scripsit Hieronymus, non hæc vera miracula, sed dæmonum esse præstigias dicas. Et quidem non ignoro à paganorum hæc & apostatarum blasphemiam Petrum Martyrem tuum non abhorruisse? illa

Cont. Vig.

Martyr. in *cap. 2. Iudicum.*

(inquit) *miracula quæ iactant potius ad diabolum quam ad Deum sunt referenda.* Sed si te eolusque furor iste tuus precipitem egit, nihil tibi ad impietatis

pietatis culmen reliquum esse video, quam vt abiurato Christi nomine ad Iuliani & Porphyrij castra confugas, parémque cum illis suscepti aduersus diuorum honorem belli exitum expectes. Reprehendis deinde Campianum, quod mulierosos apostatas ab infando concubitu conciliorum autoritate coercendos dixit, atque in eo antiquum obrinere ais, id est, vt ego quidem interpretor, verum dicere, Habet enim illius concilii canon, quem ipse citauit, quartus; vt monachi intenti sint tantummodo ieiunio & orationi in locis in quibus renunciarunt seculo, & nec ecclesiasticis nec secularibus negotiis communicent. Hoc si tuus ex decreto concilij fecisset Martinus Lutherus, non eum Campianus mulierosum vocasset apostatâ. Et canon decimus quintus. Si diaconissa se nuptiis tradiderit, iniuriam facies Dei gratiæ, hæc anathema sit. Tu verò pro Martini tui Catharina Borha, quæ cum plus quam diaconissa esset, anathema certè esse debuit, præclaram sanè apologiam facis. *Unicus canon (ais) contra diaconissas perlatus est, quæ postquam ministerium susceperint, deinceps nupsierint: Sed quàm iniqua hæc lex fuerit facile constat.* Quid ergo te ipsum torques, vt tibi potius quam Campiano fauere concilium persuadeas? At magnis fortasse rationibus legis à concilio late iniustitiam demonstras. *Paulus (inquis) sexagenarias ad minimum esse voluit, iste canon quadragenarias recipit.* Verùm aut tu valde imperitus es, aut igno-

Calcedon. *concl. c. 4. & 16. Socr. lib. 1. cap. 8.*

can. 15.

1. ad Tim. 5.

rare non potes de diaconissarū ætate nihil esse diuino iure constitutum. Quare quod de sexagenariis Paulus scripsit, nascentis sanè ecclesiæ primordiis vtilissimū esse iudicauit, ob iuniorum præcipuè scandala, quæ ad nuptias subinde conuolabant. Quid verò illa Calcedonensium patrum ætas postularet, (qua Euāgelium latissimè per orbem diffusum altiores iam in animis hominum radices egerat, & continentia virtutē nuptiis præferre passim Christiani cœperant) ipsi credo quorum maximè intererat, multò quam tu melius cognouerunt. Quidquid verò causeris, non ætas tibi tuisque diaconissarū, sed pudicitia displicet. Hoc enim est quod ais. *Doce eas vouere castitatem debuisse, vel, si senserint votum se nullo modo posse persolvere, & nupserint, aliter quam oportet fecisse.* Quàm tu his nugis palam facis nihil te firmum, nihil solidū, nihil erudito dignum homine, quo cœlibatus votum impugnes, habere! Quis enim vnquā Catholicorum ad vouendum Deo cœlibatum astringi quempiam dixit? cum nihil Catholici aliud doceant quam quod diuinæ passim literæ continent, nuncupatum Deo votum summo studio esse persoluendum. Vrges deinde nos alio argumento. *In malis promissis, quod im præscribit, fides seruanda non est.* Ergone cœlibatū vouere malum tibi videtur Whitakere? Et viduæ illæ quæ se ad continentia leges, vel ipso recte Caluino astrinxerant, mali aliquid commiserunt? Quomodo igitur D. Paulus damna-

tionem habere illas ait, quòd primam fidem irritam fecissent, si neque hanc fidem dare, neque datam seruare debebant? *Vouere* (inquis) *quod nequiss præstare, est Deo illudere.* Audite quæso, Academicici, voluptuosissimum concionatorem, & vt olim de Iouiniano Hieronymus dixit, alterum christianorum Epicurum. Quasi verò cœlibem ritè vitam ducere nemo possit, aut continentia virtutem Deus non iis imperiat, qui precibus eam, ac ieiuniis seridè impetrare contendunt. Atque vt eos silentio præteream, qui nullo licet fidei lumine illustrati, sola duce natura continentiam coluerunt, quo in genere Romani Vestales virgines, & suos Ægyptij sacerdotes habuerunt, an non ipsi vos etiam inuiti cœlibatum ritè seruari posse fateri cogimini? Nam vt Augustini argumētis vtar si res cuiusquam vestrum ita postulet, vt relicta dōmi vxore, vel solus maritus exulet, vel multorum annorum peregrinationem mercaturæ gratia instituat, quod de Syris mercatoribus Hieronymus refert, vt qui iuuenes discedant, vix nisi senes domum redeant, aut si graui, ac diuturno vxor morbo laboret, vel alia sanè vxor ducenda, vel vita cœlebs agenda erit. Nisi fortè impiam illam Lutheri legem etiamnum probatis, *si non vult vxor veniat ancilla:* vel certe Gebennensem qua vxori conceditur vt si nimium diu vir absit, alteri illa viro nubere possit. Quod si vtramq; legem reiicitis, vt tuis tecum verbis agam, quid si coniugum alter

1. ad Tim. 1.

22

Hieron. cōtra Iouin.

Aug. de adul. cōiugis.

intus libidinum incendiis inflammetur? An tū ad nouum hic matrimonium, tanquam ad legitimam sanctamque medicinam confugiendum suadebis? Non suadebis sat scio, nisi à Caluini castris ad Mahumerana defectionem moliaris. Quid ergo factū opus est? Nimirum vt castiges corpus tuum, & in seruitutem redigas. Hanc enim legitimam esse sanctamque medicinam Augustinus olim, Basilius, Gregorius Nazianzenus, aliique Patres, quibus continentia amor cordi fuit, adhibuerunt. Hac illi laudabili exercitatione, precumque præcipuè assiduitate carnis illecebras perpetuò represserūt. Quanquam non ignoro Petro Martyri vestro pharmacum hoc quouis absynthio amarius visum fuisse, qui censoria authoritate Basilium, Gregorium Nazianzenum, aliosque eiusdem notæ patres, vt nimios huius medicinæ amatores damnat. Iam nobis Bernardum obiicis, *in turpi voto muta decretum*. Adeone tu cæcus es, vt virginitatis votū Bernardo turpe visum fuisse putes, cū & monachus ipse fuerit, & ad quam scripsit soror, sanctimonialis? Quod si illum tu libellum legisses aliquando, neq; de cælibatus voto agere, neque eū Bernardi esse, quamquā nihil hoc ad rem pertinet, sed ab alio quodam monacho conscriptum facile, credo, vidisses. Maioris verò tibi ponderis fortè videtur, quod ex Cypriano obiicis. *Si se ex fide Christo dicauerint, (inquit) pudicè & castè sine vlla fabula perseuerent. Sin autem perseuerare nolint, vel non possint,*

1. Cor. 9.

Martyr. in
cap. 7. Iud.Bernard.
lib. 5. ad
Iorem.Cypri. ePist.
62.

melius est vt nubant, quàm vt in ignem delictis suis cadant. Vbi sanctissimus Martyr, vt à multis sæpè Catholicis respòsum est, non de dicatis Deo virginibus loquitur, quas omnino iubet pudicè & castè sine fabula perseuerare, atque ita fortes & stabiles præmium virginitatis expectare. Sic enim quæ citas legenda sunt. *Si autem perseuerare nolint, vel non possunt,* quasi dicat si quæ sunt eiusmodi, quæ nolint perseuerare, non se Christo dicent, sed nubant. Melius est enim vt nubant, quam vt in ignem delictis cadant. Neque aliud profectò Cyprianus sentire potuit, qui eadem epistola dicatas Deo virgines, Christi sponsas nominauit, & non tam adulteras, si voti immemores ad nuptias transseant, quàm incestas & sacrilegas appellat. Quod idem Hieronymus, qui Cypriani mètem multo quam tu rectius intellexit, contra Iouinianum scriptū reliquit: vt alios hic patres taceã. & si tantum in illo Cypriani loco præsidij ponitis, cur tam grauitè & iniquo animo fertis, quod dicatas Deo virgines, nos vt pudicè, & castè perseuerent, monere Catholici solemus? Cur quotquot ad vos confugiunt, contempto virginitatis voto ad incestas mox nuptias conuolant? cur nullus in vestro grege adeò decrepitus est monachus, qui non delibatis vestrae sectæ mysteriis mox aliquam sibi monacham quarat? Hoc nimirum est in Iouiniani schola proficere: adeoque ipsum præ-

lib. 1. contr.
Iouin.

Aug. de he-
ref. ad quod
vult. Deū.

ceptorem turpissimo libidinis studio superare. Ille enim Romæ virginibus aliquot Deo dicitis, quas sua iam hæresi infecerat, ut nuberent persuasit. Melior nempe & in castris Veneris exercitator vobis dux obtigit Martinus Lutherus. Nam Iovinianus, uxorem ipse noluit ducere, Lutherus & uxorem duxit, & Monacham uxorem: si tamen vxor esse, ac non adultera potius monacha possit. Ab argumentis postremo ad conuitia in cœlibes cogerenda scurrarum te more conuertis, quibus ego nisi scurra esse nollem facile responderem. Ad reliquam ergo responsionis tuæ partem accedo. *Debes existimare Campiane* (inquis) *eminentia conciliorum nomina minus apud nos quam certissimum Dei verbum valere oportere* Hoc verò Campianus minimè negat: sed vera cœcilia & christiani orbis plenissima consensione probata, cum de ipso Dei verbo, tum de vera illius interpretatione, rectius quàm vos iudicare dixit. Hic tibi si respondere voluisses, aliquid quod ad rem pertineret, erat dicendum. Sed nihil tu aliud quàm reiecta in primis veterum conciliorum authoritate, Tridentinam deinde Synodum eiusdem cū reliquis authoritatis ac fidei fuisse pernegas. At quorsum hæc? Nam etsi parem apud te æqualémque cæteris conciliis authoritatem haberet, nullam tamen omnino haberet, cum tu nõ ad conciliorum normam Caluianam tuam fidem, sed ad hanc potius cœcilia ipsa examinanda existimes. Certè si Campiani de concilio

lio Tridentino sententiam refellere libuisset, afferenda, si quæ haberes argumeta erant, quibus eorum aliquid huic concilio defuisse ostenderes, quæ ad veram œcumenici concilij naturam, legitimamque authoritatem requiruntur. Quod cum minimè possis, alio te proripuisti, ut magnum scilicet Campiano vulnus infligeres, atque hic tanquam de victoria certissimum, piū lectorem obsecras, omnesque christianos ad hanc plagam cernendam inuitas. Videamus igitur quo telo hominem aggrediaris. *Synodos omnes*, inquis, *& nominatim Tridentinam, quatuor œcumenicis conciliis pares esse Campianus affirmat: quatuor autem concilia Gregorius, quem citauit Campianus, cum quatuor Euangelis exæquat.* Hinc nunc efficitur omnium aliorum temporum concilia eiusdem esse authoritatis ac fidei cum quatuor Euangelis. Cœfecisti hominem scilicet Whitakere. Immo, ne læsisti quidem. Vbi enim legisti aliquando Gregorium quem rectissimè citauit Campianus quatuor illa cœcilia cum quatuor Euangelis exæquasse, quod tu illi per calumniam affingis? Quia corde creditur ad iustitiam (inquit pontifex) ore autem confessio fit ad salutem, sicut sancti euangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor: Nicenū scilicet, in quo peruersum Arij dogma destruitur, Constantinopolitanū quoque, in quo Eunomij & Macedonij error conuincitur, Ephesinum etiam primum, in quo Nestorij impietas iudicatur. Calcedonense ve-

Lib. 1. epist.

24.

”

”

”

”

”

”

”

ro, in quo Eutychetis Dioscorique prauitas repro-
 probatur, tota deuotione complector, integerrima
 approbatione custodio, quia in his velut
 in quadrato lapide sanctæ fidei structura con-
 surgit. Hocce est Whitakere quatuor euan-
 gelii concilia hæc quatuor exæquare? Nihil
 minus: sed certa & indubitata fide, vt scriptu-
 ris, ita quatuor illis œcumenicis conciliis cre-
 dere. Quod sibi voluisse Gregorium tu ipse
 quantumuis Gregorio iniquus fateris. *Id Gregorius vt existimo sensit (inquis) quæ sunt in his
 quatuor conciliis contra Arium, Euzomium, Macedonium, Nestorium, Eutychetem, Dioscorum, ex Dei
 verbo decreta & conclusa, ea se firmissimè amplecti,
 vt non magis quàm hæc decreta quæ sunt scriptis Eu-
 angelicis comprobata, quibusque infanda hæresis dam-
 nata est, rescindi patiatur.* Sic enim tu ineptè ac
 præposterè scribis, cum scribere debuisses: vt
 non magis hæc decreta quæ sunt scriptis euan-
 gelicis comprobata quibusq; infanda hæresis
 damnata est, quam illa rescindi patiatur. Quid
 ergo tumultuaris: quid Campiano hanc Gre-
 gorij sententiam longè verissimam sequenti
 succentes? Quam & tuus ipse Calvinus am-
 plexus est. *Priscus Synodos (inquit) vt Nicenam,
 Constantinopolitanam, Ephesinam primam, Calcedo-
 nensem, ac similes amplectimur reuerentiorque, vt sa-
 erosanctis, quantum attinet ad fidei dogmata. Quin
 & tu ipse præceptorè hic tuum imitatus mor
 addis. Et nos quæ patres illi aduersus eos quos dixi
 hereticos, de Filij & Patris & de Spiritu san-*

Lib. 4. ca. 9.
 sect. 8.

*Et diuinitate, de Christi vnica persona, duabus natu-
 ris statuerunt, ea tam esse vera quam ipsa Euangelia
 minimè dubitamus.* Si quod ergo Cápiano vul-
 nus infligere vis, tuo te ipse gladio iugulas.
 Valde enim falleris si ignorasse illum credis,
 quod Catholicis theologis notissimum est, in-
 ter scripturam sacram & concilia discrimen
 esse haud exiguum. Scriptores enim sacri sola
 nituntur diuina reuelatione, nec humanis ad
 veritatem inquirendam præfidiis indigent. In
 conciliis verò patres, non simul atque propo-
 sita est de fide ac de religione quæstio, certam
 proferre atque indubitata sententiam pos-
 sunt, sed Dei verbum siue scriptum, siue non
 scriptum consulere, & argumenta diligenter
 vtriusque partis singula expendere necesse est.
 Quod & in primo illo Hierosolymitano con-
 cilio factum fuisse legimus. Tum verò Spiritū
 illis sanctum ad veritatem eliciendam affutu-
 rum nemini dubium esse debet. Magna enim
 conquestione facta concilij illius patres pro-
 nunciare non dubitarūt placuit Spiritui sancto
 & nobis. Deinde (vt alia omittam) nihil in scri-
 ptura sacra tam paruum, nihil tam exile, quin &
 verissimū sit, & à Spiritu S. profectū. Concilio-
 rum verò non ea maiestas est, vt eorū vel mini-
 ma quæque à Spiritu S. esse credendū sit: Sed ea
 tantum quæ vera esse, ac Catholica fide ab om-
 nibus credenda, ex instituto decernuntur. Hæc
 verò illa sunt in quibus Synodos aliorum tem-
 porum, nominatim verò Tridētīnam eiusdem
 authoritatis ac fidei cum primis illis fuisse,

Act. 7.

quando vsus venerit demonstraturum se Campanus spondebat. Nec immeritò. Nam si conciliorum decreta à Spiritu sancto profecta esse ipsæ nos diuinæ literæ docent, qui poterit de conciliorum autoritate, qui scripturis fidem adhibet, dubitare? Atque vt tua tibi verba reponam, *Concilium quid aliud est, quam flos & tanquam Epitome Ecclesie, itaque de conciliis quid quid dici potest, id pertinet ad Ecclesie naturam.* Qui ergo conciliorum autoritatem tanto fastu contemnis, quid aliud quam Christi sponsam Ecclesiam aspernaris, reque ipsum Ethnicorum ac Publicanorum numero ascribis? immò & scripturam ipsam quæ summam nobis atq; sacrosanctâ ecclesie autoritatē esse iubet aspernaris? Et quæ hæc tanta leuitas est, vt paucis lineis interiectis tecum ipse tam aperte pugnes? *Dignitatem (inquit) conciliorum summam esse libenter agnoscimus.* Et mox veluti oblitus tui Lutherum laudas duorum suffragia bonorum & eruditorum hominum conciliis præferentem. Hoccine est conciliorum autoritatem summam ducere? *Sed Gerson ille concilij Constantiensis moderator, vnius hominis sententiam toti concilio antepone non dubitauit. In sacris (inquit) literis erudito atque Catholicam autoritatem proferenti plus est credendum, quam generali concilio.* Hæc ego te apud Gersonem, quem imperitè admodum concilij Cōstantiensis moderatorem appellas, legisse nunquam, fat scio, cum nihil ille huiusmodi scripserit: Sic enim ait. Talis vir sum-

De examina.
doctr. part.
1. cōsider. 5.

plex non autorizatus, excellenter in sacris literis eruditus, deberet in casu si, & dum celebraretur generale concilium, cui & ipse præfens esset, illi se opponere, si sentiret maiorem partem, ad oppositum Euangelij, malitia vel ignorantia declinare. Sed valde profectò erras si eundem nos Gersoni, vel Panormitano honorem deferre putas, quæ vos Luthero vestro, aut Caluino soletis. Nos enim nō ad Gersonis alteriusve cuiusuis arbitrium conciliorum decreta exigimus, sed Gersonem ipsum ad eam fidei regulam quam ecclesia nobis cōciliâque proponunt. Idemque tibi de Panormitano responsum putes. Quamquam horum neutrum de cōciliorum autoritate id sensisse existimo quod tu illis tribuere ex Witembergensi illa Lutheranorum confessione didicisti. Sed cum in fidei quæstionibus definiendis, vel doctrinæ ratio vel doctoris habenda sit, priori quidem modo non aliud requirit Gerson quam eruditionem veram ac solidam, atque in doctrinali quam vocat definitione, doctissimo cuique, firmissimisque rationibus nitenti, potissimum esse credendum censet. Verum si doceris spectetur autoritas, non tam scientia quam legitima requiritur iurisdicctio ac definiendi potestas, quæ non doctioris, sed legitimi superioris est propria. Examinator authenticus, inquit, & finalis iudex doctrinarum fidem tangentium, est generale Concilium. Vides igitur quid inter viri docti sententiam, & concilij de-

finitionem discriminis ponat. Alteram enim doctrinalem, alteram authenticam ac finalem appellat. Cuius tu sententiam si sequeris, non hic rursus aduersus Tridentinam Synodum conuicta tuo more cogereres. Impudentissima vero criminationis testes omni scilicet exceptione maiores in libelli tui margine designas, Sleidanum, Illyricum, Kemnissum, Caluinum, Iuellium, iuratos conciliorum omnium hostes. Istis whitakere testibus, ac teipso iudice, quid non probabis? Sed qui Catholici sumus, orbis Christiani iudicium omnibus vobis antefereendum putamus. A concilio nunc ad Campianum redis, quem eo tibi nomine ridendum putasti, quod ab eorum se pontificum vno creatum presbyterum dixerit, qui annos aliquot in eo concilio hæsisse gauisi sunt. *Bene habet* (inquis) *presbyter creatus est Campianus ab Antonio Archiepiscopo Pragensi*: Sed vide obsecro, ne dum alium ridere vis, teipsum planè ridiculum præbeas. Quis enim nõ rideat in celebri Academia professoris regij nomen tam stupidum hominem sibi vindicare, qui oportune admodum iuræque optimo suæ ordinationis meminisse hoc loco Campianum non videat? Nam cum publicè vobis in causa fidei disputationis certamè obtulisset, neque laico id licere perspiceret, vt nihil se temere, spretaque ecclesiasticorum canonum autoritate facere ostenderet, prudenter sanè presbyterum se esse, ac vobiscum disputandi auctoritatem habere professus est. Non

Lib. 6. Decretal. de hæret. cap. quicumque hæret.

enim ignorauit quid D. Augustino olim cum Donatistis disputanti acciderit, quem illi cum valde metuerant, vt aliquam illius reiiciendi causam venerentur, in ipso disputationis ingressu quis ipsum presbyterum ordinasset interrogarunt, cumque ille, quod res erat, Numidiæ primatem intrepidè respõdisset, frustra illi quidem, sed tamen nihil intentatum reliquerunt, vt vitio illum minimèque legitime ordinatum fuisse ostenderent. Hoc ergo vos interrogandi onere Cæpianus leuauit, ac nominato ordinatore suo Archiepiscopo catholico, num quid esset quod in illius ordinatione reprehendere possētis expectauit. Quid verò si à vobis ille vicissim ordinationis vestræ ratione postulasset? nihil profecto aliud quàm sine vilo ordine ordinatos vos esse respõderelicuisset. Hoc enim sibi nomè patriarchæ vestri gloriæ vel maximè ducūt vt extraordinarij quidam Euangelistæ ab omnibus appellentur. Verum hoc si solū sufficiat, neq; ad legitimam vocationem probandam, certo aliquo, atq; euidenti argumēto sit opus, quis tam absurdus hæreticus ecclesiam catholicam, vel oppugnauit aliquando, vel etiamnum oppugnat, qui nõ hoc modo legitime se vocatū, eodè quo vos iure, nec minori probabilitate affirmare possēt? Nā quod argumēti loco doctrinæ veritatem afferre soletis: ridiculum planè est. Quis enim non videt hanc omnes hæreticos eadè impudētia iactare? sumiq; à vobis id tanquam certū ac euidentè de quo tota est cõtrouersia?

In collat. Carthag.

Et quis aded hebes est qui non facile intelligat inter doctrinæ veritatem docendique auctoritatem discrimen esse longè maximum, neque hæc omnes habere qui illa sunt præditi? Quamque hoc nouum ac insolens est, vt ipsæ per se oues doctrinæ pabulum sine pastore cognoscant, atque ex eo de pastore iudicium ferant cum ad pascua oues salutaria non nisi pastoris opera educi soleant. Quid enim pastore opus, si absque eo pabulum querere, si inuenire, si discernere oues possunt? Non ergo Christianus populus ex doctrinæ veritate legitimum pastorem, sed ex pastore legitimo doctrinæ veritatem cognoscat necesse est. Pascendum certe Moyssi Israeliticum populum Dominus dederat. Num ille tamen, quod vos nunc facitis, de sua licet vocatione certissimus, missionis extraordinariæ titulo suâ populo auctoritatem probare se posse putauit? Non credent mihi (inquit) neque audient vocem meam, sed dicent, non apparuit tibi Dominus. Signis igitur ac miraculis opus fuit, quorum accepta à Domino potestate suâ esse missionem legitimam populo abundè probauit. Quid vos huiusmodi facitis, qui missionem certè non minus extraordinariam vulgò iactatis: prophetarum fortè atque Apostolorum exemplo satis rutos vos esse creditis. Sed & suam illi vocationè, quod ordinaria non esset, non tam doctrinæ veritate, quæ vocari semper in dubium poterat, quam signorum ac miraculorum certissima euidentè-

Exod. 3. & 4

,,

tia demonstrarunt. Vos cum non miraculis modo, sed & certis vocationis vestræ argumentis prorsus destituamini, qua tandè fronte docèdi vobis, atque de religione disputadi auctoritatè vèdicatis? Extraordinarij igitur prophetæ cum sitis, Ecclesiâ vobis extraordinariâ quærite, in qua & extraordinè omnia vestro more geratis. hoc enim vt multo ante Gregorius Nazianz. „ obseruauit, adulterinorum & ascriptitiorum „ præfulum est, eoque munere quod profitentur „ indignorum. Qui cum nihil priuilegij ad sacerdotium attulerint, nullos labores atque ærumnas virtutis causa pertulerint, discipuli simul magistrique pietatis designantur, aliosque antè purgant, quam ipsi purgati fuerint. Heri „ sacrilegi, hodie sacerdotes: heri extra castra, hodie sanctorum arbitri ac antistites: veteres „ vitio, pietate rudes & recentes, quod gratiæ „ & fauoris humani, non spiritus opus est. Qui „ cum cætera omnia vehementer peruaserint, „ ad extremum ipsam pietatem tyrannide pre- „ munt. Quorum non mores dignitati, sed dignitas moribus fidem astruit, ordine admodum „ præpostero: qui denique plura pro sua quàm pro „ populi ignorantia sacrificia debet. Nos Whitakere eos pastores sequimur quibus à Christo dictum est, Sicut misit me Pater, & ego mitto vos nec alios audimus quàm quos ab istis missos esse certissima successionis series ab Apostolis ad nos vsque perducta, luce clarius demonstrat. Querenti deinde Campiano cur fide publica

Gregor.

Nazianz. de
laud. Atha.

Ioan. 20.

ad Tridentinum concilium inuitati vestri non properarint, responsum illi esse ais in apologia Ecclesiae vestrae, & quam belle responsum mox ipse declaras, *Quid enim, inquis, ibi faceremus? An ut lusi domum rediremus, aut exusti in concilio temeritate nostram lueremus?* Quali vero qui ad concilium venire Wittembergenses ministri, in concilio exusti fuerint, ac non potius sani domum atque incolumes reuerterint. Sed terruit vos exemplum Ioannis Hus. Terrere vero omnino non debuit. Neque enim ille a concilio fuit Constantiensi inuitatus, neque publicam ab eo fide accepit, at vobis Tridentina Synodus utrumque praestitit. *In concilio (inquis) Constantiensi decretum fuit haereticis non esse seruandam fidem.* Num & vos haeretici estis ut merito vobis timendum fuerit? Magna est, ut video, conscientiae vis, quae quod estis negare vos esse non patitur. Sed erras etiam hoc loco vehementer. Nihil enim in eo concilio de fide haereticis non seruanda decretum fuit, asseret hoc licet mendax illa haeretici tui Pantaleonis Chronologia: sed illud tantum quod sess. 19. legere licet. *Ex saluo conductu per imperatorem, reges, & alios seculi principes haereticis concesso nullum fidei catholicae vel iurisdictioni ecclesiasticae prauiudicium generari, vel impedimentum praestari posse, seu debere, quo minus liceat iudici compo- tenti, & ecclesiastico de huiusmodi personarum erroribus inquirere, & alias contra eos debite procedere, eisdemque punire quantum iustitia suadebit, si suos errores renouare pertinaciter recusauerint, etiam in fide*

Sess. 19. cō-
cil. Const.

saluo

saluo conductu confisi ad locum venerint iudicij, alias non venturi, nec sic promittentem, cum alias fecerit quod in ipso est, ex hoc in aliquo remansisse obligatum. Quibus verbis tantum abest, ut fidem haereticis minimè esse seruandam ecclesia decernat, ut qui haeretico dat fidem in causa honesta, dare illum operam quoad potest debere dicat ut fides illa praestetur. Sed neque concilium Constantiense, quam non dederat fidem fallere poterat, neque ab alio datam praestare debebat. Ut ergo datas sibi à Sigismundo imperatore fidei leges Hussius haereticus minimè violasset, quod tamen plerique eum fecisse affirmant, iure tamen optimo, ut pertinax haereticus suorum scelerum penas luit. Hieronymi vero Pragensis ratio fuit longe diuersa: qui sponte ille quidem sua ad concilium venit, sed in abiurata semel coram concilio haesim denuo lapsus meritis perfidiae poenas dedit. Horum tu haereticorum calamitatem miserè deploras, *Quibus (ut ais) orbis Christianus eo tempore nec sanctiores, nec doctiores habuit.* Neque tamen quantumuis & sancti & docti ad Calvinianam pertinere synagogam potuerunt, nisi ea forte, pro quibus illi mortem oppetere non dubitarunt, non perniciosissima modo, sed & ab omni etiam humanitate ac ratione alienissima dogmata, vos hodie etiam defendatis: Qualia sunt, *Deum diabolo obedire debere. Nullum esse dominum civilem, nullum praelatum, nullum Episcopum dum est in mortali peccato. Vniuersitates, studia, collegia, graduationes,*

Sess. 19. & 27

Art. 6. 35.
29. 43.

P

& magisteria in iisdem, esse vana gentilitate intro-
 ducta, & tantum prodesse ecclesia, sicut diabolus iu-
 ramenta illicita esse quia sunt ad roborandos huma-
 nos contractus, & comercia ciuilia: vt alia omittam
 plurima, quæ vos iam noui prophetæ mundo
 inuexistis hæresum portenta, de quibus illi ne
 cogitasse quidem aliquando videntur. Iam ve-
 rò post tot ambages cum aliquid tãdem Cam-
 piano respondendum esset, cur non Catholi-
 cis impunitatis chirographum à principe im-
 petretis, vt palam aperteque fidei suæ ratione
 reddere possint, quod vestris hominibus Tri-
 dentina Synodus obtulit. *Ad Indos*, (inquis) *po-
 titus conuolate: nostra princeps tales hospites non desi-
 derat, & vos à se quam potest longissimè repellit.* O
 fortissimum militem pugnæque auidissimum!
 Sed eminus, vt video, pugnare mauis, qui in
 Britãnia cum sis, non alia tamen lege cum ho-
 ste vis configere, quam vt ad Indos ille fugiat.
 Mox verò addis. *Cupimus certè Academici, Cam-
 plane, experiri quam tu peritè hastas vibrare didice-
 ris, & fore speramus vt nostris hastis cõfossus, aliquã-
 do audaciam, temeritatẽque, & inertiam huius pu-
 gnæ tuam sentias atque agnoscas.* Quam fortiter!
 quam animosè! Sed hastas certè bene longas
 habebitis, si ex Britannia in Indiam ablegatum
 cõfodere Cãpianum poteritis, nisi fortè vester
 ille spiritus qui cœlũ terrę in cœna solet cõiun-
 gere, Indiã etiam cum Britãnia copuler. Neq;
 illud hoc loco omittam, quod Campiano scitè
 respondes. *Cõcilia* (inquit ille) *generalia mea sunt*

primum, vltimum, media. Cui tu, *facilis & expedi-
 ta victoria. Cæsarem propè te credam. Veni, vidi, vici:*
 Ridere nimirum soles cum nihil quod rectè
 respondeas occurrit. Vel enim hoc Campiano
 concedendum erat, vel pro Calvinianis vnum
 saltem ex tam multis concilium proferendum:
 Quod neque tu facis whitakere, neque tota,
 vt tuo verbo vtar, Calvinianorum natio face-
 re vnquam poterit. Sed nescio quo pacto hic
 accidit vt ridèdo verius quam putaras loquu-
 tus sis. Verissimè enim Campianus venit, vidit,
 vicit. Ac venit ille quidem, nulla diuitiarum,
 nulla honorum, nulla voluptatum cupiditate
 allectus, quippe qui & his omnib⁹ ex ipso reli-
 giosę vitę instituto nuntiũ remiserat, & inuõsita-
 tis catholicorũ suppliciis plena esse in Angliã
 omnia nõ ignorabat, sed solo, vt res ipsa docuit
 diuinæ gloriæ propagandæ, animarumque sa-
 lutis procurandæ desiderio. Vidit verò tuam
 whitakere, tuique similiũ incredibilem mē-
 tis cæcitatem, qui ne ipsam quidem veritatis
 clarissimã lucem intueri sustinetis: nec minore
 crudelitatem, qui scripturarum omnium, conciliorũ,
 patrũ, ecclesiæ deniq; catholicæ autho-
 ritate in tam impia causa destituti, ad solita hē-
 reticorum arma confugitis, vt confictis crimi-
 nibus magistratus omnes aduersus Catholicos
 ira atque odio inflammetis, quos & exquisitis-
 simis suppliciis necari iam sæpe curastis. Sola
 enim hac via victoriam sperare licebat. Qua
 tamen tantum abest vt sitis potiti, vt pulcher-

Cypr. epist.
II.

rimam de vobis victoriam is ipse quem superatum putatis Campianus reportarit. Nullis enim neque argumentis vestris neque tormentis inuictissimi martyris constantiam labefactare potuistis, quæ quanto à vobis grauius premebatur, tanto sese sublimius palmæ instar efferebat. Quis ergo eum vicisse dubitet? Toleravit enim (vt olim de similibus Cyprianus scripsit) vsque ad cõsummationem gloriæ durissimam quæstionem, nec cessit supplicis, sed illi potius supplicia cesserunt: finem doloribus quem tormenta non dederant corona dedit. Laniena grauior ad hoc diu perseuerauit, non vt stantem fidem deiceret, sed vt homines Dei (Campianum inquam duosq; illos fortissimos certaminis socios Rodolphum Sheruinum & Ioannem Bryantum) ad Deum velocius mitteret. Vidit admirans presentium multitudo cæleste certamen, certamen Dei, certamen spirituale, prælium Christi. Stetisse seruos eius, voce libera, mente incorrupta, virtute diuina, telis quideam secularibus nudos, sed armis fidei ardentis armatos. Steterunt torti torquentibus fortiores, & pulsantes ac laniantes vngulas pulsata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit, leuiens diu plaga repetita. Quid plura? Cæpianus quidem tormenta perpetuus victo & calcato seculo ad Dominum gloriofo itinere peruenit, vos autem tantæ crudelitatis authores quanta supplicia maneat, vtinam cum animis vestris seruo co-

gitaretis. Campianus iam in cælestri gloriofo certaminis corona securus ac lætus fruitur, immo & apud bonos omnes tantò illius est fama etiã in terris celebrior, quãtò vestra crudelitas immani hoc scelere Christiano orbi notior redditur, vt illius gloriã mortis ignominia, non vt vos putabatis extinxerit, sed maximis certè incrementis auxerit. Antea enim Edmundus Campianus penè quis esset in orbe ignorabatur: nunc verò morte ipsa tam illustri nobilitatus, volitat certè viuus per ora virum: neque in Britannia modò, sed & in Italia, Gallia, Hispania, Germania, Polonia, India quoque, & vbicunq; Christi fides regnat, inuictus illius animus summis laudibus perpetuò celebratur.

QUINTA RATIO.

Antiochiæ, qua primùm in vrbe, Christianorum nobile cognomen in crebuit, doctores, id est eminentes Theologi, & Prophetæ, id est, concionatores perquam celebres, floruerunt. Huiusce generis scribas & sapientes, doctos in regno Dei, noua promerens & vetera b. Christum callentes & Moysen, Dominus ipse futuro gregi prospexerat. Hos ingentis beneficii loco donatos explodere, quanti maleficii est: explosit aduersarius. quid ita? quia stantibus illis concidisset. Id ego cum pro certissimo comperissem, pugnam simpliciter exoptauit,

Patres.

a Act. 13. v. 1

1. Cor. 12.

v. 18.

Eph. 4. v. 11.

1. Cor. 14.

v. 1. & seq.

b Mat. 13.

v. 52.

non illam iocularem qua turbæ velitantur in
compitis, sed istam feueram & acrem qua
congregimur in vestris philosophorum spa-
ciis,

--- *Pede pes, densis que viro vir.*

Ad Patres si quando licebit accedere, confe-
ctum est prælium. tam sunt nostri, quàm Gre-
gorius ipse decimus tertius, filiorum Eccle-
siæ Pater amantissimus. Nam vt omissam loca
sparsa, quæ ex monumentis veterum conquisi-
ta, nostram fidem appositè affirmatè que pro-
pugnant, tenemus horum integra volumina,
quæ de industria religionem, quam tuemur
euangelicam distinctè copiosè que dilucidant.
Duplex Hierarchia Martyris a Dionysij, quas
classes, quæ sacra, quos ritus edocet? Pupugit
ea res Lutherum b tam valdè, vt huius opera
simillima somniis, nec non perniciosissima iudicaret.
Imitatus parentem Caussæus c, nescio quis
terræ filius ex Gallia, non est veritus hunc Dio-
nysum inlytæ gentis Apostolum, vocitare
delirum senem. Centuriatores d vehementer of-
fendit Ignatius, offendit & Calvinū, vt in eius
epistolis *deformes nauos & putidas nauticas* e homi-
num quisquiliæ, notatint. Cæloribus illis *sana-
tium quiddam* f Irenæus edidit: Clemens au-
tor Stromatum, *Libania fecesque* g protulit: re-
liqui patres huius æui, sanè Apostolici vini,
blasphemias g & *monstra posteris reliquerunt*. In
Tertull. rapiunt auidè, quod à nobis edocti, no-
bilcum communiter detestentur: sed memine-

a S. Dion.
Areopa. de
quo vide 6.
Syn. Act. 4.
Ado. Treu.
in martyro.
Syng. Suid.
Metap.
b Lutherus
Comment.
in 1. 13. 17.
Deu. Item
in Capitiu.
Babil.
c Caussæus
Dial. 5. & II
d Cent. 2.
cap. 10.
e Calvinus
Inst. li. 1. ca.
13 num. 29.
f Cent. 2.
cap. 5.
g Vide cõ.
1. li. 2. c. 10.
& se 7.

rint, libellum de præscriptionibus a, qui nostri
temporis sectarios tam insigniter perculit, nū-
quam fuisse reprehensum Hippolytus Portuē-
sis b Episcopus, quàm bellè, quàm clarè, Anti-
christi neruum, Lutherana tempora, præmon-
strauit? Eum propterea *scriptorem infantissimum*
& *laruam* c nominat. Cyprianū, delicias & de-
cus Africae, Gallicanus ille criticus d & Mag-
deburgici e, *stupidum & destitutum Deo & de-
prauatorem penitentiæ* nuncuparunt. Quid admi-
sit? Scripsit enim de virginibus, de lapsis, de
vnitate Ecclesiæ tractationes eiusmodi, eas etiã
epistolas Cornelio Romano Pontifici, vt nisi
fides huic martyri detrahatur, Petrus Martyr,
Vermilius, omnè que cum eo fœderati pejo-
res adulteris & sacrilegis habeantur. Ac ne sin-
gulis insistam diutiùs, Patres huius seculi dam-
nantur omnes, *quippe qui, doctrinam de penitentiã
mirè deprauarunt* f. quo pacto? nam austeritas
Canonum quæ viguit ea tempestate, maiorem
in modum displicet huic sectæ plausibili, quæ
tricliniis aptior quàm templis, voluptarias au-
res titillare, & puluillos omni cubito g solet
assuere. Quid ætas proxima, quid peccauit?
Chrysofomus & ij Patres *institiam fidei scedè*
h videlicet *obscurarunt*. Nazianzenus, quem, ho-
noris causa, Theologum veteres appellarunt,
Caussæo iudice i, *fabulator, quid affirmaret, nesciit*.
Ambrosius a *Cacodæmone fascinat* est. Hierony-
mus *aque damnatus atque diabolus iniuriosus* Apo-
stolo k *blasphemus, sceleratus, impius, vnus* Grego-

a Tertul.
Li. de præ-
script. cont.
hæx.
b Hippol.
orat. de cõf
secul.
c Iuel, &c.
d Cauff.
dial. 8. & 17.
e Cent. 5.
cap. 4.

f Cent. 13.
cap. 4. Ca-
nones Pen-
itentiæ ve-
teres.
g Ezech. 13
v. 18.
h Præf. in
cent. 5.
i Caussæus
Dial. 6. 7. 8.
k Beza in
1. 2. Apost.
cap. 23. v. 3

a Teste
Stanch, lib.
de Trinit.
b Luth. lib.
cōtra Hēr.
Reg. Angl.

rio Massouio a pluris est. *Caluinus quān̄ centum Augustini.* parum est centum. Lutherus b *nibili facit aduersum se, mille Augustinos, mille Cyprianos, mille Ecclesias.* Longius rem deducere, superuacaneū puto. Nam in hos qui bacchantur, quis miretur in Optarum, Athanasium, Hilarium, Cyrillos, Epiphanium, Basilium, Vincentium, Fulgentium, Leonem, Gregoriumque Romanum fuisse procacissimos?

Quaquam si datur vlla rebus iniustis iusta defensio, non inficior, habere Patres, vbicunq; incidis, quod isti, dum sibi consentiunt, necessariō sto machentur.

Etenim qui odere stāta ieiunia, quo animo oportet esse in Basilium, Nazianzenum, Leonem, Chrysostomum, qui de Quadragesima, & indictis ieiuniorum feriis, tanquam de rebus iam vsitatis, conciones egregias publicantur?

Qui suas animas auro, libidine, crapula, & ambrosio conspectibus vendiderunt, possuntne non esse inimicissimi Basilio, Chrysostomo, Hieronymo, Augustino, quorum excellentes libri de Monachorum instituto, regula, virtutibus, teruntur?

Qui captiuam hominis voluntatem inuexere, qui Christiana funebria sustulere, qui diuorum reliquias incendere, sintne placabiles Augustino, qui de Libero Arbitrio, libros tres, De cura pro mortuis, vnum, De Miraculis ad Basilicas & memorias Martyrū, prolixum ca-

put nobilissimi operis a & conciones aliquot a exarauit?

Qui fidem suis captiunculis meriuntur, nonne succēseant Augustino, cuius est insignis epistola contra Manichæum, qua se profitetur b, Antiquitati, Consensio, successio perpetua, & Ecclesiæ quæ sola inter tot hæreses Catholicæ nomen vsucapione vindicat assentiri?

Opratus, Mileuitanus Episcopus, Donatianam partem reuincit c ex communiōe Catholica, nequitiam accusat d ex decreto Melchiadis, hæresim refutat e ex ordine Romanorū Pontificum, insaniam patefacit ex Eucharistia f & chrisimate contaminatis, sacrilegium horret g ex diffractis altaribus, in quibus Christi membra portata sunt, pollutisq; calicibus, h qui Christi sanguinem tenuerunt. De Optato quid sentiant, aueo scire, quem Augustinus i vt venerabilem & Catholicum Episcopum, Ambrosio parem & Cypriano, quem Fulgentius vt sanctum & fidelem Pauli interpretem, Augustini similem & Ambrosij, meminerunt.

Athanasij symbolum in templis conciaunt. Num fauent ei? qui Antonium Eremitam Ægyptium k, grauis auctor, accurato libello laudauerit, qui que cum Alexandrina Synodo l, iudicium sedis Apostolicæ, Diui Petri, suppliciter appellatit? Prudentius in hymnis quoties ad eorum cineres & ossa regem martyrum veneratur? Num hunc probabunt?

a August. Lib. 22. de Ciu. dei. c. 8
a Ser. de diuers. 34. & sequent.
b August. Contr. ep. Man. quam vocant fundam. cap. 4.

c Opratus: Lib. 1. & 2. cōtr. Parm. d Li. 1.
e Li. 2.
f Lib. 2.
g Lib. 6.
h Lib. 6.

i Aug. lib. 1. contr. Parmen. & De vnitar. cap. 16. & 1.3 de noct. Christ. c. 40.

k Vide S. Hieron. de script. Eccl. l. Vide ep. Syno. Alex. ad Fel. 2.

Hieronymus pro Diuorum reliquiis & honoribus scribit in Vigilatium: In Iouinianum, pro virginitatis gradu. Hunc cecine patientur?

a Vide ep. D. Ambr. ad Ital. To. 3. Surij & eiusd. Amb. epist. 85, Item serm.

91.

b Aug. lib. 22. de Ciui. Dei. cap. 8. Greg. Tur. lib. de glor. mar. ca. 46. Metaphrast c Caluin. Instit. lib. 1. cap. 11. nu. 5.

Ambrosius a tutores suos Geruasium & Protasium, celebritate notissima, in Artianā ignominiam honestauit: cui factō diuinissimi Patres b encomion tribuere: quod factum, Deus c non vno prodigio decorauit. Num beneuoli sunt Ambrosio futuri?

Gregorius Magnus, noster Apostolus, planissime noster est, eoque nomine nostris aduersariis odiosus, quē Caluini rabies negat in schola sancti Spiritus educatum e propterea quod sacras imagines, illiteratorum libros, appellasset.

Dies me deficeret numerantem Epistolas, Conciones, Homilias, Orationes, Opuscula, Disceptationes Patrum, in quibus ex apparato, grauitate & ornate nostra catholicorum dogmata roborarunt. Quam diu apud bibliopolas ista venierint, tam diu frustra nostrorum codices prohibentur: frustra seruantur aditus oraque maritimæ: frustra domus, arcæ, scrinia, capsulæ disquiruntur: frustra rot portis minaces tabulæ suffiguntur. Nullus enim Hardingus, nec Sanderus, nec Alanus, nec Stapletonus, nec Bristolius hæc noua somnia vehementius, quam hi quos recensui Patres, insectantur. Talia cogitanti accreuit animus & desiderium pugnae, in qua, quoquo se mouerit aduersarius, nisi gloriam Deo cesserit, feret incommodum. Patres admisit: captus est: exclusit: nullus est,

Adolescentibus nobis ira contigit. Ioannes Iuellus antesignanus Caluianorum Angliæ, catholicos ad Diui Pauli Londinensium, incredibili iactantia laceffuit, inuocatis per hypocrisin & imploratis Patribus, quicumque intra salutis annum sexcentesimo claruissent. Accipiant conditionem memorabiles viri, qui tum exulabant Louanij, summis licet difficultatibus propter iniquitatem suorum temporum circumsepti. Ausim dicere, tanto popularibus nostris bono fuisse illam Iuelli asturiam, inscirtiam, improbitatem, impudenciam, quas ij scriptores feliciter expanderunt, vt vix aliud quidquam, memoria mea, prouenerit Anglorum Ecclesiæ laboranti fructuosius. Edictum continud valuo appenditur, ne qui codices illiusmodi legerentur, neve haberentur, quum tantis clamoribus propemodum extorti prodiiissent. Didicere quicumque negotium attigissent. Patres fuisse catholicos, id est, nostros.

Neque hoc sibi suisque vulnus inflictū Laurentius Humfredus tacuit: qui cum altē Iuellum quoad cætera sustulisset, vnā ei notam aspersit inconsiderantiæ, quod Patrum calculus recepisset: quibuscū sibi nihil esse cōmercij, nec fore, sine vlla circuitione proloquitur.

Lib. de vit. Iuel.

Pertentauimus etiam familiariter aliquando Tobiam Matthæum, qui nunc in concionibus dominatur, quem propter bonas artes & virtutum semina dileximus, vt responderet ingenè, possētne qui Patres assiduus lectitaret,

istarum esse partium quas ille suaserat, retulit, non posse, si pariter eos legeret, iisque crederet. Verissimum hoc verbum est, neque aliter, aut eum nunc, aut Matthæum Hutthenum, qui vir nominatus in paucis, versare Patres dicitur, aut reliquos aduersarios qui hoc faciunt, sentire arbitror.

Hactenus ergo securus in hanc aciem potui descendere, bellaturus cum iis, qui quasi auribus lupum teneant, æternam causæ maculam cogantur inurere, siue recusent Patres, siue depolcant. Nam in altero fugam adornant, in altero suffocantur.

CONFVTATIO RESPONSIONIS.

WHITAKERI.



AD Patres quinto loco prouocat Campianus. Tu quàm in hanc arenam inuitus descendas illud facile ostendit, quòd tanto verborum apparatu nihil aliud initio quam fucum facere, & captatis vndique occasionibus lectorem remorari conaris. Campianus tam nostros esse Patres asseruit, quàm est Gregorius decimus ter-

tius, filiorum Ecclesiæ Pater amantissimus: cui quàm imperitè quàm pueriliter respondes! *Si (inquis) tam vestri sunt patres quàm est Gregorius filiorum Ecclesiæ Pater amantissimus, omnino vestri non sunt, quia neque Gregorius filiorum Ecclesiæ pater est amantissimus.* Hic ego sanè minime dubito quin omnes qui Campianum legerint vanissimum te hominem facile deprehendant. Quod enim refellere vis, non Campiani argumentum, sed tuum potius commentum est. Nihil enim ille aliud quàm tam esse Patres nostros quàm noster est Gregorius decimus tertius affirmavit, quem ne debita sibi multis nominibus laude spoliare videretur, filiorum ecclesiæ amantissimum patrem merito appellauit. Certaminis campum ingressurus, primum pro se in acie collocauit Campianus magnum illum Dionysium Areopagitam Pauli discipulum: Triplex (inquit) hierarchia martyris Dionysij, quas classes, quæ sacra, quos ritus edocet? Respondes. *Certè nouos atque in sacris litteris inauditos: Hocine est quod minabaris defectiorem à nobis aliquam Dionysium parare, & à nostris castris ad vestra transire velle? vel te ipso ergo iudice Dionysius noster est.* Sed inquis: *Dionysius & si tempore perantiquus, & scribendi genere non indoctus fuit, Areopagitam tamen fuisse illum quem Paulus ad fidem traduxit, prorsus incredibile est.* Nullum ego hic argumentum vel leuissimum video, nisi fortè auctoritatem tuam omnium nobis argumentorum instar esse velis.

Ablegas verò nos ad Erasimū & Vallam, apud quos argumenta huius rei grauiſſima extate ais. Quæ ego niſi leuiſſima eſſent, tanto te ſilentio pretereire potuiſſe non facile adducor vt credam. Præſertim cum res ipſa eſſagigaret, vt in ea probanda omnes ingenij neruos contenderes, & tu melioribus alioquin argumentis deſtitutus, ad replendas chartas vel leuiſſimas vndequaue nugas congerere ſoleas. Et quamuis ad Dionyſium à tuis calumniis defendendum ſatis eſſe debeat tot ſeculorum conſenſus, cum nihil niſi leuiſſimum cōtrā afferatur, tamen ne quas hic latebras inuenias, grauiſſimos aliquot huius rei teſtes ſubiiciam, qui hos ipſos de quibus nunc diſſerimus libros citatis inde ſententiis Dionyſio Pauli diſcipulo tribuerunt. Quos omni ſanè exceptione maiores ne tu ipſe quidem, opinor, negabis. Origenes. In ipſo enim, vt os diuinum loquitur, viuimus mouemur, & ſumus. vt ait magnus Dionyſius Areopag. Eſſe omnium eſt ſuper eſſentiam diuinitas. Eundem intelligit authorem Greg. Nazianzenus, cum ait: & ita quidem ſancta ſanctorum quæ à Seraphim conteguntur, & glorificantur tribus ſanctificationibus, quæ in vnam dominationem, atque deitatem coeunt, quemadmodum alius quiſpiam maiorum & pulcherrimè philoſophatus eſt, & ſublimiſſimè. Sophronius Hieroſolymorum Archiepiſcopus. Chriſti verò aſerimus eſſe virtutem etiam illā quæ dicitur noua, & Dei virilis ope-

Homil. I in
Ioan. inter
homel. in
var. ſcript.
loc.

Gregor. cōs
zi veridica.
Cœleſtis
Hierar. c. 4

Ad Sergiū
patriarchā
Conſtant.

ratio, non vnam exiſtenteſ, ſed diuerſi generis, ac differentię quam ex Areopago à Paulo egregio diuinitus captus Deo vocatus aſſeruit Dionyſius. Damascenus de fide orthodoxa citat locum de diuinis nominibus cap. 1. & lib. 2. cap. 18. citat locum cœleſtis hierarchię cap. 6. Item de iis qui in fide dormierunt citat locum ex libro de cœleſti hierarchia. Nicephorus de Paulo inter Areopagitas prædicante loquens, recenſet inter ſcripta Dionyſij Areopag. Pauli diſcipuli, primum opus de diuinis nominibus: ſecundum de cœleſti hierarchia: tertium de Eccleſiaſtica hierarchia: quarrum de arcana ſeu myſtica Theologia. Reliquit etiam epiſtolas decem, quarum poſtrema Euangeliftæ Ioanni qui ſupra pectus Domini recubuit eſt ſcripta. Atque hæc quidem ſcripta eius hodie quoque circumferuntur (inquit Niceph.) ipſe autem aliarum quoque lucubrationum ſuarum mentionem facit, quales ſicut quæ ab eo Theologicæ diſpoſitiones ſunt nominatæ. Item ſymbolica theologia, præterea de angelicis proprietatibus & ordinibus. Cōmentarius de anima de iuſto & diuino iudicio, de diuinis hymnis. Item de iis quæ vel intelligentia vel ſenſu deprehenduntur commentarij autem iſti omnino viſi non ſunt, neque nobis, neque iis qui ante nos fuerunt cogniti. Euthymius locum citat ex cap. 1. de diuinis nominibus. Maximus philoſopus Dionyſij Areop. ſententiam citat habeturque ſententia cap. 4. de diuinis nomi-

Epift. 4. ad
Caſum.

lib. r. ca. 12.

Eccle. hiſt.
lib. 2. c. 26.

In panopl.
part. 1. tit. 2.
Serm. 57.
cap. Theol.

nibus. Denique Dionysium Alexandrinum Archiepiscopum in opera Dionys. Areopagitæ scholia conscripsisse constat. Quæ Maximus scholiastes Dionysij Græcus, & Pachymeras item Græcus; citant in hoc opere. Nihil ergo tua illa exceptione vanius, qua Dionysij auctoritatem veritus, eum esse supposititium calumniaris. Quæ sanè exceptio si semel inter disputandum contra communem omnium scriptorum consensionem recipiatur, nullius vnquam scriptoris firma esse auctoritas poterit. vt quōdam Augustinus Manichæis in causâ non dissimili respondit.

Dionysium Ignatius sequitur quem ne tu ipse quidem dissimulare audes ab Hieronymo & Theodoro citari: quibus ego si vellē multos alios, non minori dignos fide adiungere possem. De quo tamen hoc tui Caluini iudicium est. *Ignatium quod obtendunt (inquit) si velint quicquam habere momenti, probent Apostolos legem tulisse de quadragesima & similibus corruptelis; Nihil uenit illis quæ sub Ignatij nomine edita sunt putidius.* Caluinum vt excules: Ignatium, iure reieciſſe ais, quod ab hæreticis qui personarum Trinitatem negabant ad hæreseos defensionem esset productus. An non eodem iure scripturas etiam ab iisdem hæreticis ad suæ hæreseos confirmationem adductas reiecerē potuisset? Nam vt scripturas ipsas, ita etiam Ignatij scripta ab illis perperâ intellecta, atque à genuino sensu detorta ipse non negas. Non ergo Caluinum malè habuit quod

lib. 1. cap. 13.
sect. 19.

quod tu causâ loco affers, sed quod in suis ille epistolis de Eucharistia, de Quadragesima, de sacris Ordinibus aliisque, quæ phanaticus ille spiritus vester in dubium vocauit, tam perspicuè, tamq; eruditè loquitur: *gratianus* (inquis) *Ignatio non nimium tribuit.* Et quis obsecro nimium illi tribuendum esse contendit? Tu quantum satis est tribue, & nobis abundè satisfeceris. An non ergo Campianus iure optimo desperatâ vos causam tueri dixit, cū nihil aliud, quorū de patribus agitur, quàm supposititios esse illorum libros respondere possitis. Atque Ignatij quidem scripta post tam longam tot seculorum præscriptionem ne sine causa reiicere videaris, dignum tuo acumine argumentum affers: *hieronymus, & Theodoretus citant quadam ex Ignatio, quæ nunc non circumferuntur, ergo quæ nunc circumferuntur Ignatij non sunt.* Perindè sanè ac si diceres multa ex Platone, Aristotele, Cic. aliisque; citantur, quæ in eorum operibus minimè inueniuntur. Omnia igitur eorum quæ præ manibus habemus supposititia cēsenda sunt. Et vt exemplo in re magis simili utar, Iustinus Martyr, & Tertullianus aliique veteres scriptores illud, vt à Propheta Regio dictum citarunt *Regnauit à ligno Deus, quod & in hodiernum diem Ecclesia vsurpat:*

*Impleta sunt quæ concinit,
David fidelis carmine:
Dicens in nationibus;
Regnauit à ligno Deus.*

Quum tamen hodie apud Dauidem nõ extet, ergo psalmi Davidis supposititij sunt. Hic sanè whitakere cum tam sæpè in Cápiano Dialecticorum acumen desiderare soleas, paulò te subtiliorem disputatorem præbere debueras, Irenæum dum pro se Catholici citant, ad liberi arbitrij, ad sacrificij Missæ, ad bonorum operum, & ad aliorum dogmatum confirmationem, Centuriatores vestri phanaticum quiddam illum tum edidisse clamant. Respondes: *An, si fortè phanaticum quid edidit Irenæus, mox vester totus erit?* Certè si cum à nobis citatur nihil vos aliud quam phanaticum respondere potestis, nostrum esse Irenæum, & vos tanquam hæreticos in iis dogmatibus condénare conceditis, Nam quod illum docuisse obiicis Christum quinquagesimo ætatis anno mortem pro nobis tolerasse: non ideo sanè vester est, nec noxter esse desinit. Non enim nos peculiarem aliquam propriamque Irenæi opinionem aduersus Calvinianos defendimus, sed quæ cum reliquis ille etatis suæ patribus, adeoque cum tota Ecclesia docuit, qualia sunt quæ vobis, & Centuriatoribus vestris phanatica in Irenæo videntur: quamquam hunc illius errorem vos qui nihil præter scripturas admittitis nullo argumento refellere potestis. Vt enim diligenter Augustinus obseruauit, ex solis scripturis sacris qua demum ætate Christus passus sit, constare tam clarè non potest. quod verò de Irenæo dicimus idem quoque de Clemente, aut quo-

Centur. I.
lib. 2. c. 10.
& seq.

Lib. 2. c. 29.

Lib. 2. de
doctrin.
Christian.
cap. 28.

uis alio Ecclesiastico scriptore dictum putat. Non enim Clementem, Augustinum, aliosve Ecclesiasticos scriptores, quantumuis doctos, & sanctos, vt fidei nostræ authores, sed tanquàm illius doctrinæ, quam à maioribus in ecclesia didicerunt, testes sequimur, quemadmodum ipse Augustinus postquam antiquorū patrum testimoniis Iulianū hæreseos cōuicisset. Quod inuenerunt, inquit, in Ecclesia tenuerūt, quod didicerunt, docuerunt, quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Et rursum. Talibus post Apostolos sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædicatoribus, pastoribus, nutritoribus creuit, ideo profanas voces vestræ nouitatis expauit. Sed bene habet, quod elegantissimum Tertulliani libellum repudiare non audes, quem affirmat Campianus hæreticos nostri temporis vehementer percellere: tu ac si cum iis tibi hominibus negotium esset, qui Tertulliani scripta ne à limine quidem salutassent, *Multa, ais, in eo libello præscripta esse diuinitus contra Romanam Ecclesiam.* Sed quæ nam hæc sint ne leuissimè quidem attingis, nisi fortè illud contra Romanam Ecclesiam proferre volebas, quod Tertullianus Beatum Petrum Romæ dixerit omnem suam doctrinam cum sanguine profudisse, quod Petrum petram, & fundamentum Ecclesiæ appellari, quod hæreticorum morem esse, ad solas scripturas prouocare testetur, quodque contra eos non tam ex scripturis, quam ex traditione instituendam

Lib. 2. cōtr.
Iulian.

De præfer.
aduert. hæret.

esse disputationem censeat, & urgendos esse vt
 ab Apostolicis, vel ab Apostolicis viris, qui cum
 Apostolis perseverarunt, Ecclesias suas tanquã
 à matrice fluxisse ostendant, vt Romana Eccle-
 sia originem suam ad Petrũ, & Smyrnæorum
 ad Polycarpum refert. Et quod contra hære-
 ses hanc perpetuam legitimæ successionis legẽ
 seruandam esse docuerit, & quod vestros tam
 graphice mores depingat. Nõ omittam etiam
 (inquit) ipsius conuersionis hæreticæ descri-
 ptionem, quã futilis, quam humana sit, sine
 grauitate, sine autoritate, sine disciplina, vt fi-
 dei suæ congruens. Catechumenus, & fidelis
 pariter orant, pacem quoque cum omnibus
 miscent. Nihil enim interest, illis licet diuer-
 sa tractantibus, dum ad vnus veritatis expu-
 gnationem conspirent: omnes tument, om-
 nes scientiam pollicentur. Antè sunt perfe-
 cti catechumeni, quam educati: ipsæ mulie-
 res hæreticæ quam procaces, quæ docere au-
 deant, contendere, exorcismos agere, cura-
 tiones repromittere, forsitan & tingere, (*depu-
 blico baptisandi officio loquitur*) ordinationes eorũ
 temerariæ, leues, inconstantes. Nunc neophy-
 tos collocant, nunc seculo obstrictos, nunc
 Apostatas nostros. Nunquam facilius profici-
 tur, quam in castris rebellium. Itaque alius ho-
 die Episcopus, cras alius, hodie diaconus, qui
 cras lector, hodie presbyter qui cras laicus, nã
 & laicis sacerdotalia munera iniungunt, quo-
 niam & ipsum eorum non de suo proprio adi-

cicio venit, sed de veritatis destructione. Cæte-
 rum nec suis præsidibus reuerentiam nouerũt.
 Mentior etiam si non à regulis suis variant in-
 ter se, dum vnusquisque proinde suo arbitrio
 moderatur quod accepit, quemadmodum de
 suo arbitrio ea composuit, ille qui tradidit:
 Agnoscit naturam, & originis suæ morem pro-
 fectus rei, plerique nec Ecclesias habent. No-
 ta sunt etiam commercia hæreticorum, cum
 magis, cũ circulatoribus, cũ astrologis. Itaq; li-
 bera sunt illis omnia, & soluta. Hæc fortè sunt
 aliãque id genus, quæ pro vobis contra Ro-
 manã Ecclesiam Tertullianus perscripsit. Hip-
 polytũ deinde cõtra vos Campianus in aciem
 produxit, cuius ne autoritate Lutherani pre-
 merentur, eum scriptorem infantissimum, &
 lacuam nominarunt. Horum tu vestigijs præ-
 clarè insistis, cùmque ad illius autoritatem
 eleuandam nihil non tentes, id tantum præstas,
 vt te ipsum lectoribus ridendum exhibeas.
*Hypolyte, inquis, miror te non puduisse, cuius ipsum
 penè puduit Hardingum. Quid sibi tuum illud,
 penè, vult whitakere? Si enim penè puduit, nõ
 puduit, nam quod penè fit, non fit. Et quorsum
 quæso puduisset? Sed hic tuus est vbique lo-
 quedi mos, vt negesne, an affirmes aliquid, ne-
 mo intelligat. Tandem illud tuum suppositi-
 tium nobis hic rursum obtrudis: hippolytus hic
 vester (inquis) supposititiuus est. Qui verò tu id
 nosti? Occulto, vt arbitror, spiritus testimonio,
 quod Hieronymo certè defuit, cum Episcopũ*

Hippol. de
 consumm.
 secul.

fiteris: sed illud magis mirum, Cyprianū etiam
 rum deprauatorem pœnitentiæ Caussæo tuo
 fuisse, cum neque ipse de pœnitētia quicquam
 cogitasset, neque pœnitentiæ nomen apud
 christianos audiuisset. Deinde, quid quæso ad
 eam de qua agimus causam pertinet, qualis
 ante baptismum ille fuerit. Non enim in chri-
 stianis initia quæruntur, sed finis, vt eleganter
 Hieronymus dixit. Neque tamen Cyprianus
 hic noster, is fuit si doctis plerisque credimus,
 quæ putas, quæ cum Iustino martyrium subiisse
 Nazianzenus refert. Vt enira ex temporum hi-
 storia constat, noster Cyprianus sub impera-
 toribus Valeriano, & Galieno, Carthagini
 sub iudice Valerio Maximo, Comitibus Cre-
 scenciano, & aliis tribus 18. cal. Octobris pro
 Christi fide mortem oppetit: alter sub Impe-
 ratore Diocletiano in Bithynia, Nicomedia
 sub iudice Eutolmio cum Iustina virgine 6.
 Calendas Octobris.

Ex Chroni-
 cis Bedæ.
 Adonis, V-
 suardi, Vau-
 delberti
 Martyrol.

Sed quoniam, vt dixi, hæc ad causam nostram
 non spectat, pluribus non agam. Ad rem nunc
 redeamus. Campianus Cyprianū, decus Afri-
 cæ, suum esse asserit, queriturque à Magdebur-
 gicis & Caussæo *stupidum, destitutum Deo, &*
deprauatorem pœnitentiæ appellari. Tu abiecto tam
 impudentium hominum patrocinio ingenuè
 respondes: *Non hoc vnus Cypriani fuisse, vt de pœ-*
nitentiâ admodum incommodè atque imprudenter
nonnulla scriberet: sed in eodem errore omnes penè
illo tempore sanctissimos patres extitisse, de Christi

morte nonnihil detraxisse, suis intentis nimium
tribuisse, & denique pœnitentiâ deprauasse. Ni-
 mirum (vt de Marcione dixit Terrullianus)
 liberanda veritas expectabat Whitacherum. O
 singularem impudentiam, & arrogantiam non
 rolerandam! Patres omnes qui ea ætate in ec-
 clesia floruerunt in re tam magna, tam vili,
 tam necessaria, tam turpiter, tam perniciosè
 errasse. Quali verò ignorarint ipsamet pœni-
 tentiæ opera non aliundè quam ex Christi me-
 ritis ac sanguine vim omnem atque efficacita-
 tem habere. Itane ad vestra patres castra de-
 fectionem à nobis moliuntur? An non optimo
 potius iure suos esse patres Cāpianus asseruit,
 quorū vos auctoritatem tam superbè asperna-
 mini: nec cum res maximè postularer quid-
 quā assertis quò vestros esse in vlllo fidei dog-
 mate illos ostendatis? Et certè si veta sunt quæ
 Cyprianus martyr scripsit, & Petrus vester
 Martyr, omnèsque fœderati, peiores adulteris
 habeantur necesse est. Tu quænam hæc sint
 ignorare te ais, at si quæ citauit Campianus
 de Virginibus, de Lapsis, de vnitæ Eccle-
 siæ, & epistolas ad Romanum Pontificem scri-
 ptas legisses, nullo sanè negotio discere po-
 tuisses. Quæ & in huius disputationis progres-
 su paulo tecum fusius disseram. Iam de Chry-
 sostomo, Nazianzeno, Ambrosio Hierony-
 mo ceterisque illius ætatis patribus nihil attinet
 plura dicere, quos tu Campiani esse vltro fate-
 ris, Lutheriq; de Chryostomo iudiciū probas

Quod iustitiam ille fidei obscuravit, & Caussæ de Nazianzeno quod fabuletur, & quid dicat nesciat, & Ambrosiū à damone fascinatū. Ac lepidè deinde interrogas: an hi patres proinde toti tui sunt? Vos Chrysostrum, Cyprianū, Ambrosiū, Nazianzenū ceterosq; patres nostros esse fatemini, sed nō totos nostros, quasi nobis semipatres existant. Nos verò qui veri illorum filij sumus, non illos pro semipatribus habemus, sed totos nobis tanquam patres vendicamus. Nam aliud nihil, quam quod ab illis didicimus, docere profitemur. Vos ipso immani diuisionis scelere quo illa olim meretrix à Salomone deprehensa fuit, supposititios vos filios esse, & quos nulla parentum cura tangat, quos nulla pietas moueat nobis etiam tacentibus palam omnibus facitis. Hieronymū quem pro patre agnoscimus, Beza tuus pater, iniuriosum apostolo, & blasphemum & sceleratum & impium fuisse dicit, si tamen vera sunt (inquit) que de eo Erasmius scribit. Certe si vllus in Beza pietatis sensus in Hieron. ut patrem fuisset, nihil Erasmi iudicium moratus, locum ipsum in Hieronymo legisset, nec tam facile impium & sceleratum & blasphemum pronūciasset. Quid enim de Paulo Hieronymus tantis dignum conuictis scripsit? Cæditur (inquit) apostolus à ministro & contra Pontificem qui cædi imperauerat sententiam dirigit. Percutit te Deus paries dealbate. Vbi est illa patientia Saluatoris, qui quasi agnus ductus ad victimam non aperuit os suum? Nō

3. Reg. 3.

Erasmi in
ann. Act.
cap. 23.Hier. dial. 3.
contra Pel.

apostolo detrahimus, sed gloriā Dei prædicamus, qui in carne passus carnis iniuriā superauit, & fragilitatē. Quis sanæ mentis iniuriā Paulo Hieronymū fecisse dixerit quod summam illam ac perfectissimam Christi patientiam non assequutum scripserit, & carnis adhuc fragilitatem sensisse? Rursum ad conuictia redis. Equidem (inquis) multos legi atque nonnullos audiri summa importunitate & petulantia papista, sed improbiorem quam te, noui certè in vita neminem. Ita nullum facis mentendi finem. Quæ tanta hæc impudentia? Tu quæ hic de Caussæo ruo, de Magdeburgicis de Luthero, de Beza Campianus dixit vera esse fateris, & tamen dicere non pudet Campianum mentendi finem nullum facere. Sed Beza (inquis) nouo mendacio Campianus aggredditur: quem ait scripsisse Hieronymum æquè damnatum esse ac diabolum. Dum Campianum mentiri ais ipse splendide profecto mentiris. Non enim hoc Bezam sed Caussæum dixisse affirmauit. Gregorium tuum Massouium centum Augustinis vnum Caluianum anteferre, & Lutherum mille Augustinos mille Cyprianos mille Ecclesias præ se nihili æstimare Campianus obiecit. Tu facilem esse & expeditam responsionem ais. Quisquis (inquis) verum dicit in eo potior est vniuersis qui verum videre non potuerunt. Itaque, qui vel horum patrum, quos naminaſti, vel ceterorum quos hic simul commemoras, Athanasij, Optati, Hilarij, Cyrilli, Epiphani, Basilij, Vincentij, Fulgentij, Leonis, Gregorij,

Prover. 26.

Epist. ad
Paul.

errores reprehenderunt, laborem Ecclesiæ necessarium
& piis omnibus pergratum atque utilem susceperunt.
Maeste virtute whitak. post tam multos cæcos
vnū patrē bene oculatum nactus es, qui plus
folus vidit, quam mille Augustini mille Cypr.
mille Ecclesiæ. Sapientior, vt ait Salomon, sibi
stultus videtur septem viris loquentibus sen-
tentias. Hanc ego sanè facilem esse atque ex-
peditam vobis responsionē non ambigo, quo-
ties contra Caluinianam fidem Patres afferun-
tur, eos errasse, vos eorum errores deprehen-
disse, atque hunc laborem Ecclesiæ necessariū,
& piis omnibus pergratum atque utilem su-
sceperisse. Neque enim, si veritatem ingenuè fa-
teri vultis, aliter vnquam vobis respondendum
esset. Sed quid est quæso quod relicta patrum
statione, tam importunè quasi postliminio ad
Hieronymum redis, & ex illa nobis obicit,
 22 *Vitiosissimum esse docendi genus, deprauare sententias,*
 23 *& ad voluntatem suam scripturam trahere repu-*
 24 *gnantem.* Quæ quanto in vos aptius quadret,
res ipsa satis loquitur. Non enim ad voluntatē
nostram scripturam inflectimus, sed in eius ex-
planatione vocem ecclesiæ sequimur, quam
Spiritus sancti, qui eam regit, vocem esse mi-
nimè dubitamus. Vos verò vt Hieronymi ver-
bis vtar, pro arbitrio scripturas ad voluntatem
vestram (hoc est ad somnia vestra) trahitis. Vo-
cem Ecclesiæ, quæ Spiritus sancti vox est, con-
temnitis. Sed vide ne iure tecum optimo Hier-
onymus expostulet, cuius nunc in explanandis

scripturis sententiam vehementer probas, cum
paulò antea Bezæ tui de illius intoleranda au-
dacia in derorquendis scripturis iustissimam
fuisse querelam afferas. Profers deinde Augu-
stinum, nec Augustini verba sed tua potius, vel
nescio cuius, symmistæ fortassè tui, recenses.
Et ne fraus deprehendatur locum non defi-
gnas, Cum Augustino (inquis) profitemur om-
nium scriptorum dicta iudicanda secūdum
diuinam scripturam : Cuius maior est auto-
ritas, quam totius generis humani capacitas.
Non quod damnem illustrissimorum patrum
sententiam, sed quod eos imiter qui proximè
scripturæ accedunt, sed præ omnibus, si aperta
fuerit scriptura, eam ipsam amplector. Verum
hoc examen non per apostatas monachos, qui
se vltro (vt ait Cyprian.) apud temerarios cōue-
nas sine diuina dispositione præficiūt, qui se præ-
positos sine vlla ordinationis lege cōstituunt,
qui nemine Episcopatum dante Episcopi sibi
nomen assument (neque enim Episcopus pu-
tari potest qui Euangelica & apostolica tra-
ditione contempta nemini succedens à se ipso
ortus est) sed per legitimos doctores & pa-
stres fieri debet. Et si tantum vobis arroga-
tis, vt veterum patrum dicta omnia ad scri-
pturam tanquam ad lapidem lydium exami-
nare velitis: An non æquo à vobis iure patres
postulabūt, vt vestra etiam omnium scripta ad
eundē lapidē expédant: id iam fecerūt & vos in

Cyprian. de
vnit. Eccles.
& in Epist.
ad Mag.

maioribus vestris (hoc est in Manichæo, No-
uato, Pelagio, Acrio, Vigilantio, Iouiniano &
aliis, quorum ab orco hæreses reuocastis, hære-
ticos pronuntiarunt. An non ergo patribus
aque credendum est, cum vestra illi scripta ad
lydium se lapidem examinasse, atque hæretica
deprehendisse dicunt, ac vobis, dum patrum
scripta vos examinasse profiteremini atq; etiam
errores deprehendisse. Sed vobis sat scio Lu-
therus vnus, pro mille patribus est. Vt hanc le-
gem tanquam parum Calumianæ fidei com-
modam minimè suscipiatis. Verissimam igitur
vestri erga patres odij rationem Campianus
reddidit, cum ait: *Qui odere stata ieiunia quo ani-
mo oportet esse, in Basilium, Nazianzenum, Leo-
nem, Chrysostrum, qui de Quadragesima &
indictis ieiuniorum feriis conciones egregias publi-
carunt?* Respondes: *Stata & legitima ieiu-
nia Christus in Euangelio nulla prescripsit.* Id nunc
non agitur Whitakere? sed vos patrum au-
thoritatem aspernari Capianus asseruit, quod
Quadragesimam, & stata Ecclesiæ Ieiunia, non
recipiatis, de quibus illi tanquam de rebus vfi-
ratis conciones egregias publicarunt. Quod
adèd negare non potes, vt contempta patrum
omnium auctoritatè stas solemnitates Ieiu-
niorum & superstitionis plenas esse, & verita-
tis Christianæ inimicas impudenter affirmes:
Neque tamen te pudet quos tam petulanter
insectaris, tuos esse non Capiani patres gloria-
ri. *Ieiunium* (inquit) *Quadragesimæ longo post Chri-*

stum intervallo institutum fuit. Quod & ad eam
de qua agitur causam nihil spectat, & tuam
incertiam clarissimè prodit. Quis enim vel pri-
mionibus, quod aiunt, labris veterum monimè-
ta degustauit, qui non te facilè mendacij coar-
guat? Ambrosius. *Non enim fratres leuè peccatum* Serm. 25.
est (inquit) indictam à Domino Quadragesimam vio-
lare. Et Hieronymus ad Marcellam: *Nos vnus* Ad Marcell.
Quadragesimam ex Apostolorum traditione le- epist. ad Phil.
iuamus. Ignatius. Quadragesimam (inquit) no-
lite contemnere. Imitationem enim habet Dei con-
uersationis. Omitto ceteros quorum nemo est
qui non antiquissimam hanc & ab Apostolis
traditâ Quadragesimæ obseruationem agno-
scat. Eiusdem farinae est quod Augustinum ais
Quadragesimam nostram non agnouisse. quo
nescio an aliud cuiusquam hominis menda-
cium extet impudētius. Quadragesima (inquit Epist. 119.)
ille) auctoritatè habet, in veteribus libris ex Ie-
iunio Moyfi, & heliæ, & ex Euangelio: quia
totidem diebus dominus ieiunauit, & in qua-
stion. super Genesim, non enim frustra qua-
draginta dies Ieiuniorum sunt constituti, qui-
bus Moses & Helias & ipse Dominus ieiu-
nauit, & Ecclesia præcipua obseruatione iei-
uniorum Quadragesimam vocat. Quid plura?
possem ego sexcenta huiusmodi ex Augu-
stino proferre, quem si legisses aliquando non
adèd turpiter ignorares Acrium ab illo ob eū-
dem quem tu errorem profiteris inter hæreti-
cos nominari. Acrius cū Arrianus esset (inquit) Aug. de hær.

69 dogmata sua condidit nonnulla. stata solenni-
 70 ter non esse celebranda ieiunia, sed cum quis-
 71 que voluerit ieiunandum, ne videatur esse sub
 72 lege. homines luxui deditos & monastice vita
 73 olores Campianus asseruit Basilio, Chryso-
 stomo, Hieronymo, Augustino, ceterisque pa-
 tribus non posse non esse inimicissimos, quo-
 rum libri de Monachorum instituto teruntur.
 Tu vero quid? veritate ipsa superatus (vt de Io-
 tiniano dixit Hieronymus) te ad detractio-
 vitæ nostræ & maledicta conuertis. Sed vt ille
 sibi Iouiniani conuitia, ita nobis vestra gloria
 ducimus. Quis enim illos (vt inquit augustinus) non admiretur, & prædicet, qui contem-
 ptis mundi huius illecebris, in communem vi-
 tam castissimam, sanctissimamque congregati
 sunt? vbi simul ætatem agunt, viuentes in ora-
 tionibus, & lectionibus, & disputationibus.
 Hæc Manichæi (inquit ille) reprehendite si po-
 testis, nolite cæcis hominibus, & discernere in-
 ualidis ostentare nostra zizania. Quibus sanè
 verbis vt olim Manichæis: ita nunc vobis Ma-
 nichæorum hac in parte discipulis grauissimè
 responderet. Qui captiuam hominis volūtatem
 innexere (inquit Campianus) qui christiana
 funebria sustulere, qui dinorum reliquias in-
 cendère, sintne placabiles Augustino, qui de
 libero arbitrio libros, tres de cura pro mortuis
 vnum, de miraculis ad Basilicas & memorias
 martyrum prolixum caput nobilissimi opetis,
 & conciones aliquot exarauit. Hæc te quam
 vehemen-

De morib.
 ecclesiæ
 cap. 32.

vehementer pupugerint satis illud ostendit,
 quod duobus capitibus summa fraude omis-
 ad tertium, vbi densiores te latebras inuentu-
 rum speras, confugisti. Sed ego te fugientem
 ad apertum disputationis campum deuo re-
 uocabo. Dic mihi Whitakere, vos qui Chri-
 stiana funebria sustulistis, & qui diuorum reli-
 quias succendistis, quomodo potestis placabi-
 les esse Augustino, qui de cura pro mortuis
 agenda librum vnum, & de miraculis ad basi-
 licas martyrum, prolixum caput nobilissimi
 operis, & conciones aliquot exarauit? Ne planè
 mutus hoc in loco videaris, respondes: *Nos pro-
 fanam superstitionem & maiestati diuinæ iniurio-
 sam ferre non potuimus.* Sanctorum ergo reliquias,
 & funebria Christiana, vt supersticiosa, & di-
 uinæ maiestati iniuriola sustulistis. Sed quid
 interea Augustino respondes? *Augustinum* (in-
 quis) *habemus nobis assentientem.* Si eum vobis
 assentientem habetis, qui ex instituto vos op-
 pugnat, & in Aërio hæretico, qui offerendum
 pro defunctis sacrificium negabat, vos hæreti-
 cos pronunciauit, fateor equidem Augustinū
 vos assentientem habere. Hic ego primum in-
 telligere incipio quo demum sensu vos patres
 habere vobis assentientes dicatis, nimirū quia
 doctrinam vestram ex instituto oppugnant, &
 quæ vos supersticiosa, illi religiosa dixerunt.
 Sed quia hic tibi locus nimium molestus est,
 ad id quod tertium tibi Campianus de libe-
 rio arbitrio obiecit, transis. Ac primo sanè con-

gressu magno in hostem impetu ruis. Obi-
cienti enim Campiano tres de libero arbitrio
Augustinum libros conscripsisse. Respon-
des eundem Augustinū de duabus etiam ani-
mabus contra Manichæum librum scripsisse,
de mendacio alium, & de quantitate animæ:
nec ex eo tamen effici, vel in homine duas esse
animas, vel mendacium ab eo laudari, vel ani-
mæ magnitudinem esse tribuendam. Acute sa-
nè. Sed acumini tuo hoc vnum deerat, vt pau-
lo tecum diligentius cogitares, Augustinum
neque ad probandum duas esse in homine ani-
mas, neque ad mendacium laudandum, neque
vt veram animæ magnitudinem tribueret eos
libros scripsisse: quemadmodum contra Ma-
nichæos de libero arbitrio disputationem lu-
scepit, vt liberum arbitrium quibus posset ar-
gumentis assereret. Illi enim cum primam ma-
li originem quærent, & Deum qui summè
bonus est mali aurorem, quod vos facitis, asse-
rere blasphemum ac impium iudicarent, duo
rerum principia inuexere, vnum bonorū, ma-
lorum alterum. Quorum insana deliria vt Au-
gustinus refelleret, non aliam in homine mali
originem à voluntate ipsa quærendā demonstra-
uit: Quæ quod libertate prædita esset, in bonū
quandoq; quandoq; in malū ferretur. Id quod
ipse locus quem ex primo retractationum li-
bro citasti, satis ostendit. *Propter eos* (inquit) *sus-*
cepta est disputatio, qui negant ex libero voluntari-
o arbitrio mali originē duci: Et rursus, si ita est, crea-

lib. 1. cap. 9.

tozem omnium naturarū culpandum esse contendunt.
Sic enim (vt vides) Manichæi ratiocinaban-
tur. Si mali origo ex libero arbitrio est, liberū-
que arbitrij Deus ipse author est, Deum pro-
fectò mali etiam authorem esse necesse est.
Augustinus verò captionem hanc ita diluit,
vt Deum respondeat nulla hominem necessi-
tate ad peccatum adigere, sed liberam ei vo-
luntatem dedisse, sine qua ne peccatum qui-
dè esse possit. *Quis* (inquit) *peccat in eo quod* Aug. lib. 8.
cauei nullo modo potest? Et eodem libro. cap. 28.
Motus (inquit) *quo huc aut illuc voluntas* »
conuertitur, nisi esset voluntarius, atque in no- »
stra potestate, neque laudandus, cum ad supe- »
riora, neque culpandus homo esset, cum ad in- »
feriora detorquet quasi quendam cardinem »
voluntatis: neque omnino monendus esset, vt »
istis neglectis æterna vellet adipisci, atque vt »
malè nollet viuere, vellet autem bene: Quibus
verbis liberum hominis arbitrium quo in bo-
num & in malum ferri potest, clarissimè osten-
dit. Non enim aut peccatum esset, aut rectè fa-
ctum quod non fieret voluntate: vt idem Au- Lib. 2. ca. 17.
gustinus ait, ac per hoc & pœna iniusta esset, &
præmium, si homo voluntatem non haberet
liberam. Multa in illis libris his similia passim
occurrunt, ex quibus Campianum non legisse
modò hos libros, sed & longè te rectius intel-
lexisse palam est. Addis deinde. Vt planè perspi-
cias hos de libero arbitrio libros à te temerè fuisse
introductos: audi quid his ipsis libris de hominis vo-

luntate scripserit. Tu tantum pietatem incoh-
 cuffam tene, vt nullum tibi bonum, vel sentiē-
 ti, vel intelligenti, vel quoquo modo cogitan-
 ti occurrat, quod non sit ex Deo. Quorū
 hæc nisi vt tuam ipsius incitiam prodas? quis
 enim Catholicorum hoc vnquam negauit? Sa-
 nē si vel antiqua illa contra Pelagianos conci-
 lia, vel ipsam Synodum Tridentinam legere
 libuisset, luce clarius vidiffes Catholicos om-
 nes credere, boni nihil quod ad promerendam
 beatitudinem valeat sine diuinā gratia homi-
 nis voluntatem quantumuis liberam præstare
 posse. Ignoras videlicet libertatis de qua agi-
 tur in eo vim ac naturam consistere, vt nulla in
 alterutram partem necessitate feratur. Pulchrè
 enim Hieronymus, liberum sic confitemur
 arbitrium, vt dicamus nos semper Dei egere
 auxilio, & tam illos errare, qui cū Manichæis
 dicunt homines peccata vitare non posse, quā
 qui cum Iouiniano asserunt hominem semel
 iustificatum non posse peccare. Nos verbō di-
 camus semper hominem, & peccare, & non
 peccare posse, vt semper nos liberi confitea-
 mur arbitrij. Sed quid pluribus cōtra tuas nu-
 gas veterum testimoniis vtar? cum aperta sit
 ipsius apostoli tui Caluini confessio. *Tamest
 (inquit) præ alijs Græci atque inter eos Chryso-
 stomus, in extollenda humana voluntatis facultate
 modum excefferunt, veteres tamen omnes, excepto
 Augustino, sic in hac re, aut variant, aut vacillant,
 aut perplexè loquuntur, vt certi ferè nihil ex eorum*

Epistol. ad
 Dam.

lib. 1. sect. 4

scriptis referre liceat. Augustinum ille quidem se
 excipere simulat, quo nemo tamè acrius, nemo
 vehementius liberum negantes arbitrium op-
 pugnavit. *Aduersus hæc (inquit) Manichæi larvāt
 (nunc Calviniani) & conuincuntur naturam non
 esse malam, sed in potestate esse hominis facere bene
 aut malè. Dicunt non esse animæ liberam vo-
 luntatem, & nō vident cæcitatē suam. Quis,
 enim non clamer stultum esse præcepta dari
 ei, cui non est liberum quod præcipitur facere,
 & iniquum esse eum damnari, cui non fuit po-
 testas iussa complere? Non enim in mentem
 Augustino venerat tam stultū fore aliquando
 aliq̄ quàm nunc esse Caluinū omnes viden-
 mus, qui inter recōdita illa euāgelij sui myste-
 ria illud numerat: Deū & præcepta dare ei cui
 ea facere liberū non est, & iniquū non esse eum
 damnare cui iussa cōplere potestas nō fuit. Et
 alibi idem Augustinus. Et quoniam pecca-
 re non dubium est, nec hoc quidem dubitan-
 dum video, habere animas liberum volunta-
 ris arbitrium. Tales enim seruos suos melio-
 res esse Deus iudicauit, si ei seruirent liberali-
 ter, quod nullo modo fieri posset, si non volū-
 tate, sed necessitate seruirent. Quod verò ex
 Augustino postremum asseris: Homine libero
 arbitrio malè vtendo, & se & liberū arbitrium
 perdidisse: quis tibi, vel puer non facilè expli-
 cet? Ita hominem liberum perdidisse arbi-
 trium, vt se ipsum perdidit, quem tamen ita
 perditum, vt omnino homo non sit, nemo*

De fide cō-
 tra Manichæ
 cap. 9. & 10.

De vera re-
 lig. cap. 14.

Aug. Ench.
 cap. 30.

fanus dixerit. Neque ergo liberum arbitriū ita perditum esse censendum est vt non sit. sed quia est optimus sui interpretis Augustinus, ipsum potius loquentem audi. Quis autem nostrum dicat (inquit) quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem perit per peccatum, sed illa quæ in Paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iusticiam. Hic sane vides (si quid videre potes) non alio sensu Augustinum asserere peccando hominem liberum amisisse arbitrium, quàm quia diuinis illis cœlestis gratiæ donis, quibus ornatus erat, se ipsum spoliari, seruūque peccati reddiderit: vt nisi per gratiam liberetur, boni nihil, quod Deo gratum sit prestare possit. Atque ob hanc causam eodem loco August. addidit naturam humanam diuina indigere gratia. Si vos filius liberauerit (inquit) verè liberi eritis, vtique liberi ad bene iustèque viuendum. Succensere vos rursus Augustino ait Campianus, quod contra Epist. fundamenti scribens, se profiteatur, antiquitati, consensio, successio perpetuæ, & Ecclesiæ quæ sola inter hæreses Catholicæ nomen vsucapione vendicat assentire. Et illi nos (inquis) Ecclesiæ quæ ista habet omnia, assentimus. Quidni ergo nobiscum illius doctrinam amplectimini in qua Augustinum hæc omnia retinuerunt? Vel certè, si quam potestis, aliam proferte ecclesiam quam eam in qua & Augustinus vixit, & nos viuere

Ioan. 8.

profitemur, Romanam intelligo, quæ vsucapione sibi Catholicæ nomen vendicari. Et cum tanti apud Augustinum ponderis ac momenti antiquitas, consensio, successio perpetua, ipsum denique catholicæ ecclesiæ nomen fuerit, vt hoc veluti clipeo rectus hereticorum omnium impetus fortissimè rerunderet: cur si verè Augustinum pro patre agnoscitis, eo vos clipeo non munitis? nobisque, quod iisdem contra vos quibus ille olim contra sui temporis hæreticos armis, vtamur, succensetis? Præclare verò respondisse te putas, cum ex eodem Augustini libro veritatem his omnibus antepondam esse ais. Id verò quis negat si hæc omnia veritate destituantur? Destitui verò Augustinus non posse contendit. Alioquin non satis profectò momenti habere debuissent, vt eum in catholica retinerent Ecclesia. Sed quia Manichæi his omnibus destituti (vt vos) clarissimam esse apud se veritatem vestro more gloriabantur, prudenter sanè Augustinus ea Manichæis respondebat, quæ tu iam aduersus Campianum imperitissimè adducis. Si veritas (inquit) Tam manifestè monstratur, vt in dubium venire non possit, præponenda est omnibus illis rebus, quibus in catholica teneor. Totidem sanè nos verbis vobis respondemus. Veritatem enim tantum querimus. At vos veritatem tam manifestè monstrare, vt in dubium venire non possit, quis etiam vestrum nisi prorsus stupidus dicere audebit?

R. iij

Merito igitur, quæ Augustinum in Ecclesia retinuerunt, eadem nos quoque retinebunt, donec vos tam manifestam veritatem ostendatis vt in dubiū venire nō possit. Quod equidem ad Calendas fore Græcas non dubito. Neque tamen quæ dico ita velim intelligi, vt me quis existimare putet ibi esse veritatē posse, vbi illa non sunt, quibus se in ecclesia retineri Augustinus, professus est. Quod neq; Augustino ipsi in mentem vnquam venit: sed vt illius nos vestigijs insistere, illumque in patrum nostrorum numero, vel inuitis vobis merito collocare omnes intelligant, nosq; eodem contra vos disputandi genere vti, quo illū Manichæorum imporrunitas vti fecit: Nec me later quāto vos fastu clarissimā veritatis lucē apud imperitos iactare soleatis. Sed idem non minori olim arrogantia fecisse Manichæos scio: quibus quod olim August. idem ego nūc vobis re-

Cap. 14. de
vtilit. cred.
Lib. 1. con-
tra Iouin.
2. Petr. 2.
129

spōdeo. Vos autē (inquit) & tā pauci & tam turbulenti, & tam noxi, nemini dubiū est quoniā nihil dignum auctoritate proferatis. Atque vt Hieron. verbis, quibus cōtra sui tēporis hæreticos vtitur, locū hūc cōcludamus: *Hi sunt fontes sine aqua, nebula turbidibus exagitata. Nonne tibi videtur (inquit) pinxisse sermo Apostolicus nouā imperitia factitatem? Aperiunt enim quasi fontes scientia, qui aquā non habent doctrinarū. Promittūt imbrē, velut nubes Prophetica, & turbidibus exagitātur demonū, atque vitiorū, loquūtur grandia, & totus eorū sermo superbia est.* Ex Optato vobis Cāpianus cōmunionē ca-

tholicā & Rom. pōt. successionē obiecit. respōdes. Merito quidē Optatū & sanctissimos patres de-cretā & successiones pontificū Rom. nonnumquā cōmemorare, vt hæreses refellant, quia tum romana ecclesia vera fidei custos erat. Sed nostrā Ecclesiā à fidei integritate ad nefandam perfidiam degenerasse. Quæ sanè responsio etsi Caluini tui sit, tamen neque Optatū te, neque alios qui eodē vtuntur argumēto patres vidisse satis ostendit. Negare nō potes (inquit) scire te in vrbe Roma petro primæ Cathedræ Episcopale esse collatā, in qua sederit Apostolorū caput. & infra. Sedit prior petrus cui successit Linus, etc. vsq; ad Syritiū qui hodie (inquit) noster est socius, cū quo nobis totus orbis cōmercio formatarū in vnā cōmunionis societate concordat. Vestræ Cathedræ vos originē reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam uendicare. Quibus ille verbis vt in Cathol. se esse Ecclesia prober, hoc veluti fortissimo argumēto in Donatistas vtitur, quod Cathedræ Petri cōstanter adhæreat & cū Petri success. cōmunicet, eosq; omnes hæreticos Schismaticosve asserit, qui ab huius Cathedræ cōmunionē sacrilega se temeritate separarūt, Eadēmq; reliquorū fuit Patrū differendi ratio, qui cū non ignorarent frequēs hoc in ore Donatistis fuisse, quod vobis quoq; nunc admodum familiare est, apostatasse Romanam ecclesiam, & à fidei integritate degenerasse, si eo quo vos dicitis modo aduersarios refutassēt, nec aliud pro argumēto adduxissēt, quā Romanā cui adhærebant ecclesiā incorruptā hæctenus fidei doctrinā seruasse: quā vanū,

quam ridiculum, quam cōtra aduersarios imbecillum fuisset argumentum? Vno enim verbo se facile expediuissent, apostataſſe (vt vos nunc dicitis) Ecclesiam. Sed firmissimum hoc ſucceſſionis argumētum à patribus adductum, etſi nullum lapidem illi non mouerunt, nunquā tamen eludere potuerunt, eōq; ipſo (vt ex actis Africanę collationis conſtat) heretici ſunt iudicati. Cœlum ergo ſi lubet, terrāque replete clamoribus: vel nihil patres aduerſus donatiſtas effecerunt, vel vos hæreticos eſſe conuincimus. Sed iam ad reliqua pergis, quæ tibi ex Optato obiecta ſunt. Altaria quorū Optatus meminit non lapidea in Africa ſed lignea fuiſſe, vel Auguſtino teſte confirmas. Quid hoc ad rem de qua agitur ſpectat? An quia lignea apud Africanos altaria fuerunt, vos ideo Donatiſtis minus eſtis ſcelerati? Lignea illi, vos lapidea altaria eueriſtis. Quid intereſt? Imò ſi Optato credimus, Donatiſtarū inſaniam furor ille veſter longiſſime ſuperauit. Illi enim altaria interdum abradebāt tantū, non etiam eueſtebant. vos vbiſcunq; per uim & nefas dominari potuiſtis, quid integrum reliquiſtis? Quid enim eſt tā ſacrilegū (inquit Optatus) quam altaria Dei in quibus & vos aliquando obtuliſtis, frangere, radere, remouere: Quid enim altare eſt niſi ſedes corporis & ſanguinis Chriſti? hæc omnia furor veſter aut raſit, aut fregit, aut remouit, hoc modo Iudæos eſtis imitari. Illi iniecerūt manus Chriſto in cruce, à vobis per-

Lib. 3. & 6.

» enim eſt tā ſacrilegū (inquit Optatus) quam al-
 » taria Dei in quibus & vos aliquando obtuli-
 » ſtis, frangere, radere, remouere: Quid enim al-
 » tare eſt niſi ſedes corporis & ſanguinis Chriſti?
 » hæc omnia furor veſter aut raſit, aut fregit, aut
 » remouit, hoc modo Iudæos eſtis imitari. Illi
 » iniecerūt manus Chriſto in cruce, à vobis per-

cuſſus eſt in altari: hoc tamen inmane facinus geminatum eſt dum fregiſtis & calices Chriſti ſanguinis portatores. Quin & Donatiſta, templa, vt idem Optatus teſtis eſt, in horrea cōuerterunt, vos in ſtabula. Magnum verò aliquid tam minura tua diligentia obſeruaſſe de ligneis altaribus videris, quaſi hoc vel pueros lateat, vel ex eodem, quem Campianus citauit, Optato nō facile intelligi queat, & tu ni in Eccleſiaſtica hiſtoria nimium puer eſſes, non ignores profecto Romanam etiam Eccleſiā vſq; ad Sylueſtri tempora lignea habuiſſe altaria, quæ Sylueſter vt deinceps non niſi ex lapide ædificarentur decreuit. Nec mirum. Cum à ſancto Petro vſque ad Sylueſtrū propter perſequutiones maximas Pontifices certo loco conſiſtere non poſſent, ſed quocumq; eos neceſſitas cōpuliſſet ſiue in Cryptas, ſiue in Cœmiteria, ſiue in ædes piorum, ſuper illo altari, ligneo ad arcæ ſimilitudinem concauo ſacra faciebāt. Quid quod Theodoretus refert cum eremita quidam optaſſet videre offerri miſticū ſacrificium, ſe iuſſiſſe vaſa ſacra afferri, & cum neq; ligneum ibi neque lapideum altare eſſet, ipſis diaconorū manibus pro altari vſum eſſe: pulchrè verò euaiſſe videris, & tā clara Optati verba de Chriſti corpore ac ſanguine eluſiſſe, cum ais. *Nos in ſacris myſteriis ſanguinem Chriſti percipi non negamus.* Non enim Optatus de myſteriorum perceptione loquitur: ſed in altaribus Chriſti corpus & ſanguinem habitare ait,

Lib. 6.

In vita Ma-
ris eccleſie.

& Deo à sacerdotibus offerri. Quid vos (inquit) offendit Christus cuius illic per certa momenta corpus & sanguis habitabat: In vestris whitakere, non altaribus, sed mensis, nihil nisi panē & vinū habere vos ipsi profiteamini. Nulla apud vos altaria, nulli calices; nulli sacerdotes, nulla corporis & sanguinis Christi oblatio, quorum omnium tam frequens apud Optatum reliquosque patres mentio passim occurrit. Sed cur quæso Melchiadis Papæ contra Donatistas decretum tam alto silentio præteristi? cum res ea ad Romani pontificis auctoritatem confirmandam tantum contra vos ponderis ac momenti habeat. Non enim frustra Optatus reulit, quod & ex Augustino supra docui, post Africanorum Episcoporum iudicium ad Romanum spectasse pontificem de tota rursus causa cognoscere. Nimirum supremam Romani pontificis auctoritatem ab omnibus etiam tum Christianis agnitam fuisse tam ille Optati locus atque Augustini perspicuū facit, nihil ut esse dilucidius queat. De Chrismate etiam à Donatistis contaminato ne verbum quidem facitis. Quid mirum? Nullum enim chrisma habetis, nullum agnoscitis. Cuius tamē in veteri ecclesia quam imitari vos fingitis, tam frequēs tam que religiosus fuit vsus, ut illius contaminatores pro sceleratissimis hominibus Optatus habuerit: & chrisimatis ampullam à Donatistis è sublimi in loca saxosa præcipitatem diuinitus ne fran-

geretur seruatum fuisse posteris testatum reliquerit. Athanasio cur minimè faueatis, duplicem Campianus causam reddit. Priorem quidem, quod Antonium Eremitam Ægypti, grauis author accurato libello dilaudauerit. Hic tu ut fucum facias. *Quasi nos (inquis) tam sumus inuidiosi, ut laudari neminem æquo animo patiamur.* Sed num Eremitas tu quos in Antonio laudat Athanasius, laude aliqua dignos censes? Num hoc vitæ genus probas? Minimè profecto. Nimirum enim à molli illa & vxoria vestra secta abhorret. Athanasio igitur hic certè non fauetis. Æquiores fortè illi estis cum iudicium sedis apostolicæ vna cum Synodo Alexandrina suppliciter appellauit. Hæc enim posteriorem vestræ de Athanasio querelæ rationem reddidit Cæpianus. Id verò Romani Pontificis odio perciti ferre nō potestis. Extat tamen huius rei testis Synodi Alexadrinæ ad fœlicè Romanum Pōtif. epist. *At hæc epistola (inquis) tota est supposititia, ex assentatione intoleranda & crebris mendaciis cōcreta.* Facilis & expedita responsio. Hac enim via, si tuo tibi arbitrio contra communē orbis consensionem quiduis admittere, quiduis repudiare liceat, nihil non facilè tueberis. Sed mihi crede whitakere, quidquid hic agas, intelligunt satis Academici huiusmodi responsiones hominum esse desperatā causam tuentium. Prudentius (inquit Campianus) quoties precatur martyres quos decantat? quoties ad eorum cineres & ossa, regem martyrum venera-

tur? Tu ne grauiſſimū doctiſſimumq; Chriſtiani-
 num poëtam de chriſtianiſ ſcribentem marty-
 ribus deſpicatui ducere videaris : ingenuè
 quidem fatetis appellare eum nonnumquam
 eos martyres quorum res geſtas verſibus erat
 complexus : Sed hoc cum vt poëtam feciſſe
 aiſ. Quid? an quia poëta fuit Chriſtianū ſe eſſe
 oblitus eſt? vt ea verſibus exprimeret quæ cum
 fide ac religione pugnare ſciret. abſit. Quin po-
 tiuſ receptam in Catholica eccleſia conſuetu-
 dinē piè ſequutus, hoc ille verſibus fecit quod
 innumeros ante ſe doctiſſimos ſanctiſſimòſq;
 patres ſoluta etiam oratione feciſſe, nec ipſe
 profectò ignorabat, nec tu quamuis huius rei
 magnus artifex diſſimulare poteſ. Sic enim aiſ:
*Altiores eo tempore radices in Eccleſia moſ ſuperſti-
 tioſus egerat diuos implorandi, qui quaſi tyrannuſ
 ſanctos patres abduxit in errorem.* An non igitur
 rectiſſimè Campianuſ patrum voſ autho-
 ritatem in diuorum inuocatione aſpernari
 conqueſtus eſt? Hieronymi libroſ pro di-
 uorum reliquiis & honore contra Vigilanti-
 um, pro virginitariſ gradu contra Iouinia-
 num ferre voſ non poſſe idem affirmat.
 Tu quid respondeas equidem non intelligo.
 Hieronymi aduerſus illoſ ſcripta acerbiffima
 appellas. Quaſi quid eſſe tam acerbum poſſit,
 quod tam ſædarum hæreſum authoreſ audire
 non mereantur. Deinde mox addiſ. *Illoſ non de-
 fendimus ſi ea docuerunt quorum inſimulatur.* Num
 ergo ſententiam repentè mutaviſti? & tu qui

paulò antea diuoſ inuocandi morem ſuperſti-
 tioſum vocaviſti, nunc Vigilantium idem aſſe-
 rentem hæreſicum cum Hieronymo pronun-
 cias? De Ambroſio quæ protulit Campianuſ,
 quàm ſolidè quàm cruditè repelliſti? Immo ve-
 rò quid aliud quam ridendo nihil eſſe quod
 respondeas fateriſ, cum *facile te*, aiſ, *permittere
 vt ſuum ille Geruaſium honeſtet atque ornet.* Quaſi
 hoc Ambroſio minimè licere niſi impetrata
 tua venia Cāpianuſ putaret. Deſine vero nu-
 gari Whitakere, deſine tergiuerſari, & quod
 feciſſe Ambroſium cateròſque veteriſ eccle-
 ſiæ Patreſ non ignorat, vel imitare religioſè,
 vel impiè reprehende, vt tuine an noſtri ſint
 patreſ nemo deinceps ambigat. Poſtremum
 Gregoriuſ locum obtinet, quem tu *nec Apoſto-
 lum fuiſſe nec Angliæ Apoſtolum* contendiſ.
 Hancine gratiam ſanctiſſimo huic patri pro
 ea qua erga inſulam veſtram pierate fuit refe-
 redam putas: hoccine ille eſt promerituſ cum
 ad voſ Auguſtinuſ, virum ſanctiſſimū miſiſt,
 qui Chriſtianam fidem Saxonum barbarie
 pene extinctam in integrū reſtitueret. Et certè
 ſi à Gregorio qui ad voſ Chriſtianiæ religioniſ
 myſteriſ imbuendos Auguſtinuſ miſiſt, fidem
 non accepiſtiſ, totiſ mille anniſ Chriſtiani ha-
 ctenuſ non fuiſtiſ. Bene habet tamen quod
 mox ſubiungat (quaſi in gratiam cum Grego-
 rio redituruſ) *Nec omnino ſi muſ auerſi à Gregorio.*
 Auerſi ergo eſtiſ, ſed non omnino *αὐτὴν μετα-
 δὲſ* ſanè. Quid eſt enim illud (omnino) niſi ali-

qua forte ex parte Calvinianum fuisse Grego-
 rium putatis? quem tamen euangelici vestri
 primum Antichristum appellare non refor-
 midant. *Quod autem imagines illiteratorum libris
 appellauit, sed (inquis) nec in schola Spiritus sancti di-
 dicit.* Calvinus scilicet cum singulari priuilegio
 ad Spiritus sancti scholam admissus fuit, tu
 post cæcæta latebas, & vt oculis es lynceis, fa-
 cilè abfuisse Gregorium vidisti. Mihi verò re-
 spondeas velim homo Scholastice, in qua tan-
 dem schola tu imagines confringere didicisti?
 Non in Christianorum sanè, sed in Iudæorum
 schola, in qua & Leo ille Iconoclastarū Cory-
 pheus institutus fuit. De quo doctissimus Gly-
 cas in Byzantina sua historia in hæc verba scri-
 bit. Leo qui & Cononis nomè habuit ex Isau-
 ria ortum habebat, & artem olim sordidam
 trahebatur. Cononis appellationem ei mater in-
 diderat, quam semper à puero retinuit. Vnde
 factum, vt cum sanctus ille Germanus, Leone
 puluerem oppugnationis imaginum in altum
 concitante, moneret imperatorem his verbis.
 Caue tu faxis hæc imperator, quando futurum
 perhibetur vt oppugnationem imaginum Co-
 no quidam aspicietur: Leo vicissim se Cono-
 nem illum esse responderet. Cum adhuc pau-
 per esset, accidit vt Iudæi quidam vaticinandi
 periti futurum prædicerent; vt ipse imperio
 potiretur. Nam in eos fortè quendam ad fon-
 tem inciderat: vbi se illi ex itinere recreabant.
 Cùmq; sacramento adhibito pollicitus fuisset

se præ-

se prædictionis huius nomine vicissim iis be-
 ne facturum, illi expectato tempore dum im-
 perio potiretur, tandem eum conuenerunt.
 Ac si quidem tum Dei, tum aliorum sancto-
 rum imagines è medio tolleret, posteritatem
 ipsius totos centum annos imperio potiturâ
 monuerunt. Itaque tanto studio quiduis ad-
 uersus imagines molitus est, vt etiam magnū
 illum patriarcham Germanum, qui multis
 cum eo disceptauerat, folio deiectum expel-
 leret. Inter cætera, Germanus in mediū pro-
 ferebat effigiem domini per Thaddæum An-
 garo missam, & Edesse conseruatam. Præte-
 rea memoriæ proditâ ab apostolo Luca ima-
 ginem, quæ Romam ad Theophilum missa
 fuit. Item æneas duas effigies quas mulier
 illa sanguinis fluxum perpessa quodam singu-
 lari desiderio fieri curauit, & erexit. Earum
 altera, qua ipsamet repræsentatur, ad terram
 se flectit, & ab effigie Christi benedictionem
 accipit. Hanc tu scholam in qua ferus hic leo
 bellam imaginibus inferre didicit, non spiri-
 tus sancti fuisse, sed Iudaicam vides. Et quo-
 niam in hunc leonem incidi, de illius filio
 pauca lubet adicere, ex quibus in qua demū
 schola iconoclastes esse pater didicerit filio
 ipso, vel inuito, testante constare potest. Post
 leonem (inquit Glycas) filius eius Constan-
 tinus cognomento Copronymus 34. annos
 imperium tenuit. Nihil non scelerum in eo
 fuit. Sanctos hoc nomine appellari lege lata


S

Glycas par-
 te 4. annal.

29 venit, reliquias eorum conspui iussit: ne quis
 30 eorū intercessionem imploraret edixit: ni-
 31 hil eos videlicet præstare posse. Quod omni
 32 denique blasphemia maius est, eadem de ma-
 33 tre dei sentiebat. Nam de hac aiebat, quam-
 34 diu Christum intra se gestauerit, honorandā
 35 ac venerabilem fuisse: verū ex quo illum
 36 peperit (proh quanta tua patientia est o chris-
 37 ste!) nihil eam cæteris à mulieribus differre.
 38 Cuius rei simulachrum & imago peti de
 39 marsupio potest. Cū aureis oppletum est,
 40 in pretio solet haberi: cū euacuatum, nihili
 41 penditur. Præterea sacras ædes magno studio
 42 profanare conabatur. Nam religiosas effi-
 43 gies inductas debebat, earūque loco ludo-
 44 rum circēsum venationūque picturas sub-
 45 stituebat. Neque tantum huiusmodi facinora
 46 designabat, verum etiam solitariæ vitæ secta-
 47 tores persequeretur, & tanquam agnos iu-
 48 gulabat. Et post pauca. Tandem hic tyrannus
 49 ab expeditione quadam reuertens, carbuncu-
 50 li morbum in pedibus sensit, & vehementi
 51 febre circa strōgylum correptus, vitem finit,
 52 cū solum hoc verbum pronunciaisset, Prop-
 53 ter insaniam furorēque meum viuus inextin-
 54 cto igni trador. Deinceps verò quin ea
 55 quæ prohibui cum honoris delatione fiant
 56 minimè veto. Qui sane vitæ exitus eum mihi
 57 referte videtur, quem ob non dissimilia sce-
 58 lera Antiochus ille Epiphanes habuit, qui-
 59 que vos si saperetis, à sacrarum imaginū odio

2. Matth. 9

reuocare deberet. Sed neque Gregorius (in-
 quis) è patrum superiorum libris hausit. Tibi
 profecto, hauserit ille an non hauserit perin-
 de est, qui Patrum auctoritatem quoties lube-
 ret valere iubes. Vnde verò Gregorius hau-
 serit, illi potius quā tibi credimus, qui in ea-
 dem quam Campianus citauit epistola mul-
 tis ante se seculis morem hunc inter christia-
 nos receptissimū fuisse testatur. Ita enim ad
 Serenum Episcopum Massiliensem scribit. lib. 9. epi. 9.
 Perlatum ad nos fuerat, quòd inconsiderato indist. 4.
 zelo succensus sanctorum imagines sub hac
 quasi excusatione, ne adorare debuissent, cō-
 fregeris. Et quidē qui eas adorare veruif-
 ses omnino laudauimus. Fregisse verò repre-
 hendimus. Dic frater, à quo factum sacerdo-
 te aliquando auditum est quod fecisti? Si non
 aliud, vel illud te debuit reuocare, ne despe-
 ctis aliis fratribus solum te sanctum & esse
 crederes sapientē. Si primus, vt tu fingis, chris-
 ti & sanctorum imagines in ecclesiam Gre-
 gorius inuexisset, qua fronte non confringen-
 das imagines ex vetustissimo earum vŭ cō-
 probasset? Mox enim addit. Et quia in locis
 venerabilibus sanctorū depingi historias non
 sine ratione vetustas admittit: si zelum discre-
 tione cōdiŭsses, sine dubio & ea quæ intende-
 bas salubriter obtinere, & collectum gregem
 non dispergere, sed potius dispersum poteras
 congregare, vt pastoris in te meritum nomen
 excelleret, nō culpa dispersoris incumberet.



Theodore-
rus in vita
Simeonis.

Aug. lib. 1.
cap. 10. de
cōsens. euā-
gel.

Damasus in
vita Sylue-
stri.
Metaphra-
stes in vita
Syluestri.

In orat. de
Miletio.

Lib. de pass.
imag. christi

Sed quanta est whitakere tua hæc ignorantia quem illa etiam latent quæ passim apud patres obuia sunt? Quis enim ignorat quod Theodoretus scribit in more positum apud christianos fuisse vt sancti Simeonis, cuius ille vitam resque gestas literis commendabat, imaginem suis in ædibus haberent? Quod Augustinus de imaginibus christi, & apostolorum Petri & Pauli cōmemorat, qui erroris illius quo nōnulli literas à Christo ad Petrum ac Paulum datas crediderunt, causam hanc fuisse ait, quod pluribus locis simul eos cum illo pictos viderent. Quia merita Petri & Pauli etiam propter eundem passionis diem celebrius, & solenniter Roma commendat. Et Damasus testis est Constantinum Magnum auream Christi imaginem, & duodecim apostolorum argenteas Romanæ ecclesiæ dono dedisse. Et Syluester ipse quas penes se habebat Petri & Pauli imagines, Cōstantino rogatus ostendit, ex quibus ille Petrum ipsum atque Paulū fuisse agnouit, qui sibi in somnis noctu apparuerāt. Et Chrysostomus Miletij martyris imaginem magna cura ac diligentia ab illius seculi christianis conseruatam fuisse commemorat. Quid de Gregorio dicam Nysseno, qui se dum Abrahami filium immolantis imaginem cerneret, vix à lachrymis temperare potuisse significat. Quid de Athanasio, qui Iudæos plurimos insigni miraculo ad Christi fidem conuersos

fuisse refert, cūm imago Christi à Iudæis in ipsius odium sæpius confixa sanguine manasset? Imo antè Iuliani tempora imaginem illam à muliere hæmorrhoidis ad Christi memoriam, & ab eo accepti beneficij recordationem erectam, christianorum nemo vnquā reprehēdit. Ille enim primus, Christiani nominis coniuratus hostis, diruta hac imagine, in eius locum suam ipse imaginem substituit, quam mox fulmine disiectam fuisse historia referunt. Ac mihi quidem non esset difficile huiusmodi plurima ex veterum monumentis proferre, nisi hæc ipsa quæ protuli ad tuam vel ignorantiam, vel certè impudētiam ostendēdam satis habere virium scirem. qui ex patrum superiorum libris id hausisse Gregorium negas, quo vix aliud in illis frequentius legitur. Neque verò me latet quanto hic nobis fastu, quanta arrogantia idololatriæ crimen soleatis obiicere, quibus equidē Tertulliani, quàm meis respondere verbis malo. Proinde (inquit) & similitudinem vetans fieri omniū quæ in cælo, & in terra, & in aquis, ostendit & causas, idololatriæ scilicet substantiam cohibentes. Subiicit enim. Non adorabitis, neque seruietis illis. Serpentis autem ænei effigies postea præcepta Moyfi à domino, non ad idololatriæ titulum pertinebat, sed ad remediandos eos qui à serpentibus infestabantur. Et taceo de figura remedij. Sic & Cherubim & Seraphim, aurea, in arcæ

Sozo. lib. 5
cap. 20. Ni-
ceph. lib. 2.
CAP. 7.

Lib. 2. con-
tra Mar-
cionem.

”
”
”
”
”
”
”
”
”

figuratum exemplū certē simplex ornāmē-
 tum accommodata suggestiui longē diuer-
 sas habendo causas ab idololatriæ conditio-
 ne, ob quam similitudo prohibetur, non vi-
 dentur similitudinum prohibitarum legire-
 fragari: Non in eo similitudinis statu de-
 prehensa, ob quam similitudo prohibetur.
 Sed iam tandem ad huius disputationis finem
 ventum est, & te etiam iudice nostri sunt pa-
 tres cum pœnitentiā, & pro peccatis satisfac-
 tionem, cum operum merita, cum liberum
 arbitrium, cum preces pro defunctis, cum
 miracula quæ ad martyrum sepulchra fiunt,
 cum diuorum intercessionem, cum altaria,
 cum sacrificium, cum chrisma, cum virgini-
 tatis excellentiam, prædicamus: hæc cum
 multa sint atque graua Christianæ religio-
 nis capita, quæ sanctissimorum patrum ætate
 ecclesia credidit, & catholicis omnibus cre-
 denda commendauit, quis non facile videt
 vos eorum esse filios minime posse, à quibus
 in tot sanctissimis fidei dogmatibus tam ve-
 hementer dissentiatis: Maximum hoc sane tuę
 causæ præiudicium apud academicos fore
 sensisti: ideòque quanta potes arte atque in-
 dustria nihil te læsum simulas. Hinc illa tua.
*Lutherus, Calvinus, & horum sœderati Irenæum,
 Tertullianum, Cyprianum, Chrysostomum, Augu-
 stinum, Hieronymum, Ambrosium, Gregorium, Ba-
 siliū, Nazanzenum errasse alicuando, quibusdam
 in causis, in hoc vel illo libro, nec verum scriptu-*

*re sensum vidisse, & falli interdum, id est homines
 esse, scribunt: quare hos omnes patres explodunt,
 abiiciunt, damnant. Hocine vis Campiane? Ni-
 hil minus witakere. Non enim patres pro
 nobis afferimus, quod quidquid illorum ali-
 quis scripserit certa ab omnibus fide creden-
 dum sit, sed quasi testes illius fidei adhibe-
 mus, quam & illi, dum viuerent, amplexi
 sunt, & illorum ætate Ecclesia credidit, vt si
 exemplo rem discere vis, Augustinum, Hiero-
 nimum, Ambrosium, ex Africa, Europa, &
 Asia testes adhibemus, tum ecclesiam credi-
 disse offerendum esse sacrificium corporis &
 sanguinis Christi, extruenda esse altaria, ini-
 tiantos sacerdotes, sanctos inuocandos, mar-
 tyrum reliquias habendas in honore, imagi-
 nes diuorum in vsu fuisse, petrum caput fuisse
 Apostolorum, & in illius locum Roma-
 num episcopum successisse, aliaque huius-
 modi. Patres ergo cum nostros esse ostendi-
 mus, Catholicæ ecclesiæ in qua illi vixerunt
 filios nos esse docemus, vosque quod ab eius
 doctrina, cuius patres testes sunt, deficiatis he-
 reticos: quales sane habiti semper fuere qui ea
 quæ vos nunc dogmata tenetis professi sunt.
 Et certe si patres non tanquam testes Catho-
 licæ fidei, sed tanquam viros doctos & san-
 ctos adduceremus, maior esse apud prudentes
 deberet eorum authoritas, quam Lutheri,
 & Caluini, quos tu aduersus eos cõfœderato-
 rum duces appellas. Neque tãtum vobis tri-*

buatis velim vt conföderati illi vestri, patres
 tanquam homines aliquando in quibusdam
 causis, in hoc vel illo libro, vt tu loqueris,
 errasse deprehenderint: illi verò tanquā non
 homines, sed angeli quidam, nūquam vllis in
 causis, aut yllo in libro errarint. Non enim
 deerūt, mihi crede, qui plures in Luthero at-
 que Caluino errores deprehendent, quā
 illi se in patrum monumentis deprehendisse
 gloriantur. Vides opinor clarissimæ verita-
 tis splendore tenebras esse disculsas, quas tu
 academicorum oculis offunderē volebas, ne
 qua esset apud illos patrum certa auctoritas.
 Nos patrum doctrinam non aliqua ex parte
 admittimus, alia repudiamus, sed integram
 amplectimur. Neque enim patres censentur,
 cū suum aliquid, quod ab ecclesia non ac-
 ceperunt, vel scribunt, vel docent, sed cū id
 faciunt quod ex Augustino supra retulimus.
 Multa deinceps Campianus breuitatis causa
 omittit testimonia ex patrum epistolis, con-
 cionibus, homeliis, orationibus, opusculis,
 disputationibus, quibus ex apparato, graui-
 ter & ornate nostra catholicorum dogmata
 roborarunt, quæ tu omnia suppositicia esse
 tuo more respondes: hæc enim tibi extrema
 esse anchora solet, quoties in desperata causa
 nihil aliud quod respondeas occurrit. *Frustra
 catholicorum codices prohibentur* (inquit ille)
quandis apud bibliopolas patrum monumenta ve-
nierint. Hinc tu accepta occasione, vt chartas

impleres, *iure vos catholicorum libros prohibere,*
 respondes. At ego summa iniuria id facere con-
 tēdo: etenim si vobis ipsi constare vultis, cū
 ad ecclesiam minimè pertinere dicatis veram
 fidei doctrinam à falsa discernere, & præscri-
 bere quid cuique credendum sit, sed ad inter-
 num spiritus cuiusque testimonium: An non
 summam aliis iniuriam facitis, quibus cre-
 dendi leges præscribere non dubitatis? Et quā
 quæso illorum spiritui libertatem relinquitis
 quos nihil videre, nihil audire, nihil legere,
 nisi quod vultis, sinitis? Quid hoc quæso
 aliud est, quā aliorum omnium spiri-
 tus in ordinem cogere, & vestri spiritus im-
 perio subiicere, illorum denique, contra Pau-
 li sententiam, fidei dominari? Deinde, si quod
 tu paulo antè tanta fiducia affirmasti, tam cla-
 ram vos & omnibus manifestam in libris ve-
 stris veritatem proponitis, vt meritò & anti-
 quitati & consensio, & successio præponi
 debeat (ita enim tu affirmas) quid est quæso
 cur tantum tibi metus atque pauoris catho-
 licorum libri incutiant, ne fortè illiterati ali-
 qui, vt ais, ex illis errores haurirent? Certè si
 tam perspicua apud vos & manifesta est veri-
 tas, quā videri vultis, nihil esse cuiquam pe-
 riculi potest, & vbi quæso erit illa spiritus
 certitudo, de qua tātoperè gloriāmini, si vllis
 omnino libris decipi, atque in errorem per-
 trahi possit, ne veritatē tam claram, tam per-
 spicuum, tam manifestam videant? Sed quid

te moueat video. Vester ille spiritus, nimirum suam vobis operam, non nisi in Caluini, Lutheri, Bezæ, aliorumque id genus apostolorum libris legendis præstat, moxque ubi quis conscriptum à Catholico librum in manus sumpserit, grauissimū sibi veteris doctrinæ odorem non ferens, in pedes se coniecit, vt iam mirari desinam in tāto apud vos odio esse Sanderum, Hardingum, Alanum, Stapletonum, Brestolum viros sanè doctissimos, & de patria sua totaque ecclesia, quàm optime meritos: atque etiam Campianum, quem tu cum illorum nemine vel conferendum censes. Ego verò vt Campianum qua fuit modestia singulari, eam de se opinionē habuisse semper nō dubitō, vt non his modò summis viris, sed & omnibus aliis inferioris etiam notæ catholicis eruditionis palmam lubens cederet, ita illum vel solum verè sapientiæ laude Caluianos omnes, Lutheranos, & cuiusuis alterius sectæ confæderatos, lōgissimè superasse affirmo. Semper enim vt Paulus ait, languetis circa pugnas verborum, semper discitis, & nunquam ad scientiam veritatis peruenitis. Neque profecto mirum, quippe qui omnem vestram operam, omnem industriam, non in quærenda veritate, sed in contexendis mendacijs collocare soletis. Illud sanè præclarum est quod ais, *Totis iam viginti annis catholicos omnes Inello vestro nondum satiscessisse, qui cum ad sexcentorum annorum antiquita-*

i. Tim. 6.

tem prouocasset nobis obtulit, vt si vel vnicam ex aliquo patre aut concilio claram & dilucidam sententiam afferremus, non recusaret, quin nobis palmā cederet. Nam Hardingus, vel solus libello unico ita hominis temeritatem palam fecit, vt meritò Campianus dixerit vix quidquam sua memoria Anglorum laboranti Ecclesiæ fructuosius prouenisse. Tot enim cum nobiles tum plebei, perlecto eius libello vestras fraudes viderunt, seque à prophanis vestris conuenticulis, ad Ecclesiæ catholicæ sinum receperunt, vt verè iam nobis id de catholicis in Anglia dicere liceat quod olim de christianis Tertulianus scriptum reliquit, *vestra omnia Inapologes implentur, vrbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsi, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis reliquimus templa. Cum bello non idonei, non prompti fuissent, etiam imparcs copis, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret quàm occidere.* Sēsit hoc certè Hunfredus, & tanta hominum à vobis defectione perterritus, iniquam à Iuello conditionem catholicis oblatam conquestus est. Tu Hunfredi factum belle excusas. *non reprehendit inquis Iuillum quòd nimium prolixè de patribus promiserit, sed quòd plus vobis quàm erat opus concesserit.* Sed nunquam ille profectò amicissimi hominis temeritatem tam acriter reprehendisset, nisi oblatā ab illo conditionē non modo minus necessariam, sed etiā Caluianæ causæ profus perniciosā esse vidisset.

Firmamēta
Patrum.

Io. 5. v. 39.

SI quibus vnquam cordi curæque fuit id, quod maximoperè nostris fuit & esse debet, *Scrutamini scripturas*: Facile principes & palmares in hoc genere sanctissimi Patres extitère. Horum operâ sumptûque, tot gentibus & linguis transcripta Biblia & importata sunt: horum periculis & cruciatibus, erepta de flammis hostilibus & vastitate: horum laboribus & vigiliis, omaem in partem enucleata studiosissimè, die noctûque sacras literas inbibère, de suggestis omnibus sacras literas edidère, immensa volumina sacris literis ditauère, fidelissimis commentariis sacras literas explicuère, cibos & inediam sacris literis cõdière, occupati denique sacris in literis ad senectutem decrepitam peruenère.

Quòd si frequentes ipsi quoque, ab Auctoritate Maiorum, ab Ecclesiæ praxi, à Successione Pontificum, à Conciliis œcumenicis, à Traditionibus Apostolicis, à Cruore Martyrum, à Scitis Præsulum, à Visis euentis & mirabilibus argumentari sunt: tamen omnium maximè & libentissimè Sanctarum Literarum testimonia densa conglobant, hæc premunt, in his habitant, huic *armaturæ fortium*, duces robustissimi, facta recta Ciuitatis Dei contra nefarios impetus quotidie munitentes, optimo iure, primas partes honoratissimasque porrigunt.

Quò magis demiror illam exceptionem aduersarij superbam & fatuam, qui velut aquam in profuente quærigans, sic in scripturis confertissimis scripturarum penuriam obiectat. Tantisper se Patribus assensurum dicit, dum Sacris Literis adhærescunt. Num loquitur ex animo? Curabo igitur procedât armari atque stipati Christo, Prophetis, Apostolis atque omni apparatu Biblico, celeberrimi auctores, antiquissimi Patres, sanctissimi viri, Dionysius, Cyprianus, Athanasius, Basilius, Nazianzenus, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, Latinusque Gregorius. Regnet in Anglia fides illa, vtinam regnet, quam hi Patres amicissimi scripturarum ex scripturis extruunt. Quas afferunt, afferemus: quas conferunt, confereamus: quod inferunt, inferemus, placet? excrea. dic fodes. Minimè verò, inquis, nisi rectè exponant. Quid est hoc ipsum, rectè? Arbitratu tuo. Nihilne pudet Labyrinthi?

Ergo cùm sperem in Academiis florentissimis, cõsociatum iri benè multos, qui non pingui Minerua, sed acuto iudicio in has cõtrouersias inspecturi sint, & horum responsa nugatoria libraturi, lætus hunc diem campi præstolabor, vt qui contra sylvestres tumulos mendiculorum inermium, nobilitatem & robur Ecclesiæ Christi cogitem educere.

CONFVTATIO RESPON-
SIONIS WHITAKERI.

ET si ad vestras hereses refellendas
satis superque ipsa per se patrum
testimonia valere Campianus non
dubitauit: tamen quia vobis esse
familiarē vidit, ab illorum sententia ad scri-
pturas appellare, vt istam quoque elabendi
viam occluderet, multa commemorauit, quę
tantam patrum in scripturarum sententia in-
uestiganda diligentia fuisse ostēdunt, vt sum-
mę profectō impudentiæ sit, accuratissimas
illorum interpretationes vestrę rursus cen-
sūrę examinandas subiicere, quasi scripturas
illi intelligere tot tantisque exanilatis labori-
bus minimē potuerint, vos verō tanquā noui
quidam apostoli ac propheta nihil earum
ignoretis. Imperitissimē igitur initio respon-
sionis tuę, Campianum ais, *firmamenta qua-
dam afferre quibus ipsos patres faceret firmiores.*
Non enim ille firmamenta affert, sed sua pa-
tribus non deesse firmamenta ostendit, cum
quibus vestrę ne cōferendæ quidem sint ne-
niā. Neque minoris est ignorantia, quod
disputationis à Campiano inicitutæ hęc esse
vim, hocque vinculum ais. *Patres scripturas
diligentissimē scrutabantur, sanctarum scriptura-
rum testimonia densa conglobabant, his primas par-
tes tribuebant: quare quas illi afferunt scripturaru*

*interpretationes, his contenti esse debemus: melio-
res desiderare sine scelere non possumus. Neque
enim sic ille differuit, neque vt differuisset,
quidquam tu proferre in medium poruisses,
quo eum iure reprehenderes. Non enim de
vno patre, aut altero loquutus est, sed de om-
nium consensione, qui etate aliqua in eccle-
sia catholica floruerūt, quos cum paulo teste,
deus Ecclesię suę pastores & doctores dede- Ephes. 4.
rit, vt ab aliorum mentibus errores depelle-
rent, eorūque doctrinam vt omnes seque-
rentur Christus ipse præceperit, cum ait, Qui
vos audit me audit, & qui vos spernit, me Lucæ 10.
spernit: quid absurdus, quid diuini erga nos
amoris ac prouidentia magnitudini magis cō-
trariū, quā hos in fidei doctrina omnes errare
grauiter, & scripturas ignorare, contraria-
que illis dogmata populo credēda propone-
re, vos verō neque doctores, neque pasto-
res, errare omnino non posse? Neque tamen
vt dixi, hanc ille disputationem licet firmis-
simam ingressus est, sed vt tergiuersari vos,
& latebras quærere ostenderet, cum patrum
testimoniis atque autoritate superati ad
scripturas prouocatis, iniquissimam esse, at-
que insolentis arrogantia plenam postula-
tionē vestram docuit. Quis enim ferat vene-
randā patrum canitiem à vobis ignorantie ar-
guit? Quis illorum vos Aristarchos esse patia-
tur? Quid enim hoc est aliud quā post a-
quilarum de solis splendore sententiam no-*

etuarum iudicium expectare? Nihil enim vos
 ad patres aliud, quã noctuæ ad aquilas estis.
 Quippe qui vestro ipsorum iudicio multis
 iam seculis in tenebris cum vestra illa tenè-
 btriosa ecclesia latuistis: patres verò, vt verè
 aquilæ, tenebras auersati, in oculis hominum,
 atque in clarissima luce semper versati sunt.
 Et tamen vos non pudet, lippientibus ocu-
 lis, nec solem intueri valentibus bellù aqi-
 lis indicere, quæ firmissima oculorum acie
 splendidum solis iubar magna cum volupta-
 te intuentur. Vos scilicet Patribus doctiores,
 vos meliores, vos sanctiores, vos precù assi-
 duitatè, ieiuniorum, vigiliarum, laborum
 denique omnium magnitudine superiores,
 vos ad scripturas intelligendas præfidiis om-
 nibus instructiores estis. O singularè impu-
 dentiam! Et quis tandem scripturas interpre-
 tandi finis, quis modus statuetur? Vt enim
 errasse vos patres dicitis, ac diuinarum lite-
 rarù sententiã minimè assequutos, ita vestra
 somnia posteri nobiscum ridebunt: dum-
 que patrum interpretationem reiicitis, ni-
 hil aliud quàm vestras vicissim reiicèdi facul-
 tatem posteris, exemplumque relinquitis.
 Non immeritò igitur labyrinthum illum ve-
 strum Campianus risit, cum nihil vnquam
 in scripturis stabile, nihil certum sitis habi-
 turi, reiicientibus posteris, quæ firmissima
 esse maiores putauerunt, sed tot futuræ sint
 scripturæ interpretationes, quot deliratum
 hominum

hominum somnia extiterint. Quid verò ine-
 prius quàm cum superioribus seculis tuti fa-
 tis à perniciosis erroribus, atque in fidei do-
 ctrina satis eruditi fuerint, qui Christi præ-
 ceptum sequuti, pastores suos doctorèsq;ue
 legitimos audiuerunt, & quàm illi scriptura-
 rum sententiã tradiderunt, piè fidelitèrque
 amplexi sunt, nouis quotidie, adeòque con-
 trariis expositionibus cudendis oleum at-
 que operam perdere? Quanto fatius quan-
 to consultius forer, Lutherum apostatam,
 cù stigmatice Caluino missum facere, & ad
 æternæ beatitudinis portum regia illa tri-
 taque maioribus via securè incedere? Ope-
 repretium tamen est quid hic Campiano
 respondeas audire. *Miras, inquis, expositio-
 num pugnas dissensionèsq;ue in patribus animaduert-
 imus. Quas tandem whitakere? Augustinus
 Paulum existimat ingenuè atque ex animo loquentè, ad Gal. 2.
 Hieronymus simulatè. Si hunc probas, illum impro-
 bes est necesse: vtrique non potes assentiri.* Has tu
 expositionum pugnas esse putas eiusmodi, vt
 in fidei dogmatibus explanandis eorum au-
 thoritatè meritò eleuare debeant? Neque
 animaduertis inter peculiarem huius aut il-
 lius patris in re dubia opinionem, & cõmu-
 nem omnium in dogmate fidei errorem di-
 scrimen esse longè maximum? Nam vt errare
 quemlibet ex patribus, ac decipi posse fate-
 mur, ita in errorem fidei contrarium, omnes
 alicuius ætatis patres incidere posse pernega-

Hiero. dial.
1. contra
Pelag.

mus, quod tuum illud, quo triumphare tibi
videris exemplum, lucè clarius ostēdit. Quod
enim vni Hieronymo incautius excidit, id
alter mox Augustinus diligentissimè ani-
maduertit, summâque cum modestia ac cha-
ritate Hieronymum admonuit. Qui sanè tã-
tum à vestra pertinacia studioque contentio-
nis abfuit, vt Augustini rationibus persuasus
in illius sententiã lubens concesserit. Neque
verò hæc res fuit huiusmodi, vt de ea citra fi-
dei iacturam dubitare non licuerit. Quod cū
neutri dubium esset, quid quæso mirū si suam
vterque sententiam in re dubia liberè dixe-
rit, & veritatis inquirendę studio accensus,
quibus poterat argumentis confirmari? Tuū
certè erat, vt dissentiones patrum Campiano
iure obiiceret, ex tam multis fidei dogmati-
bus, quę vel contra hereticos patres propu-
gnarunt, vel nos aduersus vestra placita de-
fendimus, vnum aliquod in medium profer-
re, de quo pugnantes patrum sententias ex-
tare ostenderes. Sed neque de Gratia quic-
quam, neque de libero hominis arbitrio, ne-
que de sacramentis, neque de Missę sacrifi-
cio, neque de meritis operum, ac iustificatio-
ne, neque de incarnationis, aut Trinitatis
mysterio, neque denique de re vlla alia ne-
cessariò cū fide coniuncta ostendere potuisti,
sed his exemplis quę ad rem pertinebant pe-
nitus destitutus, aliud affers, quod in earum
quęstionum numero censetur, de quibus ci-

tra heresis periculum in suo quisque sensu Lib. 2. de
abundare potest. Nam vt eruditè admodum pec. orig.
contra Pel.
& cæl. cap.
Augustinus docet, longè aliter se habent
quęstiones istę, quàm illę in quibus salua fi-
de, qua christiani sumus, aut ignoratur quid
verum sit, & sententia definitiua suspenditur,
aut aliter quàm est, humana & infirma suspi-
tione conicitur. Veluti cū quæritur, qua-
lis, vel vbi sit Paradisus, vbi constituit Deus,
hominem quem formauit ex puluere? cū
tamen esse illum paradysum fides christiana
non dubitet: vel cū quæritur vbi nunc sit
Helias, vel Enoch, an ibi, an alibi? quos ta-
men non dubitamus in quibus nati sunt cor-
poribus viuere: vel cū quæritur, vtrum in
corpore, an extra corpus in tertium cælum,
sit raptus Apostolus? Quanquam sit ista im-
pudens inquisitio, id scire volentium, quod
se ille cui hoc præstitum est, salua vtiq; fide,
nescire testatur: vel quot sint cęli, in quorum
tertio se raptum esse commemorat. Vel
vtrum elementa mundi huius conspicabilis,
quatuor, an plura sint? Quid faciat solem lu-
nãque deficere his defectibus quos prædi-
cere astrologi cęta temporum dinumera-
tione consueuerunt? Cur antiqui homines
tandiu vixerint quàm sancta scriptura testa-
tur, & vtrum proportione longioris ætatis
filios sera pubertate gignere cęperint? Vel
vbi potuerit Mathusalem viuere, qui in arca
non fuit: quia sicut in plerisque codicibus,

Hieron. in
epist. ad
Theoph.

& Græcis & Latinis numerantur anni, repe-
 ritur superuixisse diluuiio. Vel vtrum pau-
 cioribus, qui rarissimi inueniuntur, potius
 credendum sit, in quibus ita est numerus cõ-
 scriptus annorum, vt antè diluuiũ defunctus
 fuisse monstretur? Quis enim non sentiat in
 his atque huiusmodi variis & innumerabili-
 bus quæstionibus, siue ad obscurissima ope-
 ra Dei, siue ad scripturarum abditissimas la-
 tebras pertinentibus, quas certo aliquo ge-
 nere cõplecti ac definire difficile est, & multa
 ignorari salua christiana fide, & alicubi erra-
 ri sine aliquo hæretici dogmaris crimine? Il-
 lam igitur beati Hieronymi sententiam libe-
 ter tecum amplectimur. Scio (inquit) me
 aliter habere Apostolos, aliter reliquos tra-
 ctatores, illos temper vera dicere, istos in
 quibusdam vt homines errare: neque vllius
 contra vos patris errorem defendimus, sed
 illorum communem in fidei dogmatibus
 confessionem, ac scripturarum interpreta-
 tionẽ Caluini vnus aut Beza somniis opti-
 mo iure opponimus. Neque ferendum puta-
 mus, quãtũuis id velitis, vt patres in tracta-
 torum numero habeantur, Lutherus verò &
 Caluinus, cæterique, si superis placet, Patri-
 archæ vestri pro Apostolis colantur. Neque
 ideo tamen, vt tu calumniaris, scripturas fu-
 gimus, sed vestrorum capitũ infana deliria,
 ad quæ scripturas impiè detorquetis, modis
 omnibus auersamus, dolemusque vehemen-

ter cum Tertulliano, scripturas à vobis, qui Tertull. de
 nullũ in eas ius habetis, tam sacrilegè tracta-
 ri. Nam cum patrum doctrinam sequimur, prescript.
 qui sua omnia ad scripturarum normam, ve-
 rissimamque fidei regulam multò quàm vos
 felicius expenderunt, scripturas certè fugere
 non possumus. Redis deinceps ad cõuicia. *Ve-*
teres (inquis) *atque olim intermortuas traditio-*
nes, consuetudines, hominum inuenta, pontificum de-
creta, lites ecclesiarum, confictos suppressosque li-
bros, nãnas, quæ somnias, somnia, fabulas, errata im-
perique conquirunt. Quis hæc non videat haud
 argumenta esse, sed procacis linguæ impu-
 dentissima mendacia? Nulla enim nos som-
 nia, nullas nãnas sequimur, ex quibus solis
 doctrina vestra vniuersa conflata est. Nihil
 apud nos non sincera, non religiosum, nõ
 sanctum, & à Christo, vel Apostolis, virisque
 apostolicis profectum, vt ex fidelissimis om-
 nium temporum historiis demonstramus:
 nec alio pontificum decreta loco habemus,
 quàm illius habenda sunt, quem Christi in
 terris vicarium diuina autoritate constitu-
 tum scimus. Ista verò vt abiiciamus, suades
 tu quidem aperte, sed nihil quo persuadeas
 affers. *Nam quod præceptum esse à Christo ais, non*
vt patrum scripta, sed scripturas ipsas scrutemur,
 frigidum sanè est. Neque enim nos scriptu-
 ras scrutari prohibemus, sed hoc qui faciunt,
 modo rectè faciant, eos vehementer proba-
 mus. Rectè autem scripturas tum demum

scrutamur, cum illarum sententiam non ex proprio ingenio, sed ex maiorum ratione & autoritate interpretamur, qui & doctrina, & vitę sanctimonia in ecclesia floruerunt, & in ea pastorum doctorumque officio pręclare functi sunt. Quanquam si christianis omnibus, vt scripturas scrutentur, à Christo dictum esse intelligis, in magno certè errore versaris. Quomodo enim rudes plerique & literarum ignari scripturas scrutabuntur, quos, Augustino teste, non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas tutissimos facit? Cananę profectò Christus dixit, Fides tua saluam te fecit, non exercitatio scripturarum, inquit Tertullianus, que in curiositate consistens habet gloriam solum de peritia studio. Ac Iudæis quidem, vt scripturas scrutarentur, Christus dixit, ex quibus iptum verum esse Messiam intelligere poterant. Christianis verò, & si omnibus liberum, vt ante diximus, illis tamen solis præceptum est, quibus alios docendi munus incumbit: idque nõ vt ex scripturis fidem quasi de nouo addiscant, sed quam auditu acceperunt, scripturarum testimoniis corroborent, & aduersus prophanas hæresum nouitates tueantur, beneque ac beatè viuendi præcepta hauriant. Qui enim sine fide ad scripturas accedit, nihil sanè magis proficiet, quàm qui iam olim velamen super cor habentes, scripturas quidem veluti lucernas manibus præferbant,

Aug. cõtra
spilt. fund
cap. 14.
Luc. 8.

Tertull. de
prescript.

Rom. 10.

1. Cor. 3.

sed quia fidei lumine nõ erant accensę, æternę salutis viam illis minime ostenderunt. Promiscuę autem fideliũ turbę, datos esse Paulus asserit, non scripturarum libros, sed Ephes. 4. pastores atque doctores, ne circumferantur omni vento doctrinę. Quid igitur clamitas, non esse iussum vt vel patrum scripta, vel pontificum responsa scrutemur? Quali Lutheri aut Caluini scripta legere esset præceptum? Si ergo, vt vestra fert opinio, ex sola scripturarũ lectione sibi quisque quid credendũ sit discere debeat, procul ipsi à vobis Lutheri, Beza, atque Caluini scripta omnia ablegate, & suum cuique scripturarum codicem tradite, vt non alienis oculis (quod conqueri soletis) sed suis singulari quid sequendum sit videant. Et quot tum, deus bone! pro vera fide noua nobis quotidie hæresum monstra atque portenta nascerentur? Nos certè qui tantum nobis non tribuimus, vt vestro more, oculis veluti lynceis, plus ceteris videre mortalibus gloriemur: nec ubi scripturas perperam intelligamus, ira illas legimus, vt non ex nostro ingenio, sed ex fidei regula, quam ecclesiasticam esse traditionem diximus, interpretemur. Sponsi enim vocem libenter audimus. Si ignoras te, inquit, õ pulcherrima inter mulieres, egredere & abi post vestigia gregum tuorũ. ad quem locum alludens Theodor. Theodor. dialog. tus: In inquirenda veritate, inquit, apostolorum, & prophetarum, & qui eos sequuti,

„ sunt sanctorum vestigia, inquiras. Hoc enim
 „ facere solent venatores, quando à via regia
 „ deflexerunt, vt semitas considerent, si aliquorū
 „ recedētium, aut venientium typos habeant,
 „ aut hominum, aut equorum, aut asinorum.
 „ Et quando inuenerunt, instar canum vestigia
 „ persequuntur, nec prius desistunt quàm re-
 „ ctam viam recuperarint. Nos igitur dum pa-
 „ trum nostrorum greges sequimur, pericu-
 „ lum omnino nullum est, ne post heretico-
 „ rum greges errabundi vagemur, sed conti-
 „ nuatis quasi vestigiis ad sponsum vsque tan-
 „ dem deducimur. Vos contra, quoniam nulla
 „ quæ sequamini certa vestigia habetis, à recto
 „ veritatis tramite aberrare haud mirum est.
 „ Vt enim non longius abeam, te ipsum sumo
 „ exempli gratia, velimque mihi respondeas,
 „ quem viæ ducem sequutus, à Romana eccle-
 „ sia, quæ te Christo peperit desciuisi, vt alio
 „ ad Christum tramite peruenires? Iuellum,
 „ credo, aut ex præceptoribus tuis alium, nef-
 „ cio quem, nominabis. De quo rursus scis-
 „ citor, cuius ille præcedentis vestigia obser-
 „ uarit? Beze opinor. Libet tamen, nisi fortè
 „ tibi molestus sum, de Beza etiam percontari,
 „ quonam ille duce ignorum tot seculis iter

Beza cōtra
 Syco-ph.

ingressus sit? Ipse certè pro se responder. *Ego
 vnum me esse profiteor ex iis quos dominus in hac
 vera & sancti euangelii doctrina per fidem seruum
 suum Io. uinum Caluinum erudit: huius discipulum
 me profiteri nunquam cerè pudebit, & vnum ex*

*multis hominum millibus, quos ille Christo lucrifecit. Hunc ergo ducem sequurus ad lacum
 vsque Lemannum appulit, atque hic quæ-
 di finem facere necesse est. Neque enim in
 vndis vlla pedum vestigia cernuntur. Vel er-
 ergo Gebennæ manendum, vel quod reli-
 quum est viæ, nullo duce, quo fors feret mo-
 do conficiendum est. Nam Calvinus quem
 sequeretur habuit certè neminem. Lutheri
 me fortasse oblitum putabis, sed non igno-
 ras quibus ille de causis Lutherum sequi du-
 cem noluit. Rectène an secus, tu videris.
 Grauiissima sanè de Eucharistiæ sacramento
 controuersia, vt alias nunc taceam, ita eos di-
 remit, vt aliam sibi viam Calvinus necessa-
 riò tentandam putarit, quippe qui toto Lu-
 therum cælo extrare non dubitavit. Nisi tu hic
 fortè cum tuo Petro martyre exclames. *Do-*
lendum est, & mirandum ministros ecclesiarum Lu-
theranarū (alio enim nomine si vocasset, ne in-
*telligi quidè potuisset) adeo à nostris et horre-
 vt eos nolint omnino fratres appellare. Sed ecclesie
 nostræ eos, velint nolint, pro fratribus habere. Sinter
 go, si placet, fratres vestri Lutherani, velint no-
 lint, & velit nolit Lutherus, dux vester. Ipse
 certè cum nullum quem sequeretur haberet,
 seipsum ducem sequutus est. Si mihi forte
 nō credis, ipsi saltem Luthero fidem adhibe.
 Quando necessitas (inquit) postulat, quisque de-
 bet seipsum intrudere, tanquam necessitate charita-
 tis fraternæ vocatus. Eadèmq; fuit Caluini**

In cap. 19.
 iudicium.

Luth in ca.
 9. Matth.

Cal. lib. 4 sententia. *Non nego (inquit) quin apostolos po-
ca. 3. sect. 4. stea quoque, vel saltem eorum loco euangelistas in-
terdum excitari deus, ut nostro tempore factum est.
Talibus enim, qui ecclesiam ab Antichristi defe-
ctione reducerent, opus fuit.* Nullum igitur nisi
seipsum ducem sequutus, à nemine vocatus
Lutherus, seipsum euangelistam constituit.
Quæ sanè causa nobis esse iustissima videtur,
cur in scripturarum interpretatione patrum
nostrorum vestigia diligenter sequamur, qui
quatuor nobis euangelistas, Mattheum, Mar-
cum, Lucam, Ioannem commendarunt. Plu-
res libenter ignoramus, & Lutherum, Cal-
uinum, Bezam ceterosque, qui admirabili
quadam charitatis fraterne, ut ipsi vocant,
necessitate sese euangelistas fecerunt, admi-
ratoribus suis relinquimus. Tu verò ne con-
tempta prorsus patrum authoritate extrema
laborare dementia videaris, *Patribus tamisper
assentimur (inquis) dum scripturis adhaerescam.*
Et Arianis certè, & Marcionitis, & Valen-
tinianis, & hereticis denique omnibus, tan-
tis per assentimini: ut nihilo apud vos patrum
quam horum maior sit authoritas. Sed aliud
nunc agitur whitakere, quod tu quantum
potes dissimulas. Num quando patres adhe-
rescere scripturis sese profiterentur, vos negatis,
illis potius quam vobis fides habenda sit.
Tandem verò ex animo te loqui ais. *Quid il-
lud sit audire cupio. Acquumne, inquis, indicas
ut si patres in scrutando scripturas aberrarunt, co-*

*rum nos vestigiis insistamus? Et quod ipsi inueni-
mus verum abiciamus, quia illi inuenire non potue-
runt.* Sed quis credat whitakere, inuenisse
te quod Patres tam diu quæsitum inuenire
tamen minimè potuisse contendis, & aber-
rantibus omnibus te vnum viam tenuisse?
Quis enim tu quæso es, qui ignorantie erro-
ritque patres audeas accusare, iudice præfer-
tim Academia apud quam aut ego fallor, aut
non alia aduersus accusationem tuam defen-
sione patrum Campiano opus erit, quam
qua Æmilius olim Scaurus, spectatæ virtutis
cuius, variis Sucronensis ambitiosi ac vanif-
simi hominis audacem impudentiam cum
pro rostris accusaretur reprehsit. Varius (in-
quit) Sucronensis Æmilium Scaurum regia
mercede corruptum imperium populi Ro-
mani prodidisse ait: Æmilius Scaurus huic
se affinem esse culpæ negat. Vtri creditis? eu- Valer. Max.
ius dicti admiratione commotus populus, lib. 3. cap. 7.
Varium ab illa dementissima actione perti-
naci clamore deterruit. Quidni enim toti-
dem verbis Campianus pro patribus acturus
vretur? Guilienus whitakerus veteres ec-
clesiæ patres omnes in scrutando scripturas
aberrasse ait. Huic se affines esse culpæ Patres
negant. Vtri creditis academici? Videbas cre-
do, vel hæc sola responsione academicos de-
mentissimam actionem tuam, non tam per-
tinaci clamore, quam graui maturòque iu-
dicio mox reiecturos. Itaque aliam respon-

dendi viam ingressus: *Dionysium, Cyprianum, Athanasium, Basilium, Nazianzenum, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Gregorium, & vetustos omnes apertum nobis bellum ais denunciare.*

Hocine etiam ex animo loqueris? Cur igitur tanto haecenus studio eorum auctoritatem eleuare conatus es? Cur eorū tantopere iudicium reformidas? Cur in scripturis intelligendis eos aberrasse, vos illorum errores deprehendisse contendis? Videamustamē quam acriter tuam aduersus nos causam patres defendant, illi praesertim quos nominatim ais apertum nobis bellum denūciare. Ac primum quidem in aciem producis Dionysium illum Areopagitam, cuius tamen patrocinio adeo parum cōfidis, vt verum esse Dionysium, quod nos supra probauimus,

Dionys. A- fateri non audeas. Sic enim ais. *Dionysius hic reop. cap. 3. quisquis ille fuit, tuus esse dum priuatam missam eccles. hier. defendis, non potest.* At si nihil aliud ex Dionysio proferre potes, vt certē nihil potes, noster ille esse non desinit. Priuatam enim missam catholici nec defendimus, nec omnino agnoscimus, cum omnes missae & à publico ecclesiae ministro, & totius ecclesiae nomine, & pro omnium ecclesiae filiorum salute offerantur, nec ab illarum spiritali fructu, nisi sua quisquam culpa excludatur, etiam si qui sacramenti particeps esse velit, ex populo nemo adsit. Tu verò vel prima catholicae religionis elementa adeo ignoras, vt priuatas

else missas putes quae absque populi frequentia peraguntur, & in quibus solus qui offert sacerdos communicat, nec cuius ille personā sustineat, nec pro quibus, cuiusue nomine offerat intelligas. Sed quid tandem est quod contra priuatam, vt vocas, missam ex Dionysio affers? *Publicam* (ais) *Ecclesia communio- nem, qualem & Christus instituit, & vetus ecclesia semper tenuit, descripsit.* Quid? Num tibi Christus, cum sacramentum instituit, quoties, quando, quo loco, quam multis, aut praesentibus, aut communicantibus, aut quibus denique ceremoniis esset celebrandum praescripsisse videtur? Quorsum ergo de huiusmodi rebus ad Corinthios Paulus postea sic scripsit, *Cetera cum venero disponam.* Vidit hoc ^{1. Cor. 2.} certē Augustinus, & multa quae ad huius sacramenti administrationem pertinent, Apostolis disponenda dominum reliquisse non dubitauit. Liquidò apparet (inquit) quando ^{Aug. epist. 118. cap. 6.} primum acceperunt discipuli corpus & sanguinem domini, non eos accepisse ieiunos. Nunquid tamen propterea calumniandum, est vniuersae ecclesiae, quod a ieiunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti sacramenti, in os Christiani prius dominicum corpus intraret, quam exteri cibi. Nam ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur. Neque enim quia post cibos dedit dominus, propterea, pransi aut cœnati fratres ad illud sacramen-

tum accipiendum conuenire debent, aut si-
 cur faciebant quos apostolus arguit, & emē-
 dar, mensis suis ista miscere. Namque Salua-
 tor quo vehementius commendaret myste-
 rij illius altitudinem, vltimum hoc voluit in-
 figere cordibus & memoriae discipulorum, a
 quibus ad passionem digressurus erat, & ideo
 non præcepit quo deinceps ordine sumere-
 tur, vt apostolis per quos ecclesias disposi-
 turus erat, seruariet hunc locum. Et quid
 quæso iniquius quàm ob populi rarius com-
 munitatis siue impedimenta legitima, siue
 etiam negligentiam, sacerdotes ipsos, & ec-
 clesiam dei, adeoque fidelēs omnes, ad quos
 sacrificij fructus pertinet, tanto tamque ne-
 cessario fructu priuari, & deo ipsi summum
 hunc ac singularem offerre cultum nolle?
 Veteris autem ecclesiæ morem nihilo sane
 minus quàm Christi institutionem ignoras,
 Nā tametsi priscis illis temporibus, vt maior
 fidelium charitas atque deuotio, ita multò
 quàm nunc frequentior Christi corpori cō-
 munitantium numerus fuit, semp̄que pia
 mater ecclesia filios suos ad frequenter piē-
 que cōmunicandum horrata est, atque etiā-
 num hortatur, nunquam tamen præcepit, vt
 nisi præsentē populi cōmunicaturi frequentia
 sacrificiū non offerretur, aut vt omnes, quo-
 ties sacrificio interessent, Christi corpus &
 sanguinem sumerent. Quod celebris illa bea-
 ti Augustini sententia ostendit, qua quotidie

Aug. epist.
 118.

communicandi morem, nec laudare se, nec
 reprehendere ait. Et beatus Hieronymus cūm
 hanc Romanæ vr̄bis peculiarem fuisse con-
 suetudinem commemorat, satis eā non om-
 nium fuisse ecclesiarum communē significat,
 cūm tamen nullo non die sacrificium in ec-
 clesia non offerretur. Quod & Malachias o-
 lim propheta prædixit, & Diuus August. sua
 ætate fieri consueuisse testatur, cūm de matre
 in hunc modum scribit. Tantummodo me-
 moriam sui ad altare tuū fieri desiderauit cui
 nullius diei prætermissione seruiet, vnde
 sciret dispensari victimam sanctam qua de-
 letum est chirographum quod erat contra-
 rium nobis. Postremò, ne de re tam aperta
 diutius differam, si laicis olim etiam solis do-
 mi suæ communicare licebat, vt ex multis
 veterum monumentis perspicuum est: quid
 causæ erit cur sacerdoti absque populo sa-
 crificium offerre non liceat? multa verò sunt
 huiusmodi, ex quibus quam luculentam no-
 bis plagā Dionysius infixit, tuamque cau-
 sam strenuè propugnari intelligis. Secun-
 das tenet Iustinus martyr: quando formam (vt
 ais) eius disciplina qua Christiani in sacro conuē-
 tu vsi sunt, exposuit. Panem & vinum eo tempore
 populus accepit, nunc neutrum. Si Iustinum vel
 obiter legis, nō eo impudentiæ esces pro-
 gressus, vt illius contra nos testimonio pu-
 gnare auderes. Nam eo ipso quem tu profers
 loco nostram de eucharistia sententiam di-

Aug epist.
 118. Hieron.
 in apolog.
 pro lib. con-
 tra Iouin.

Aug. lib. 9.
 Confes. cap.
 17.

Iust. apol. 2.
 ad anton.

„ fertis sanè verbis confirmat. Quemadmo-
 „ dum per dei verbū homo factus Iesus Chri-
 „ stus, conseruator noster & carnem & san-
 „ guinem pro salute nostra habuit, sic etiam
 „ cibum qui per preces sermonis quem ab eo
 „ accepimus consecratus est, & quo sanguis
 „ carnesque nostræ communionem aluntur, Ie-
 „ su Christi, eius qui homo factus est, & car-
 „ nem & sanguinem esse accepimus. An non
 „ hic Iustinus affirmat tam verè corpus & san-
 „ guinem Christi in eucharistia esse, quam ip-
 „ se corpus & sanguinem habuit, & panem ac
 „ vinum, in carnem Christi ac sanguinem pre-
 „ ce mystica consecrari: Cùm tamen Calvinus
 „ vester hunc consecrãdi ritum nihil esse aliud
 „ quàm magicam incantationem, qua est im-
 „ pudentia præditus, dicere non vereatur. Ac
 „ vt cætera omittam, tum in more fuisse testa-
 „ tur Iustinus, vt absentibus per diaconos eu-
 „ charistia mitteretur. Quod quam benè ve-
 „ stra cum cœna conueniat vos videritis. *At pa-
 „ nem (inquis) & vinum eo tempore totus populus
 „ accepit, nunc neutrum.* Vbi quæso apud Iusti-
 „ num legisti tum panem & vinum in eucha-
 „ ristia Christiano populo exhibitum? cùm ni-
 „ hil ille de pane & vino, sed de corpore & san-
 „ guine Christi tanta perspicuitate loquatur.
 „ Sed tibi hic vel inuito veritas excidit: à no-
 „ bis in eucharistia neque panem, neque vinū
 „ dari. Sic enim res habet. Vobis sanè vestrum
 „ panem & vinum minimè inuidemus. Tertius
 „ in acie

Cal. lib. 4.
 cap. 14. sc. 4.

in acie est Beatus Cyprianus, qui apostolos Cypr. de
 omnes Petro, vt ais, exæquat, eosque pari vnit. eccles.
 & honore. & potestate præditos discretè affir-
 mat. Eadem verò, vt video, Cyprianum, qua
 Iustinum, ac Dionysium oscitantia legisti.
 Quid enim ille de Romani pontificis autho-
 ritate senserit, plurimis sanè locis ostendit. Epist. 55.
 Neque (inquit) aliunde hæreses obortæ sunt,
 aut nata sunt schismata, quam inde quod sa-
 cerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in
 ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iu-
 dex vice Christi cogitatur. Et eodem loco su-
 per Petrum ait, fundatam esse ecclesiam. Et Cypri. de
 alibi. Christus vt vnitatem manifestarer, vnâ vnit. eccles.
 cathedram constituit, & vnitatis eiusdè ori-
 ginem ab vno incipientem sua auctoritate
 disposuit, & super illum vnum ædificat ec-
 clesiam, & illi pascendas oues suas tradidit.
 hanc ecclesiæ vnitatem qui non credit, tenere
 se fidem credit? Qui ecclesiæ renititur &
 resistit, qui cathedram Petri super quam
 fundata est ecclesia deserit, in ecclesia se ef-
 se confidit? Petrus ergo, si Cypriano cre-
 dimus, ecclesiæ fundamentum seu caput est,
 à quo illius vnitas ac salus dependet, vt Hic- Hieron. cō-
 ronymus etiam contra luciferianos loqui- tra lucifer.
 tur. Salus ecclesiæ à summi sacerdotis digni-
 tate pender, cui nisi exors quædam & ab-
 omnibus eminens detur potestas, tot in ec-
 clesia erūt schismata quot sacerdotes. Quod
 verò de potestatis æqualitate obiicit, Cypria-

Cypr. de nus ipse perspicue soluit. Quamuis (inquit)
 vnit. eccl. apostolis omnibus post resurrectionē suam
 » parem potestatem tribuat, & dicat, sicut mi-
 » lit me pater, & ego mitto vos : accipite Spi-
 Ioan. 20. ritum sanctum, si cui remiseritis peccata re-
 » mittentur illi, si cui tenueritis, tenebuntur:
 » tamen vt vnitatem manifestaret, vnam ca-
 » thedrā constituit, & vnitatis eiusdem ori-
 » ginem ab vno incipientem sua autoritate
 » disposuit. Pares ergo Apostolos Cyprianus
 » dixit, quia æquē omnes Apostoli fuerant,
 » & euangeliū per totum orbem annunciandi
 » æqua omnibus à Christo potestas concessa
 » est: ita tamen vt à Petro ceteri tanquam à
 » capite penderent. Hoc enim ea verba ostendunt.
 » Vt vnitatem manifestaret, vnam cathedrā
 » constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno
 » incipientem sua autoritate disposuit. Hoc erant
 » vtique & ceteri apostoli quod fuit Petrus, pari
 » consortio præditi & honoris & potestatis, sed
 » exordium ab vnitatis proficiscitur. Primatus Petro
 » datur, vt vna Christi ecclesia, & cathedra vna
 » monstretur. Cū ergo Cypriano iudice vna
 » esse ecclesia nisi primatus sit vnus, non possit,
 » neque magis sine primatu ecclesia, quàm domus
 » esse sine fundamento queat: quid apertius,
 » quàm ex Cypriani sententia, ita pares fuisse
 » apostolos, vt tamen vnum ceteris Petrum
 » Christus præfecerit? Quid vero aliud qui
 » primatum tollitis, quàm ecclesiam

funditus euertere desideratis: Illud fortasse Epist. 55.
 grauius est, quod de appellatione ad Romanum pontificem adnectis. *Prohibet Cyprianus ne quis ad Romanum pontificem pronocet.* Immo verò non prohibet whitakere, neque omnino de appellatione eo loco quidquam agit: Sed cū Fortunatum sibi pseudoepiscopum Nouatiani elegissent, quem Cyprianus vna cum aliis Africæ episcopis merito excommunicauit, Romam Fortunatus Felicissimum presbyterum cum literis misit, quibus episcopum se creatum, Cyprianum verò de variis criminibus accusatum fuisse significat. Post latam verò in Fortunatum excommunicationis sententiam, noua eidem crimina episcopi intendantur. Hæc cū ita se haberent, ad Cornelium Cyprianus in hunc modum scribit. Cū statutum sit omnibus, & æquum sit pariter ac iustum, vt vniuscuiusque causa illic audiatur, vbi est crimen admissum, vt & accusatores habere & testes sui criminis possint: Ita enim à Fabiano qui Cornelium præcessit statutum erat. Peregrina, inquit, iudicia salua in omnibus apostolica autoritate generali sanctione prohibemus: quia indignum est ab externis vt iudicetur, qui prouinciales & à se electos debet habere iudices, nisi fuerit appellatum. & paulo post. Semper ibi causa agatur vbi crimen admittitur. Quæ verba hic Cyprianus citauit, petiuitque à Corne-

lio, vt statutum illud antecessoris sui in Fortunati aliorumque causa seruetur, illique causa ageretur vbi habere accusatores & testes sui criminis posset. Quid in his quæso verbis inueniri potest, quod Romani pontificis auctoritatem vlla ex parte imminuat? Etenim nisi ea ætate omnibus fuisset persuasum supremum esse in terris Romani pontificis iudicium, quomodo, vel Romam Fortunatus Felicitissimum, aliisque misisset, qui falsis Cyprianum criminibus onerarent: vel Cyprianus ipse tam serio laborasset, vt illa causa Africæ fines non excederet, si Romæ eam agi non posse existimasset? Ipsi enim vos iudicate, Quid vestrum aliquem moueret, si pseudoepiscoporum vestrorum quispiam ipsum apud Romanum pontificem accusaret? Num ea qua Cyprianus diligentia, à pontifice peteret vt ibi crimen ageretur vbi testes habere & accusatores posset? Nihil profectò minus. Deinde verò cum ibi causam agi debere vbi crimen admissum est Cyprianus ait, vbi testes & accusatores esse possint: firmissimum nobis argumentum suppeditat non ideo causam hanc Romæ non esse agendam, quod ad Romani Pontificis iudicium non spectet, sed quod minus ibi commodè agatur, vbi accusatores esse & testes non possunt. Quid enim Cypriano facilius fuisset, si idem de Pontificis auctoritate vobiscum sensisset,

quàm dicere Romani pontificis omnino non esse de Africanæ ecclesiæ causis iudicare? Verùm longè alia illius mens fuit, qui tanto studio à Cornelio contendit, vt ex Fabiani decreto non Romæ causa Fortunati, sed in Africa ageretur: sueque apud pontificem causæ equitatem quibus potest argumentis demonstrat. Romam (inquit) cum mendaciorum suorum merce nauigant, quasi veritas post eos nauigare non posset, quæ mendaces linguas rei certè probatione conuinceret. Et paulò post. Post hæc episcopo sibi ab hæreticis constituto nauigare audent, & ad Petri cathedram, atque ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos quorum fides Apostolo prædicante laudata est: ad quam perfidia habere non possit accessum. Quisnam adeo cæcus est vt ex his Cypriani verbis non facillè intelligat, Fortunatum ideo Romam misisse, vt in principali ecclesia illius causa ageretur: cuius iniustam fuisse prouocationem ex Fabiani decreto Cyprianus ostendit? Quàm ergo tu ineptè! *Quare vestrum pontificem oderit Cyprianus est necesse.* Ecclesiam, scilicet, illam odit quam & principalem esse, & in qua primatum, & Petri cathedram, & vnitatis ecclesiasticæ originem agnouit, & ad quam perfidia habere non possit accessum. Hæc num odij,

Lact. lib. 2.
cap. 19.

an amoris potius, ac benevolentia, adeoque singularis obseruantia signa sint, æquus lector facile iudicabit. Ad Lactantium venio, quem tu succenturiasse videris. Religio (inquit) nulla est vbiunque simulachrum est. Quo nihil à te imperitius dici potuit. Non enim de Christianorum imaginibus, sed de infidelium idolis loquitur. Quod ex ipsius verbis, quæ tu mutila protulisti, clarissimum est. Religio (inquit ille) ex diuinis rebus est. Diuini autem nihil est nisi in caelestibus rebus. Carent ergo religione simulachra, quia nihil potest esse caeleste in ea re, quæ sit ex terra. Ac rursum Deus sursum quærendus est, non sub pedibus. Nihil ergo aliud Lactantius, quàm nullam esse religionem vbi quæ ex terra sunt pro diis coluntur. Et certè, si vbi sacrarum rerum atque caelestium imagines sunt, nulla esse religio potest, quam tu Lactantij sententiam esse vis, neque apud Iudæos illo iudice vera vnquam religio fuit. Quis enim ignorat suas illis sacrarum rerum imagines fuisse? Nisi fortè non legisti intra sancta sanctorum duos Cherubim aureos collocatos fuisse. Inuitum ergo Lactantium & reluctantem in pugnam contra nos trahis. Eademque equitate Athanasium adiungis, quem traditionum ecclesiasticarum oppugnatorem videri vis, tanta profecto impudentia, vt me tui valde pudeat. *Athanasius*, inquis, *sacras*

Exo li 25.

Athanas. cæ
tra gentes.

& diuinitus inspiratas scripturas ad omnem veritatis institutionem sufficere affirmat. In quo vestras illas traditionum copias multiplices vno dicto fugauit. Itane verò? Quid si traditiones ille non fugasse eo loco, sed clarissimè confirmasse deprehendatur? Nonne te impostorem esse academici merito clamabunt. Sufficiunt quidem per se (inquit) tum sacrae & diuinitus inspiratae scripturae, ad veritatis indicationem, tum plurimi de eadem re libri à sanctissimis magistris conscripti, quos si quis euoluat, intelliget aliquo modo scripturarum mentem. An non vides scripturis sacris patrum monumenta illarum sensum fideliter explicantia ab Athanasio adiungi? Epiphanius sequitur, quem ego hinc à te nominari miror. Quid enim ille contra sanctorum honorem loquutus est? *Stultas quasdam mulierculas exagitat* (inquis) *quæ Mariam virginem nouo quodam religionis genere coluerunt. τὴν Μαρίαν (inquit) μηδὲν προσευχέτω.* Vbi nihil contra sanctorum cultum, sed eas tantum reprehendit mulieres, quæ Mariæ tanquam deæ sacrificia offerebant. Conueniebant quippe (vt ille ait) certo anni die, & currum siue sellam quadratâ ornabant, & expanso linteo per certos illi dies sacrificabant. Inde collyridiani dicti sunt, quòd κολλυρίδα, id est totam panis Mariæ in sacrificium offerrent.

Epiphanius.
lib. 3. hæres.
79.

Hunc ille errorem ira confutat, vt neque in nouo testamento fœminis, neque etiam diaconis, sed solis sacerdotibus sacrificii offerendi potestaté diuinitus esse concessã ostendat. Ac neque ipsam beatam virginem quantumuis apostolos sanctitate omnes antecelleret, hanc à Christo potestatem accepisse, neque eam sacrificio colendam, cum hoc ad supremum religionis cultum pertineat, quæ soli deo deberi omnes intelligunt, honoranda (inquit) Maria est, sed non adoranda. Vt igitur stultam illarum muliercularum hæresim dānar, ita vestrã in altero quasi erroris extremo collocatam impietate reicit: equale est enim in vtrisque scētis detrimentū, cū illi quidem sanctã virginē omnihonore spoliāt, hi verò rursus vltra decorum glorificēt. Maria (inquit) sancta fuit, sed non deus. Impudens verò est quam mox adiungis calumnia, *Quid Epiphanius diceret, si nunc non fœminas modo uauissimas, sed viros etiam, cunctosque mortales, sacra & vota virginū facientes videret?* Nemo enim catholicus vel sacra facit, vel vota virgini, sed deo soli & sacrificamus & certè vouemus, quāuis in virginis & sanctorum honore, vt beatus olim Augustinus Manichæis, à quibus hanc calumniam estis mutuati, respondit. Quis audiuit aliquando fidelium (inquit) stante sacerdote ad altare, etiam super sanctum corpus martyris, ad dei honore cul-

Lib. 8. de ci.
uit. cap. 27

tumque constructum, dicere in precibus, *Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane: cum apud memorias eorum deo offeratur, qui eos & homines, & martyres facit, & sanctis suis angelis celesti honore sociauit.* Et contra Faustum Manichæum. Illo cultu qui Græce λατρεία dicitur, latinè vno verbo dici non potest, cum sit quædam propriè diuinitati debita seruitus, nec colimus, nec colendum dicimus, nisi vnum Deum. Colimus tamen martyres, eo cultu dilectionis & societatis, quo in hac vita coluntur sancti homines Dei, sed illos tanto deuotius, quanto securius, post incerta omnia superata, quanto etiam fidentiori laude prædicamus, iam in vita fœliciore victores, quam in ista adhuc pugnantes. Quemadmodum igitur stultus ille muliercularum error Epiphanio visus est: ita vestram hæresim, qua honore illo quo semper eam Christianus populus prosequutus est, spoliatis, eodem sanè loco damnauit. Venio nunc ad Basilium, ex quo in grauissimo scilicet fidei dogmate clarissimum contra nos afferre testimonium tibi videris. Basilium (ais) *author est in more positum fuisse, cunctis ecclesiis illo tempore vt populus psalmos in sacra cœtu recitaret.* Valde profecto sudasse te video, vt aliquid saltem ex Basilio exciperes, cum nihil præter psallendi morem occurreret: in quo tamen falsum Basilio affingere nõ te pudeuit. Non enim ille cunctis ecclesiis in more

Lib. 20. cap.

21.

Basil. epist.

80. ad pop.

Neocæs.

fuisse positum ait vt populus in sacro cœtu psalmos recitaret: immo illum de quo loquitur morem, & nouum, & aliis ecclesiis minime communem, neque ab ipso Gregorio Nazianzeno satis probatum fuisse commemorat. Quod si alicubi, cum nondum omnia adeo perfecte essent constituta, & magna etiã in ecclesia esset ministrorũ inopia, promiscue populus ad psallendum conueniebat, rebus postea in melius commutatis, hic mos non immeritò sublatuſ est. In antiquissimo enim Laodiceno concilio statutum legimus, vt præter canonicos psaltas in ecclesia nemo psallat, id est eos quibus psallendi munus incumberebat. Quin & ex Dionysio Areopagita, & ex celebri illa de Ambrosio & Theodosio imperatore historia, ab ipsa apostolorum ætate, clerum à populo in publicis ecclesiæ conuentibus distingui loco cepisse constat. Qui enim populum continebat locus à Grecis *ναός*, qui clerũ *ἐκκλησία*, siue locus sacrificio deputatus appellabatur, & ab illis etiam qui in eo psallebant, à multis iam seculis chorus dici capit. *At in vestris ecclesiis (ais) populus audire & intelligere ea non potest quæ leguntur.* Quasi quæ in vestris vos synagogis vlulatis, ex populo quiuis optimè intelligat, aut à quo uis ea intelligi necesse sit: aut omnino publice preces ecclesiæ, nisi à populo intelligantur, nihil illi prodesse possint. Quid hoc homino stultius, quid absurdius fingi potest? Vt

Can. 15.

enim de orientali ecclesia nihil iam dicam, in qua linguæ Græcæ vsus semper retentus est, si omnem occidentalis ecclesiæ historiam diligenter euoluas, nunquam profectò publica ecclesiæ officia aut preces publicas, alia quam latina lingua habitas inuenies, cum tamen in singulis penè prouinciis proprii cuiusdã ac peculiariſ idiomatis vsus esset. Quod si perperam fieri ecclesia iudicasset, non tot seculis Caluini ac Lutheri censuram, vt nouum hunc precandi morem induceret, expectasset. Quin potius cum ante quingentos circiter annos à Gregorio septimo Bohemiæ dux postulasset, vt vulgari idiomate diuina peragerentur officia, id illi pontifex tanquam ecclesiasticæ disciplinæ minus consentaneũ, qua decuit libertate negauit. nunc igitur morem tot seculorum consensione roboratum, quomodo ab apostolica traditione manasse dubitabimus? si (vt eruditè Augustinus scripsit) quod vniuersa tenet ecclesia, neque à conciliis institutum, sed semper retentum est, nõ nisi apostolica authoritate traditum rectissime creditur. Ac ne tam antiquam, tamque receptam ecclesiæ consuetudinem immutare facile putes licere, Augustinum consule, ex quo discere poteris quanta semper religione Christiani hebraicam, illam vocem, Amen, retinuerint, qua preces omnes ecclesiasticæ, etiã nunc concludi solent, quamque Augustinus in aliam linguam minime esse trãsferendam

Aug. lib. 4.
cõtra Dona.
cap. 24.

Aug. epist.
88. & lib. 2.
de doct.
Christ. cap.
10.

cenfer. Neque absque ratione Iustinus Martyr, cum apud Imperatorem Christianorum causam ageret, tam diligenter veterem ecclesie morem commemorauit, vt hebraica omnes voce, Amen, responderent. Multa sunt huiusmodi quæ in alias conuerti linguas sine ecclesie scandalo non posse patres censuerunt. Quod si in rebus tam exiguis (vt vobis quidem videtur) tam accuratâ proprii idiomatis ratione patres habendâ putarunt, fierine existimas poruisse, quin si preces publicas non Græca lingua, vel Latina, sed proprio cuiusque prouinciæ idiomate habendas credidissent, maiori cura ac diligentia, & Augustinus in Punicam, & Iustinus in Syriacam, & Hieronymus in Dalmaticam, alique in alias linguas, & ipsi vertissent, & idem vt alij facerent admonuissent, suoque illos exemplo incitassent? Absit enim vt ecclesie morem magis illi, quàm vel Beza, vel Calvinus ignorarent, aut minori populum Christianum charitate, quàm illi amplexi sint, vt tanto silentio, si rem hanc vel necessariam ecclesie, vel omnino vtilem putassent præterire potuerint. Basilium apud te sequitur Nazianzenus. *Hic de vita hac ciuili non minus honorificè quàm de illa monachorum solitaria iudicat* (inquis) *quod vestri monachi ferre non possunt.* Tu vero si Nazianzenum sequeris, cur de monastica vita multò quàm ille minus honorificè loqueris? At neque id Gregorius Nazianzenus aliquando

Naz. de he.
philol.

sensit, quod tu illi falso ascribes. Eodem enim loco monasticam ille vitam præclaram, & humana conditione superiorem appellat, quo nescio an quid maius ad illius dicere commendationem potuisset. Atque in eadem sententia Augustinus, Hieronymus, Chrysoſt. cæterique veteres Christiani populi doctores ac pastores fuerunt. Quod cum Calvinum tuum minime lateret, qua solet impudentia patrum hic se censore præbuit. *Interim* (inquit) *non dissimulo, vel in illa monachismi quem Augustinus commendat prisca forma, esse non nihil quod mihi parum placeat.* Sed vt tibi de Nazianzeno respondeam, ciuilem ille vitam, non communem illam Christianorum, sed eam quæ tota in charitatis officiis erga proximum exercendis occupata est appellauit, vulgò actiuam vocamus: quam hac fanè de causa solitaria interdum anteponendam dixit, quòd maior ex illa ad quamplurimos vtilitas manaret. Nã & eos qui procul ab omni mortalium consuetudine in semotissimis eremi partibus vitam agebant, si quando proximorū id postulabat necessitas, relicta eremo ad vrbes & hominum frequentiam sese contulisse legimus, vt de magno illo Antonio, Iuliano aliisque constat. Tantum igitur tu monachis tribue, quantum cum Gregorio Nazianzeno reliqui etiã patres tribuendum putarūt, tuique te Lutheri pudeat, cuius tam impia, ac patribus omnibus tam contraria fuit de monastica vita

August. de
mor. eccl.
cath. Basil.
in regul.
Hieron. cō-
tra Louin.
hom. de re-
ge & Mona-
cho & in
lib. de sacer.
Cal. lib. 4.
cap. 13. sect.
16.

Lut. in cap. 3. epist. Pet. sententia. *Thomas (inquit ille) dominicalis, eu-
callatus, impudentissimus, ausus est mentiri insti-
tutum paparum & monachorum præstabilius esse
communi laicorum instituto. Quasi verò diuus
Thomas, & si Lutero ac lutheranis omni-
bus, totaque caluinianorum colluue cum vi-
tæ sanctitate tum singulari doctrina longè an-
referendus, hoc primus excogitarit, aut aliud
fenserit quàm ante eum omnes ecclesiæ pa-
tres docuerunt. Quid verò Ambrosius aduer-
sum nos scripsit? In illos acerbissime inuehitur
(inquis) qui quemadmodum in oculis principum se-
ri solet, ut satellitis alicuius gratia queratur, an-
tequam possis ad regem ipsum introduci, ita sibi pu-
tant esse necessarium, quando ad deum accedere vo-
lunt suffragatorè prius adhibere. Facilis est & ex-
pedita responsio. Illos enim suffragatores ap-
pellat, qui principi qualis quisque sit, quàm-
que de eo ac republica bene meritus, & ad
publica munera obeûda idoneus, exponunt:
ut ex toto Ambrosij contextu facile intelligi
potest. Princeps enim, ut ille ait, quia homo
est, qualis quisq; sit ignorat, deus verò cū ni-
hil ignoret suffragatorè apud eum nihil est
opus. Neque nos adeo esse stuposos velim ex-
istimes, ut hoc modo sanctos nobis suffragato-
res quaramus, sed cū Ambrosio ipso inter-
cessores tantū pro nobis esse optamus. Obse-
crandi (inquit) sunt angeli qui nobis ad præsidium
dati sunt, Martyres obsecrandi, quorum vi-
demur nobis quodam corporis pigrore pa-*

Am. in cap.
1. ad. Rom.

Amb. lib. de
viduis.

rocinium vendicare. Possunt pro peccatis
nostris rogare, qui proprio sanguine etiam
quæ habuerunt peccata lauerunt. Isti enim
sunt dei martyres, nostri præfules, specula-
tores vitæ actuumque nostrorum. Non eru-
bescamus eos intercessores nostræ infirmita-
tis adhibere, quia ipsi infirmitatem corporis
etiam cū vincerent cognouerunt. An non
hec te Ambrosij, ut tuis verbis utar, pūgit at-
que cruentat oratio? Hieronymus fortasse
pro te vehemētius certabit, de quo sic scribis. Hieron.
*Hieronymus in vestram pontificem, & vestros illos epist. ad
splendidos episcopos nimis contumeliosus fuit, quā Euagt.
do presbyterum & episcopum iure diuino eundem
esse scribit. Bona verba queso. Nunquam enim
dubitauit Hieronymus inter episcopum, ac
presbyterum, etiam iure diuino discrimen
esse maximum. Nam ad Euagrium scribens,
hoc inter presbyteros, episcopos & diaconos
interesse docet, quod in veteri testamen-
to inter aaronem & filios eius, ac leuitas in-
terfuit, inter quos discrimen à Deo ipso fuisse
constitutum nemo dubitat. Et eodem lo-
co quid (inquit) potest episcopus quod non
potest presbyter, excepta ordinatione. Hoc
enim proprium episcoporum munus esse, ut
veteres omnes authores senserunt, ita diser-
tis hic verbis Hieronymus testatur. Illorum
quippe munus est (ut Epiphanius Hieronymi
familiaris loquitur) patres generare, presby- Epiphan. in
terorum vero filios. Hoc enim per baptismi, Hæres. ac.*

Contra
Lucifer.

Epiphan. in
Hæres. ac.

illud per ordinis sacramentum fit. Neque ignorare Hieronymus potuit, Aërium hæreticos damnatum fuisse, quod inter episcopum ac presbyterum discrimen esse nullum dixerit. Tu vero quocumque tandem modo Hieronymum interpreteris, nihil certe aliud ex illo elicies, quam communem ecclesiæ gubernationem, antequam schismata nascerentur ad episcopum, & presbyteros, ex equo pertinuisse. Quod cum ad iurisdictionem pertineat, illud semper ex Hieronymi sententia reliquum est, Episcopum presbytero, quod ad ordinis potestatem spectat, superiorem esse. Hoc enim ille disertis sane verbis expressit. Iam de Gelasio quæ tua est sententia? *Gelasius pontifex ipse Romanus, cœnam vestram siccam, & parte altera diminutam sacrilegij damnat, seuerèque præcipit, ut integra vel sumatur, vel omittatur.* Apud nos verò (si nescis whitakere) neque cœna humida est, neque sicca: Vobis enim profanam vestrâ cœnam relinquimus, in qua nihil est quod non Iudæi & Turci in suis etiam cœnis habeant, nisi quod Turci vino abstineant, in quo ut video summa vestræ cœnæ est: ideoque de nobis tam acerbè conquereris quod sicca nobis cœna sit, quod tamen si tibi constare vis, summa certè iniuria facis. Nam si vino tantum opus est, quod nos nemini profectò negamus, tam cœna nobis humida est quam vobis. Ac nisi tu plane cæcus esses, vel hoc solo argumento didicif-

ses,

ses, aliud ecclesiam in eucharistia esse credidisse, quam panem ac vinum. Nunquã enim laicis vini vsu interdixit, quibus tamè Eucharistiæ vsu sub vtraque specie iustissimis eã de causis interdixisse contendimus. Sed ut tibi iam respõdeam, si prima illa ecclesiæ tempora spectemus, totis pene quadringentis annis, Christiano populo liberum erat ius vtraque specie Eucharistiã sumere, sed ita tamen, ut nullo ad id præcepto quisquã adstringeretur: Quod, si propositæ disputationis breuitas pateretur, ex plurimis veterum monumentis demonstrare non esset difficile. Veterem tamen Christianorum cõsuetudinem hic nõ tacebo, ex qua quod dicimus constare potest. Quis enim nescit, in suis olim edibus Christianos eucharistiam quam quotidie sumerët, in arcis fernalle? Non sciet maritus (inquit Tertull.) ^{Tertul. lib. 2 ad vxorẽ.} quid secreto ante omnem cibum gustes: & si sciuerit, panem non illũ credet esse, qui dicitur. Et Cyprianus de muliere quadã loquens, ^(ypr. serm. 5. de lapsis.) Cũ quẽdam, inquit, arcam suam, in qua domini sanctũ fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgẽte deterrita est, ne auderet attingere. Et alius qui & ipse maculatus de sacrificio, à sacerdote celebrante parat. ^{Ambr. in orat. funebri de Sary.} funebri nem cum ceteris ausus est latenter accipere, sanctum domini edere & cõrectare nõ potuit, cinerem ferre se apertis manibus inuenit. Et Ambrosius de Saryro fratre scribit, qui eucharistiam in oratio secum circun-

X

ferebat. Nota est etiam Eusebij de Serapione historia, qui non prius ex hac vita migrare potuit, quã ad eum eucharistia deferretur.

Euseb. lib 6. cap. 36. ex epist. epist. Alex. ad Fab. antiochen.

Erat (inquit) Serapion apud nos fidelis senex, qui licet magnã vitæ partem integram, & incorruptam transegisset, tempore tamen persecutionis præ imbecillitate animi lapsus est. Hic sæpenumero in ecclesia denuo recipi suppliciter postulabat, sed nemo, quia idolis sacrificasset, eius postulationi aliquando auscultauit. Quin in grauiem morbum lapsus, triduo deinceps mutus, & absque sensu vixit: quarto autem die paululum releuatus, nepotem ad se accersit, sicque alloquitur. Quousque filii, me detinetis? properate obsecro, & me ocius dimittite. Aliquem ex presbyteris aduoca ad me. Quæ cum dixisset, iterum fuit mutus. Percurrit ad presbyterum, nox iam erat, ille fortè morbo vexatus, accedere ad eum non poterat, sed tamen à me quidem mandatum dabatur vt qui iam essent de vita emigraturi, sanctorum mysteriorum, (dummodo peterent, & vel maximè si antea, dum integra valetudine erant supplices, petiissent) participes fierent, sicque cum pace dimissi, ac bona spe confirmati, ex hac luce discederent, puero exiguam quandam eucharistiæ partem dedit, præcipiens vt eam mandefactam in os senis infunderet: quam puer secum adferens rediit. Cui iam appropinquanti priusquam cum eo quod gestabat in-

traret ædes, Serapion denuo voce recuperata dixit, Venisti fili: tamen si presbyter non potest venire, tu tamen presta quod tibi in mandatis dedit, & dimitte me abire. Particulam igitur puer quam apportarat mandefactam in os senis infudit, atque ille simulatque eam pedetentim per fauces demiserat, ilico extremum spiritum edidit. Est & apud Prosperum historia de puella quadam energumena, quæ veteris ecclesiæ vltimum satis ostendit. Peracto (inquit) sacrificio cum eadem (puella) inter ceteras breuem particulam corporis domini tinctam à sacerdote perciperet, semihora mandens traicere non valuit, nondum illo fugato de quo dixit apostolus, Quæ consonantia Christi ad Belial? Manu igitur facie eius sustentante sacerdote, ne sanctum proiceret, à quodam diacono suggestum est, vt calicem salutarẽ gutturi eius pontifex applicaret: quod vt factum est, statim locum illum quem diabolus obsederat, saluatoris imperio reliquit: sacramentum quod ore gestabat, cum laude redemptoris transglutisse puella clamauit. Quis hic non videt alteram tantum speciem puellæ traditam fuisse, cum diaconus, non vt calix salutaris daretur, sed tantum vt eius gutturi applicaretur suggesterit? Celeberrimum est etiam Nestorianæ illius mulieris factum, quam cum crebris admonitionibus vir eius de sententia deducere non posset, qui eadem hæresi infectus Chry-

Prosper lib. 4 cap. 6. de promiss. & prædict.

Sozom. lib. 8. c. 5.

23 solstomi concionibus reliquerat, & repudia-
 24 ta hæresi ad ecclesiam catholicam redierat:
 25 tandem, nisi (inquit) in religione mihi con-
 26 sors fueris, ne in vitæ quidem communione
 27 post hac eris. Ibi mulier data fide, se id factu-
 28 ram, cum ancilla quadam, quam fidam arbi-
 29 trabatur, de hac re communicat, eamque si-
 30 bi ad fraudem marito faciendam sociam ad-
 31 iungit: Itaque tempore communionis (in-
 32 telligunt autem, inquit Sozomenus, qui Chri-
 33 sto initiati sunt, quid dicam) illa quod acce-
 34 perat continens, velut oratura procumbit: sa-
 35 mula interim astans, furtim porrigit id quod
 36 manibus adueniens ferebat. Quod quidem si-
 37 mulatque dentibus admorum esset in lapi-
 38 dem induruit. Tum mulier timore consterna-
 39 ta, ne quid sibi grauius eueniret, ob tantum
 40 miraculum in se diuinitus editum, cum festi-
 41 natione ad episcopum (is erat Ioannes Chry-
 42 solstomus) accurrit, se ipsam indicat, ac lapi-
 43 dem ostendit, qui manifesta vestigia morsus,
 44 sed materiam incognitam & inulitatum co-
 45 lorem præ se ferebat. Cumque profusis la-
 46 chrymis veniam impetrasset, cum marito
 47 deinceps concors vixit. Si cui autem hæc veri-
 48 similia non videntur, testis est ipse lapis, qui
 49 etiam hodie inter Constantinopolitanæ vr-
 50 bis cimelia conseruatur. Hæc Sozomenus. Ex
 quibus illud efficitur, minime tunc fuisse ne-
 cesse sub vtraque specie eucharistiam sume-
 re. Nunquam enim dissimulare, nunquam

se ipsam cogitare potuisset, si de manu sacerdo-
 tis, vel diaconi sanguinem sumere, & hauri-
 re necesse fuisset. Quid plura? Nam quod de
 abstemiis omæ virginibus scribit beatus Hiero-
 nymus, vt nullum esset aliud exemplū, sa-
 tis ostendit nullam tunc Romæ Eucharistiæ
 sub vtraque specie sumendæ necessitatem fuisse.
 Si quando (inquit) festinè & lepidè vo-
 lunt viuere, vbi se mero ingurgitauerint,
 ebrietati sacrilegium copulantes aiunt, absit
 vt ego me à Christi sanguine abstineam, &
 quam vident pallentem, atque tristem, mise-
 ram, & Manicheam vocant. Qui locus satis
 indicat, quasdam Romæ virgines adeo fuisse
 abstemias, vt ne vini quidem species, quæ in
 sacramento dabantur sumerent. Verùm ne
 Manichei, qui impia quadam superstitione se
 se à sanguine abstinebant, latere inter catho-
 licos, & dissimulando sese occultare possent,
 præcepit Léo pōtifex vt catholicorum nemo
 à Christi sanguine abstineret. Cùm (inquit) Léo, ser. 4.
 ad regēdam infidelitatem suam, nostris au- de quad.
 deant interesse mysteriis, ita in sacramento-
 rum communione se temperant, vt interdum
 tutius lateant. Ore indigno Christi corpus ac-
 cipiunt, sanguinem autem redemptionis no-
 stræ haurire omnino declinant. Quod ideo
 vestram volumus scire sanctitatem, vt vobis
 huiuscemodi homines & his manifestentur
 iudiciis, & quorum deprehensa fuerit sacri-

Hieron. in
 epist. ad
 Eust. de eu-
 chod. virgin.

„lega simulatio, notati & proditi à sanctorum
 „focietate sacerdotali autoritate pellantur.
 Ex quibus verbis illud constat, calicis præ-
 ceptum nulla sacramenti necessitate, sed im-
 pia Manicheorum superstitione vrgente, à
 Leone Romano pótifice primum romæ fuis-
 se constitutum: Quod quidem præceptum
 in ecclesiis aliis, quæ nulla tam nefariæ here-
 sis suspitione laborabant, pristinam illam v-
 trouis modo comunicandi potestatem mi-
 nime tollebat. Quid ergo mirum si quartus
 post leonem Gelasius, quod ab illo sancitum
 fuerat, sua deinceps autoritate confirma-
 rit? Quanquam non deesse scio qui de fo-

De confec. dist. 2. c. cõperimus. lis hic sacerdotibus Gelasium loqui existi-
 ment. Comperimus (inquit) quod quidam
 sumpra tantummodo sacri corporis portio-

„ne, à calice sacrati cruoris abstineant. Qui
 „proculdubio quoniam nescio qua supersti-
 „tione docentur astringi, aut integra sacra-
 „menta percipiant, aut ab integris arceantur.

Hæc verò Manicheorum heresis mox vt ro-
 mæ extincta est, ad pristinam Romani vtro-
 uis modo cõmunicandi libertatē redierunt.
 Neque defuerunt etiam qui multis post secu-
 lis sub vtraque specie Eucharistiam sumeret:
 atque hæc de Gelasij canone ad tuam impe-
 ritiam ostendendam dicta sunt. Quæ & egre-
 gie in deprauanda Vigilij sententia prodit.

Vigil. lib. 1. contra Euty-
 ch. Vigilius (inquis) Christi humanam naturam à no-
 bis abiisse scribit. Dei filius secundum humanitatem

suam recessit à nobis, secundum diuinitatem suam
 semper est nobiscum. Vos Christi vtroque modo præ-
 sentem facitis. Ignoras videlicet de Christi in
 cælum ascensione loqui Vigilium. Scribit
 enim ad hunc modum: ait namque discipulis
 suis, Si diligeretis me gauderetis quia vado ad
 patrem, quia pater maior me est. Et iterum,
 expedit vobis vt ego eam. Si enim non abie-
 ro, paracletus ad vos non veniet, vt nihil illi
 sit aliud recessisse Christum à nobis, quàm in
 cælum ascendisse, & aspectabilem suæ huma-
 nitatis præsentiam mûndo subtraxisse: Ex
 hac tamen ascensione, neque Vigilius ali-
 quando, neque vllus vnquam veterum eccle-
 siæ patrum collegit, Christum in eucharistia,
 secundum carnis suæ veritatem præsentem
 non esse, vt vos Calvinus colligere docuit.
 Quo eis rogaretur abire iusso, multò rectius
 multòque eruditius docentem Chrysostrômum
 audiretis, qui admirari satis non potest Chri-
 sti in Eucharistia potentiam, ac benignitatē,
 qui eodem temporis articulo in cælo est, &
 hominum manibus in terris tractatur. Et
 alio loco, ad illud de Helix pallio elegantissi-
 me alludit. Helias (inquit) Meloten quidem
 discipulo reliquit, filius autem dei ascendens
 suam nobiscarnem dimisit: sed Helias quidem
 exutus, Christus autem & nobis reliquit, &
 ipsam habens ascendit. Neque mirum si ob
 aspectabilem quam ab oculis hominum in cæ-
 lum sustulit formam, recessisse à nobis Chri-

Chryso. lib.
 3. de sacer-
 doto.
 hom. 2. ad
 popul. An-
 tioch. sub
 finem.

Lucæ ult.

stum patres affirmant, cum & ipse post resurrectionem discipulis Christus dixerit, Hæc loquutus sum vobis cum essem vobiscum, nõ quin etiam tum cum illis esset, quos præsens alloquebatur: sed quia mortale tum corpus exuerat, in quo antea cū illis conuersari con-
 sueuerat. Quid quod ipse Vigilinus contra Eutychem scribens, per frumentum vinū & oleum in veteri testamento christina, ac corpus, & sanguinem Christi, in Eucharistia aperte dixit præfigurari, vt non iam amplius panem & vinū, sed quod per illa significabatur nobis Christū dedisse, persuasum habeamus.
 1. Primus ergo populus gentiū (inquit) cuius
 2. Iacob præformabat imaginem, à rore caeli &
 3. à pinguedine terræ, id est Christo, qui est
 4. deus & homo, benedictionis sortitus grani,
 5. frumenti, vini, & olei est abundantia cumu-
 6. latus, id est corporis, & sanguinis Christi, &
 7. Christinarius eius mysterio consecratus. Postremo si tā vehementer Christum in coena verè esse præsentē clamatis, quid tanto nunc studio, è terris eum niteris excludere? Aut quid nobis tandem vitio vertis, quod in Eucharistia Christū secundam vtramque naturam, vere esse præsentem credimus, & docemus? Nisi forte omni iā simulatione abiecta, Christum non nisi secundam diuinam, in coena vestra, præsentem esse affirmas. Quo sane modo vbiq; est. Multum verò fortalè aduersum nos ponderis habet, quod ex bea-

Lib. 3. cõtra Eutychem.

to profers Chrylóstomo, cum ais. *Chrylóstomus homines laicos totumque populum hortatur, vt sibi sacra biblia comparent, scripturas legant, domi vir cum vxore, pater cum filio de sacris literis, inter se colloquantur. At hoc in vestra ecclesia fieri, nec potest, nec licet, & pro certissimo hæretici signo habetur, si quis domi suæ sacros libros habeat. In paucis verbis non pauca mēdacia. Nos enim neque vt tu calumniaris, sacrarum literarum lectione populo interdiciamus, neque hæreticos esse qui eas legunt censemus. Sed non omnibus qui volent pro suo arbitrio in vulgares linguas sacra biblia transferendi potestatem facimus, ne quod plerumque vobis vsu venit, pro dei verbo, vel sua nobis somnia obrudant, vel sacrosanctam diuinarum literarum maiestatem, profana vocū nouitate contaminent. Ob eamque causam sacra biblia in peregrinas linguas, non nisi ab eruditis, ac catholicis viris conuersa, laicis non passim omnibus, sed quibus episcopi, hoc adpiteratē vtile esse senserint, permittenda Tridentina Synodus sapienter decreuit. Cū experimento manifestum sit (inquit) si sacra biblia passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quàm vtilitatis oriri, hac in parte iudicio episcopi, aut inquisitoris stetur, vt cū consilio parochi, vel confessorii, bibliorum à catholicis authoribus verborum lectionem, iis vulgari lingua concedere possint, quos in-*

Chrylóst. hom. 9. in epist. ad coloss. & in Ioan. ho. 2.

In indice librorū prolib. Reg. 4.

Hieron. in
pro om. in
Ezech.

tellexerint ex huiusmodi lectione, non damnum, sed fidei, atque pietatis augmentum, capere posse. Quo decreto quid prudentius, quid sanctius dici potest? Neque enim in veteri Synagoga, vel cantica canticorum, vel prima geneleos capita, vel principium ac finis Ezechielis, cuiquam legendi facultas, nisi qui trigessimum expleisset annum cōcedebatur, vt ex Hieronymo discimus. Quod si apostoli ipsi vt in peculiare cuiusque prouinciæ idioma sacræ literæ verterentur, operæ precium iudicassent, an tu eos vel id neglecturos, vel aliis minimè commissuros fuisse existimas? Cur non potius Marcus Ægyptiorū, Matthæus Indorum, aut Parthorum, Thomas Germanorum lingua euangelium scripsit? cur ad Romanos Paulus, Græco, ac non potius Romano idiomate, conscriptam epistolam misit? Et tot tantisque patres, qui ab apostolorum ætate in ecclesia floruerunt, id nunquam dissimulassent. Nolite ergo hoc quidquid est criminis nobis obiicere, nisi & commune nobiscum esse velit, tot patribus & apostolis etiam ipsis, quibus non maiori quàm nobis curæ fuit, vt sacræ literę in peregrinas linguas pro cuiusque arbitrio verterentur. Nam quod populi vos causam agere simulatis, nihil mihi melius, quàm antiquum illum referre serpentem videmini. Vt enim inuidisse deum primis parentibus boni malique scientiam serpens mentiebatur, cum

diceret. Nequaquam morte moriemini. Scit enim deus quod in quocūque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii, scientes bonum, & malum. Sic vos sacerdotum inuidia factum esse vulgò iactatis, vt diuinos libros plebs indocta non legat, ne apertis veluti oculis maximarum rerum sciētia sacerdotibus par & æqualis euadat. Sed absit vt diuinę legis scientiam ecclesia catholica cuiquam inuideat, cuius pio erga omnes fideles amor illa potius Mosi vt Num. 11. ba conueniunt: Quis tribuat vt omnis populus propheteret, & det eis dominus spiritum suum? Verū cū non ignoret multa esse in diuinis literis intellectu difficilia, quę, vt apostolorū princeps loquitur, indocti & instabiles 2. Petri. 3. deprauant ad suam ipsorum perditionem, materna planè sollicitudine cauet, ne sublimia scripturarum mysteria, rudibus indoctisque hominibus legēda passim proponātur. Quod si olim fieri doctissimi sanctissimique patres grauiter acerbęque tulerunt, quid eos nunc si superstites essent, dicturos putamus, cū vt quisque est imperitissimus, ita plurimum sibi Hier. epist. ad Paul. vi. de & Au. de vtil cred. ca. 7. & Nazi. de moder. in disput. in scripturis, siue intelligendis, siue in varias linguas transferendis, licere arbitratur. Agricolę (inquit Hieronymus) camentarij, fabri metallorum, lignorumque cęsores, lanarij quoque, & fullones, & cęteri qui variam supellecilem, & vilia opuscula fabricāt, absque doctore esse non possunt quod cupiunt.

Quod medicorum est promittunt medici,
 tractant fabrilia fabri. Sola scripturarum ars
 est, quam sibi passim omnes vendicant. Scri-
 bimus indocti doctique poemata passim.
 Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc
 sophista verbosus, hanc vniuersi praesumunt,
 lacerant, docent antequam discant. Alij ad-
 ducto supercilio grandia verba trutinantes,
 inter mulierculas, de sacris literis philoso-
 phantur: alij discunt, proh pudor! a feminis,
 quod viros doceant: & ne parum hoc sit, qua-
 dam facilitate verborum, imo audacia, edif-
 ferunt aliis quod ipsi non intelligunt. Taceo
 de mei similibus, qui si forte ad scripturas
 sanctas, post seculares literas venerint, & ser-
 mone composito aures populi mulserint,
 quidquid dixerint, hoc legem Dei putant, nec
 scire dignantur quid prophetæ, quid aposto-
 li senserint, sed ad sensum suum incongrua
 aptant testimonia, quasi grande sit & non vi-
 tiosissimum docendi genus, deprauare senten-
 tias, & ad voluntatem suam scripturam tra-
 here repugnantem. Quæ audacia, ne in mul-
 torum perniciem longius serperet, optabat
 sua ætate Nizianzenus, legis quoque edito
 cantum esse, ut quemadmodum apud he-
 braeos à quibusdam scripturae sacrae libris ur-
 uenes arcebantur, vipere tenerioribus adhuc,
 & infirmioribus animis obfuturis, eodem
 quoque modo non quibuslibet, ac semper,
 sed certo tempore, ac certis hominibus de

fide disputandi potestas fieret, iis nimirum Naz. de mo-
 qui nec animo sunt omnino tardo & igna- do in disp.
 uo, nec rursus nimium inexplebiles & am- seruando.
 bitiosi, atque impietatis studio feruentiores
 quam par sit. Atque hi quidem illic colloca-
 rentur, vbi nec sibi ipsis noxii, nec aliis per-
 niciosi essent: iis autem qui in disputationi-
 bus modesti, ac verè compositi, ac modera-
 ri essent, libera disputandi facultas daretur:
 Promiscua verò multitudo ab hac via mor-
 bo loquacitatis, hac tempestate vigenti ab-
 ducta, atque auersa ad aliud virtutis genus,
 minus periculosum, traduceretur: vbi & se-
 gnities, & socordia, minus perniciosa futura
 esset, & acrius atque immoderatus studium
 pietatis laudem haberet. Huic tu voto si cõ-
 traria optasse Chrysostomum putas, cum ad
 scripturarum lectionem suos auditores hor-
 tatur, falleris whitakere, neque tēporis, lo-
 ci, ac personarum discrimina satis obseruas.
 Nam cum plerosque Chrysostomus cerne-
 ret, ita theatris ludisque secularibus, ac spe-
 ctaculis impiis deditos, ut præ his, res diuinas,
 quarum erant ignari, contemnerent, maio-
 remque ex turpibus cantilenis, quam diuinis
 psalmis voluptatem caperent, merito sanè tã-
 tam illorũ ignauiam reprehendit, monetque
 ne ita à scripturarum lectione abhorreant: præ-
 fertim cum, ut multa sint in scripturis ardua
 ac perobscura, quæ illi intelligere nequeant,
 alia tamē nõ desunt, ex quibus virtutũ omniũ

exempla præclarissimi, ac bene beatæque viuendi saluberrima haurite præcepta possent. ac de quibus multo vtilius, quàm de fabulis domi forisque colloquerentur. Hæc ille quidem sæpe grauiter sapienterque auditoribus suis suauit, vt torpentes excitaret, & à turpium spectaculorum studio, ad rerum vtilium lectionem traduceret, non vt curiosis contentiosisque hominibus fræna laxaret. Quod ex quo vos facere cœpistis, quis nõ videt quàm multa ex hoc fonte mala profluxerint? Nunquam enim rudior, nunquam indoctior, nunquam tor, tamque perniciosus infectus heresibus Christianus populus fuit, quàm ex quo vobis ducibus cuique in sacris literis licuit, quidquid libuit. Hæc de Chrylostomo. *De Augustino verò quid dicam* (inquis) *qui quātus quātus est, in maximis præcipuisque causis noster est. De gratia, prædestinatione, libero arbitrio, iustificatione, scriptura, lege, euangelio, peccato, bonis operibus, sacramētis, ecclesia.* Mira certè fiducia. Alij vt video patres, vestri partim, partim nostri fuerūt, Augustinus quātus quātus est, vester est. Quod adeo verū est, vt eadem profecto fide, vestrū esse Petrū illum Lombardū, Diuum Thomā, aut quēnis ex eo genere alium dicere possis. Iam enim teritur omnium manibus Augustiniana confessio, quam qui legit, ignorare certè non potest, quàm tu hic liberaliter mentiaris. Ad me quod attinet, nullius equidè in hac re iudicium deprecor,

qui librum illum legit aliquando, hortorque Academicos, vt diligenti eius lectione, quatuor fide dignus sis periculum faciant. Nolo enim hoc loco de lingulis quæ tu recenseres religionis capitibus, beati Augustini sententiã variis illius testimoniis comprobata proferre, ne in re tam perspicua lectoris patientia abuti, & actum, vt est in proverbio, agere videat. Iam quæ tua sit de Gregorio Magno sententiã audiamus. *Gregorius Magnus* (inquis) *etsi erat ecclesie Romanæ pontifex, tamen contra vos nobiscum stabit. Quid enim? peruenne tuum pontificem perstringit, quando quisquis se vniuersalem episcopum vocat, eum antichristi præcursores proculdubio appellat?* Hic, qui paulo ante gregorium in schola Spiritus sancti minime doctum fuisse dixisti, cum nunc pro te stare affirmas. Quod ille tamen non nisi inuitus faciet. Ad vniuersalis enim episcopi appellationem quod attinet, cum subiectam sibi aulam cæsaream Ioannes patriarcha Constantinopolitanus cerneret, vt erat homo apprimè ambitiosus, eam sibi in reliquos episcopos potestatem arrogare conatus est, quã in subiectos sibi reges Cæsarem habere videbat. Ex quo illud efficiebatur, vt quemadmodum reges qui Cæsaris parebāt imperio, regiam potestatem non nisi diminutam, ac veluti mancã habebant, cumque summum in suos ius exercere non possent, & si regis nomen retinebant, gubernatores tamen, ac

domini potius, quàm reges censerentur: si ad hunc modum vniuersalis episcopus aliquis diceretur, alios omnes non propriè episcopos esse consentaneum esset. Ob eamque causam Gregorius Antichristi præcursores appellare non dubitauit, eum qui se ita vniuersalem episcopum diceret. Hoc enim summo studio Antichristum acturum sciebat, vt episcoporum cum nomine dignitatem penitus abrogaret: quod à caluianis vestris vbiunque illi rerum potiuntur, factum esse cernimus. Quare si Gregorio credis, quemadmodum præ te fers, Antichristi præcursores esse illos minimè dubitabis. Atque hanc Gregorij fuisse sententiam, ex Pelagio secundo, cui in pontificatus munere successit clarissimè constat. Nullus (inquit) patriarcharum vniuersitatis vocabulo vnquam vtatur. Quia si vnus patriarcha vniuersalis dicitur, patriarcharum nomen ceteris derogatur. Et cum Eulogius Alexandrinus, hunc Gregorio titulum tribuisset, in hæc ille verba respondit. Ego honorem non esse depero, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est, honor vniuersalis ecclesiæ: meus honor est, fratrum meorum solidus vigor. Tu nec ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim vniuersalem me papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur vniuersum. Sed absit

In epist. ad
oannes
episcopos.

Gregor. lib.
7. epist. 30.

absit hoc. Recedant verba quæ vanitatem inflant, & charitatem vulnerant. Cernis opinor quo sensu vniuersalem se episcopum Gregorius esse negat. Etenim hoc ipsum vniuersalis episcopi nomen, & si aliter acceptum, Leoni pontifici, à Calcedonensis Synodi patribus, tributum legimus. Quanquam quid ego de Romano loquor episcoporum & alios ante Ioannem patriarchas, eodem appellatos nomine sciamus. Nestorinum enim Theodorus, non raro patriarcham vocat *ὁ ἁγίου Θεοδορίου* & Iustinianus imperator eodem patriarchas quosdam honoris titulo insigniuit. Neque profecto nos hic vobiscum de nomine contendimus, num eo Romanus vti pontifex debeat. Non enim ignoramus quid à d. Eulogij Gregor. ad idem Gregorius scripserit. Et quidè in sancta Eulogium. Calcedonensi Synodo, atque post, à subsequentibus patribus, hoc vniuersalis episcopi nomen, decessoribus meis oblatam vestra, sanctitas nouit, sed tamen nullus eorum vti hoc vnquam vocabulo voluit. Verum de re nomini subiecta vobiscum certamus. Num Gregorius videlicet, vniuersalem se episcopum, ideo negarit, quod vniuersalis ecclesiæ curam, ad se minimè pertinere putauerit. Sed cum hoc te posse ostendere planè desperes, vt fucum imperitis facias, in vocis homonymia nequiter ludis. Gregorius vniuersalè dici episcopum debere etiam illum negat, cui vniuersalis ecclesiæ curam à Christo esse commissam non

Theodo.
de heres.

In Nouellis

Gregor. ad
Eulogium.

Lib. 7. epist. 64. dubitat. Cunctis (inquit) euangeliū scientibus liquet, quod vocē dominica, sancto, & omnium Apostolorū principi Petro, totius ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur, Pasce oues meas: & Tu es Petrus, & super hanc Petram, ædificabo ecclesiam meā. Cura ei totius ecclesiæ, & principatus cōmittitur, & tamen vniuersalis episcopus non vocatur. Quia & ipse sibi vniuersalis ecclesiæ curam incumbere fatetur, quamuis ab hoc nomine ob eam quam diximus causam abhorreat. Nescio (inquit) quis episcopus sedi Apostolicæ subiectus non sit, vbi culpa inuenitur. Et rursus. Ad Apostolicā sedem omnes arduas quæstiones referendas esse ait. Quod si cōtra hæc (inquit) quæ statuimus quolibet tempore venire tentaueris, sacra scias te communiōne priuatum, nec eam te excepto vltimo vitæ tuæ tempore, nisi cum cōcessā Romani pontificis decernimus iussione percipere. Et quam ipse in Constantinopolitanum etiā episcopum, auctoritatem haberet, his verbis satis ostendit. Nunquid non ipse nosti, quia in causa, quæ à Ioanne presbytero contra Ioannem Constantinopolitanum fratrem, & coepiscopum orta est, secundum canones ad sedem Apostolicam recurrit, & nostra est sententia definita. Si ergo de illa ciuitate vbi princeps est, ad nostram causa cōgnitionem deducta est, quanto magis negotium, quod contra vos est, hic est veritate cōgnita termi-

Lib. 2. epist. 7.

Lib. 5. epist. 24.

nandum: Dies me deficiet, si quæ ille tanquā vniuersalis ecclesiæ episcopus, cum in Anglia vestra, rū in aliis Christiani orbis prouinciis, siue per se, siue per legatos suos gesserit cōmemorare voluero. ex quibus vel ipse Caluinus, in ceteros eum episcopos omnes iurisdictionem exercuisse satis perspexit. Quanquā illud de suo ineptissimè adiecit, nullam Gregoriū, nisi vbi culpa suberat, auctoritatem agnouisse suam. *Tribuit sibi ius* (inquit) *corrigendi eos qui peccarunt. Si omnes faciunt officium, alius se parem facit: Quasi aliorum culpa, auctoritatem illi, vel dare posset vel detrahere.* Ac ne in te tā perspicua longior sim, eā fuisse quam diximus Gregorij mentē, cum vniuersalem se esse episcopum negaret, tui te Martyris verba docebunt. *Gregorius hic sanctulus* (inquit) *voluit rem ipsam vniuersalis episcopi habere, quāuis nomen, & titulū perstringeret. Nam vt historia illorū temporū dacet, & eius epistolæ testatur, ab aliis ecclesiis gubernādis non abstinēbat: Iudicabat quidē à nomine temperandū, ne scilicet patriarcha Constantinopolitanus, eo titulo sese Romano episcopo vel præponeret, vel æquaret.* Imperitissime igitur in hunc modū concludis. *Mitte ambages. Dic Campiane, si fuit illud nomē in episcopo Constantinopolitano Antichristi instātis indicium, quidni in Romano potissime, eiusdē Antichristi insēne illustrissimū existimemus? Egrè profectō, nisi experientia doctus, tam hebetem te esse credidissē. Quis enim non videt, quo sensu*

Lib. 4. c. 7. scct. 12.

Petrus Martyr in cap. 8. iudicium.

Serm. 2. de
anniuert.
die assump.
sua.

Romani pōtiffices, hoc vt nomen vniuersalis
epifcopi noluerint, etiāsi vniuersalis se eccle-
fia epifcopos, & Christi in terris vicarios esse
semper professi sint, supremāq; in ecclesia
authoritatē, perpetuo exercuerint, & de se
idē fēserint, quod Leo ille, sanctissimus, atq;
doctissimus pōtifex, his verbis expressit. His
igitur modis, dilectissimi, rationabili obse-
quio celebratur hodierna festiuitas, vt in per-
sona humilitatis meę, ille intelligatur, ille ho-
noretur, (Petrū intelligit) in quo omniū pa-
storū sollicitudo, cū cōmendatarū sibi ouium
custodia perseverat: cuius etiā dignitas, in in-
digno hærede nō deficit: quē non solū huius
sedis præfulē, sed & omniū epifcoporū noue-
runt esse primatē. Atq; hac de iis quæ tu pro-
ferre potuisti patrū testimoniis dicta sint. Vos
ego nūc, academici, spectata virtutis adole-
scentes in hac causa iudices appello, in quorū
gratiā hic à me labor susceptus est, vt quam
iniquis aduersum nos legibus whitakerus
pūgnarit, spectetis. Quæ tamē iniquissima,
efficere tamē minimē potuerunt, quin apud
æquos rerū æstimatores, perpetuā, ni respi-
scat, ignominia reportarit. Videtis enim ad
summa præcipuāq; religionis capita, quæ nūc
demū à Luthero Caluinōq; in quæstionē vo-
cata sunt, clarissima Campianū atque apertis-
sima testimonia in mediū protulisse, non ex
vno patre aliquo, sed ex cōmuni cōsensione,

qui nō vno aliquo, sed variis seculis, in eccle-
sia catholica floruerūt. quibus cū whitakerus
(quod vos animaduertisse nō dubito,) nihil
prorsus, ad rem respōderit, neque respōdere
omnino potuerit, sed patres errasse oēs, diser-
tē pronūciarit: tamē ne tam magnum causæ
suæ præiudicium, in animis vestris relinque-
ret, instaurato quasi prælio, suos esse patres,
apertūq; nobis bellū indicere, corralis illo-
rū pauculis testimoniis singulari impudentia
iactitauit: cū tamē, quod illi in primis facien-
dū erat, neque multorū seculorū cōsensionē,
neque vnius etiā ætatis, ac ne duos quidē de
eadem re patres produxerit: neque illos etiā
in maximis præcipuisque causis (vt ipse glo-
riatur) sed in rebus nō ita magnis plerūque,
quibus omnibus adeo à me perspicuē respō-
sum est, vt quæ maxima videri voluit causæ
suæ firmamēta, in leuissimos planē fumos ab-
ierint. Illud ergo in hac causa maneat, cū no-
stros esse patres euicerimus, qui & scripturas
diligētissimē legerūt, & multo sanē, quā Cal-
uinus aut Beza fœlicius intellexerunt, Calui-
nianos oēs ac Lutheranos cæterosque nostrę
ætatis hæreticos, qui dū se patrū autoritate
superatos vidēt, ad scripturas tā impudēter ap-
pellāt, nihil aliud quā labyrinthis sese, vt Cā-
pianus dixit, inuoluere, quorū nullū reperire
exitū possint. Etenim cū patrū aduersus eos
autoritate nitimur, nihil aliud quā homines

Y iij



fuisse, & errare patres potuisse respōdēt, minimeque recipiēdos, nisi quādo scripturis sacris cōsentaneē loquūtur. Ostēdimus verō, & patres quæ docuerūt ex scripturis hauisse, tū scripturas illi à patribus nō fuisse intellectas, immo deprauatas, atque detortas cauillātur. Quod quid est aliud, quā pro suo arbitrio, sanctissimos ecclesiæ patres, modo probare, modo reicere, ac repudiare? Atqui nō illi suo tantū iudicio whitakere, vt vos soletis, neq; occulto spiritus testimonio, in scripturis licet sacris exercitatissimi, & in illarū sentētiis cōferendis, ac phrasibus expendēdis, summa cū diligētia versati, scripturas explanarūt: sed maiorū etiā auctoritate nixi sunt, vt Campianus ostēdit, & ecclesiæ praxi, & successionē pōtificū, & œcumenicis etiā cōciliis, traditionibus Apostolicis, cruore martyrum, visis euentisque mirabilibus, cæterisque id genus argumentis in hoc certē disputādi genere longē maximis.

De mor. eccl. cap. 7. Hęc enim nobis disserēdi rationē, beatus Augustinus ecclesiæ catholicæ mores describēs, sequēdā docet. In vera (inquit) fide adipiscēda, nō debemus deserere viā, quā deus nobis, & patriarcharū segregatione, & legis vinculo, & prophetarū prælagio, & suscepti hominis sacramēto, & Apostolorū testimonio, & Martyrum sanguine, & gentium occupatione muniuit. Cur ergo tā alto silētio quę pro maximis patrū firmamētis, in causæ suę defensionē Cāpianus adduxit, præteriisti? cur disti-

mulasti? An tu hęc forte cōtemnenda putas, quorū illi vi, atque pōdere hęceres olim oēs oppresserūt? Aut vllā vos afferre satis iustam causam potestis, cur deserta sanctissimorū patrū doctrina, vestra deliria sequamur, præsertim cū nō minori quā vos diligētia (vt modestissimē loquar) scripturas legerint, nec ad eas intelligēdas, minora certē quā vos præsidia habuerint, & ad suā præterea doctrinam cōfirmandā, tot tātaq; firmamēta quæ Campianus recensuit, adduxerint, quibus vestros homines omnino destitui, & tu ipse tacendo whitakere agnoscis, & vestra omnium disserēdiratio satis ostendit. Quis enim aliquando in vlla cum catholicis disputatione, vos dogmata vestra praxi ecclesiæ, pontificū successionē, œcumenicis cōciliis, traditionibus apostolicis, cruore martyrum, scitis præfulum, visis atque euentis mirabilibus cōfirmantes audiuit? Nostra nimirū hęc esse oīa non ignoratis. Et tamen quoties inter vos noui exoriuntur prophete, exoriuntur autē penē quotidie, qui se plus cæteris videre existimāt, & deserta Bezae ac Caluini schola, suam sibi fidē quādam eadem qua illa libertate confingūt, aliis armis destituti ad hęc ipsa confugitis, quæ cū ad illorū somnia refellenda satis habere viriū dicitis, vestram ipsi doctrinam damnatis, quę toto hoc armorum genere haud maiorī quam illorum deliria negotio expugnatur.

Historia.

Riskinam Ecclesiæ faciem historia
prisca regegit. Huc prouoco. Certè
antiquiores historici, quos etiam
vsurpant aduersarij, ferè numerantur, Euse-
bius, Damasus, Hieronymus, Rufinus, Oro-
sius, Socrates, Sozomenus, Theodoretus,
Cassiodorus, Gregorius Turonensis, Vsuar-
dus, Regino, Marianus, Sigebertus, Zona-
ras, Cedrenus, Nicephorus. Quid narrant
Nostrorum laudes, progressus, vicissitudi-
nem, hostes. Imo verò, quod obserues dili-
genter, illi qui dissident à nobis odio capita-
li, Philippus, Pantaleon, Funccius, Magde-
burgici, quum se ad scribendam vel chrono-
logiam Ecclesiæ, vel historiam appulissent,
nisi nostrorum gesta colligerent, ac inimico-
rum Ecclesiæ nostræ fraudes & scelera co-
ceruarent, mille quingentos annos argumen-
to vacui prætermitterent.

Hæreticorum
chronica &
historia.

Historici
certarum
Gentium.

Cum his considera peculiare certarum
historiographos regionum, qui vnus acta
cuiusque populi curiosius operosiusque scri-
rati sunt. Ij quasi Spartam adepti quam locu-
pletare modis omnibus, & perpolire cupè-
rent, qui ne conuiuia quidem lautiora, aut
manicatas tunicas, aut pugionum capulos,
aut inaurata calcaria, talisque minutias, si
nouitatem saperent, racuènt: pfectò, si
quid in religione mutatum, aut à primis de-
generatum seculis inaudissent, frequentes

memorassent, si non frequentes, saltem ali-
qui: si non aliqui, vnus aliquis absque du-
bio. Nullus omninò, neque beneuolus no-
bis, neque maleuolus, non modo quicquam
tale prodidit, sed nec significauit.

Verbi gratia. Dant nobis aduersarij, nec
aliter possunt, fuisse Romanam Ecclesiam
aliquando Sanctam, Catholicam, Apostoli-
cam: tum, cum hæc à diuo Paulo promeruis-
set elogia: *Vestra fides annunciat in vniuerso* Rom. i. v. 8.
mundo: Sine intermissione a memoriam vestri facio: a Ro. i. v. 9.
Scio quoniam veniens b ad vos, in abundantia be- b. Ro. 15. v.
nedictionis Christi veniam: Salutant vos omnes c. 29.
Ecclesiæ Christi: Vestra enim obedientia d in om- c. Ro. 16. v.
nem locum divulgata est. Tum, cum ibi Paulus d. Ro. 16. v.
in libera custodia e, disseminaret euāgelium, e. 19.
Tum cum in ea quondam *Babylone f collecta* f. Act. 28. v.
Ecclesiam Petrus regeret: Tum, cum ille Cle- f. 1. p. 5. v.
mens apprimè laudatus ab Apostolo g sede- g. Hier. in
ret ad ipsa gubernacula: Tum, cum profani ca. scrip. Eccl.
Cæsares vt Nero, Domitianus, Traianus, Et Euf. 2. his
Antoninus, Romanos Pontifices lanarent. c. 14. g. Phil.
Tum etiam, vel Caluino teste, cum Dama- 4. a. 3. 1. re. li.
sus, Siricius, Anastasius, Innocentius, clauum 3. ca. 3.
tenerent Apostolicum. Hoc enim seculo, ni-
hil adhuc, præsertim Romæ, digressos ab
Euangelica doctrina h, liberaliter ille con- h. Caluinus
cedit. Instit. lib. 4.

Quando igitur hanc fidem tantoperè ce- cap. 2. num. 3
lebratam Roma perdidit: quando esse desiit, Et in epi. ad
quod ante fuit? Quo tempore, quo Pontifi- Sadol.

ce, qua via, qua vi, quibus incrementis, vrbem & orbem religio peruasit aliena? quas voces, quas turbas, quæ lamenta progeniuit? Omnes orbe reliquo sopiti sunt, dum roma, Roma inquam, noua sacramenta, nouum sacrificium, nouum religionis dogma procederet? Nullus extitit historicus, neque Latinus, neque Græcus, neque remotus, neque citimus, qui rem tantam vel obscure iaceret in commentarios?

Ergo perspicuum hoc quidem est, si qua nos credimus, historia multa & varia, nuncia vetustatis, vita memoriæ, loquitur ac repetit affluenter: quæ isti obrudunt, nulla narratio post homines natos in Ecclesia valuisse commemorat: & historicos esse meos, & incurfiones aduersarias esse frigidissimas, quæ nihil mouere possint, nisi prius receptum sit, omnes omnium temporum Christianos in spissam perfidiam atque in Gehennæ voraginem corruisse, donec Lutherus Boram constuprasset.

Vide Cocl.
in anno 1523.

174
CONFVTATIO RESPONSIO-
NIS WHITAKERI.



V M plurima sint hac nostra ætate hæreticorum conuenticula, quorū vt quodque est perniciosissimis hæresibus fœdissimè contaminatum, ita verè Christi ecclesiæ nomen, atque honorem, summa sibi impudentia arrogat: magnam certè vim ad sanctissimam Christi spõsam inter tot adulteras cognoscendam habet historia, ecclesiastica præertim, in qua velut in speculo primæuæ, & apostolicæ ecclesiæ expressam intueri effigiem, & sanctos, augustosque maiorum nostrorum ritus cognoscere licet. Quo tibi whitakere maiori cura ac diligentia nitendum erat vt hunc locum quam optimè munires: quod tantum abest vt feceris, vt cum hæctenus malam causam pessimè defendendo, peiorem feceris, nunc eam plane deferere videaris. Etenim cū maximè postularer hic locus, vt si quod vestræ vt vocatis ecclesiæ, monumentum in veteri extaret historia, illo in lucem prolato ad causæ commendationem oportunè vtereris, altissimo sane silentio omni te antiquitatis testimonio destitutum fateris: ne tamen omnino succubuisse videaris, *nominatos tantummodo à Campiano ecclesiastica historia scriptores quereris.* Ille verò non nominauit tantum, sed eos ipsos nominauit, non alterius quam Ro-

manæ ecclesiæ res gestas descripsisse affirmavit: Quod quia luce ipsa clarius erat, probare superuacaneum duxit. Tui certè muneris erat, si quod regium professorè maximè decebat, disputandi leges sequi voluisses, scholæ more respondere: Vel Romanam ecclesiã, cuius illi historiam descripserunt, veram esse ecclesiã, vel certè nullam veræ ecclesiæ historiam extare: nisi forte vt inuisibilem tot sæculis vestram fuisse ecclesiã non puderat asserere, ita nouos nobis, atque inuisibiles historicos proferas, qui illius res præclare gestas inuisibili etiam historia enarrarint. Verum tu hic adeo te vndique constrictum cernis, vt consilij expers, in sola tergiuersandi peritia spem, atque præsidium omne tuum ponas. Itaque veteres annales (inquis) in quibus ecclesiæ initium, & progressus perscribuntur, iam dudum euoluimus, nec illi magis tui sunt quam nostri. Quidni igitur te virtum præstas, & vel omnes illos, vel illorum plurimos, vel certè aliquos, imo vero vel vnum ostendis, qui huiusmodi ecclesiæ, qualis vestra est, initia, progressus, incrementa, res denique variis ætatibus præclare gestas literis mandauit? ecclesiæ inquam in qua nulla altaria, nulli sacerdotes, nullum sacrificium, nullus sanctorum cultus, nullus reliquiarum honor, nulli dies festi, nulla statuta ieiunia, nulla neque virorum neque virginum monasteria, nulla in ægrotorũ, aliorumue fidelium vsum reseruata Eucha-

ristia, nullum chrisma, nullæ pro defunctis preces, nullæ oblationes, nullæ denique ceremoniæ fuerunt. Sed neque talem esse vestrã ecclesiã, ac longè etiam deformiorem, negare, neque ab vilo vnquam veteri historico tam prodigiosum monstrum fuisse scriptum ostendere potes. Et tamen tuos esse historicos audes dicere, & huiusmodi etiam argumento suadere. Neque nos (inquis) antiquam omnem ecclesiæ historiam tam accuratè & diligenter collectam, suisque temporibus ac sæculis distinctam, & ratione singulari præscriptam, fuisse vnquam edituri, si tam illa à nobis aliena extitisset, quã tu fingis. Quis vero nescit tuorum te Magdeburgensium præconem hic agere, quorum longe profecto in deprauanda omnium temporum historia maior perfidia, quam in edenda labor ac diligentia fuit. Sed neque illi tamen vllã quam describerent aliam inuenire ecclesiã potuerunt, præter Romanam, in qua nos sumus, & a qua vos apostatam ducem sequuti turpiter desciuistis. Quid enim? Num tu in ipsorum centuriis, quibus veteris ecclesiæ formam arbitratu licet suo delinearunt, vel Gebennensis, vel Tigurina, vel Vittembergensis, vel Augustanę ecclesię effigiem expressam putas? A vestra certè adeo abhorrent ob grauissimas quas de Eucharistia, aliisque religionis mysteriis, controuersias vobiscum habent, vt si ipsorum stare iudicio velis, nihil se minus quam Gebennen-

sis synagogæ vel leuissimam vmbra in veterum monumentis inuenisse non dubitent affirmare : ideóque vt Petrus martyr tuus conqueritur, ne fratrum quidem vos nomine dignantur, quod certè facerent, si eiusdem cuius se ecclesiæ membra vos esse putarent. Alios ergo historicos quæras oportet, si Gebennensis vestræ synagoge antiquitatem commendare velis. Magdeburgici enim suam tibi operam vehementer negant. Ad quos te igitur conferes tam turpem ab his repulsam passus? Ad veteres opinor, quos vt profectus Campianus postulabat. Sed quantos Deus bone, clamores Magdeburgici tollent, cum aliam te in veterum monumentis ecclesiæ formam querere intelligent, quam illi inuenire minimè potuerunt? Quam grauius & iniquo animo ferent se tantæ à vobis cecitatis argui? Illorum tamen clamores per melicet securè contempnas, modo illud mihi ex animo, bonaque fide respondeas, num ad antiquos historicos prouocatem Campianum sequi velis. *Ea tamen lege (inquis) vt quæ prisca ecclesiæ vitia fuisse constat, iis minimè constringamur?* Cum ergo priscam illam ecclesiam maximorum vitiorum ream agatis, vestram non esse fatemini. At non aliam veteres historici vestro etiam iudicio descriperunt: quam ergo illi descriperunt, vos minimè sequimini. Hoc vero quid est aliud quàm historicos ipsos cū illa quam descriperunt ecclesia, flocci face-

re, & aliam vobis inuisibilem ecclesiam, alios historicos inuisibiles fingere? Nos qui catholici sumus, à veteris ecclesiæ doctrina ne latum quidem vnguem discedimus, nullos illius errores, nulla vitia in fidei morumue doctrina, neque fuisse olim, neque esse omnino posse asserimus. Quod illam credidisse omnium ætatum historia testatur, credimus, quod reiecit, reiecit. Quantæ igitur dementiæ est in veteribus historicis synagoge vestræ vestigia adumbrata querere? Ne tamen eos nimium superbè reicere videaris, rationem addis huiusmodi. *Nam historici (inquis) qui id sibi proponunt, vt res gestas persequantur, nō tam docent quid oporteat esse factum, quàm quid factum sit inuentur.* Neque nos profecto iudices illos ecclesiasticæ doctrinæ, sed testes facimus. Verum quod illis testibus vniuersam credidisse ecclesiam scimus, credimus: & nū rectè illa an secus crediderit, dubitare, insolentissimæ esse infantiæ non dubitamus. Nam quod addis. *Multa narrant historici, quæ & merito possunt reprehendi, nec sunt à nobis imitanda.* Si de singulorum hominum vita ac moribus loqueris, nihil hoc ad institutam disputationem pertinet. Quis enim nescit & in ipsis scripturis multa improborum hominum scelerata narrari, quæ absit vt quisquam propterea imitanda censeat, quin potius diligenter cauenda? Si verò quam illi nobis describere ecclesiam, in fidei morumue doctrina, meritò

reprehendendam, nec à nobis imitandam ais, hostem te illius, non filium profiteris. Sed nō est hic locus à vestris calumniis ecclesiā vindicandi, de historia enim Campianus differit, cuius scriptores omnes non alterius quam Romanæ ecclesiæ res gestas, expressamque effigiem literis commendasse ait: vestram vero omni veterum historicorum testimonio prorsus carere. Quod quia clarius est quam ut à te negari sine summa impudentia possit, tergiverſaris denuo, & in consueta te latebras abdere conaris, dum ab historia de qua modo differitur, ad scripturas regrederis, de quibus quam bellè Campiano responderis, dum & scripturas ipsas, & scripturarum sententiam ad entusiasmos vestros, & occultū Spiritus nescio cuius testimonium reuocasti, æquum ego lectorem iudicem facio. Nam si tuos esse historicos verè gloriaris, cur certamen refugis? cur non profers historiam aliquam ab antiquo scriptore, de vestræ ecclesiæ rebus gestis conscriptam? Sed hic scholæ vestræ mos est, hæc consuetudo perpetua, ut ne causa cecidisse videamini, disputationem misceatis, & modo ab historicis, à conciliis, à patribus, ab ecclesia denique ipsa ad scripturam, modo à scripturis ad occultum spiritus testimoniū prouocetis, & ab vno damnati ad aliud semper tribunal appelleris. Verum ne alienam à scripturis hanc de historia disputationem putes: Cùm multa in prophetarum

phetarum oraculis de vera Christi ecclesia diuinitus prædicta legamus, quæ iam esse impleta, ne vos ipsi quidem negare potestis. Quid est quæſo diuinis literis magis consentaneum quam ut ea vestræ ecclesiæ conuenire proberis? Quod ut exemplis fiat illustrius, non ignoras arbitror quæ de ecclesiæ per vniuersum orbem propagatione prophetæ variocinati sunt. In omnem terram (inquit propheta) exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, quod de euangelij prædicatione, & ecclesia per vniuersum orbem diffundenda Paulus ipse exposuit. Et rursum. Postula à me, & dabo tibi gētes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ, denique dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Coram eo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent. Reges Tharsis & Insulæ munera offerent. Reges Arabum & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei. Neque minus perspicua sunt quæ perpetuam fore Christi ecclesiam, & nullo vnquam tempore interituram ostendunt. In diebus autem regnorum illorum (inquit Daniel) suscitabit Deus cæli regnum quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur. Comminuet autem & consummet vniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum. Quid illa? de ecclesiæ amplitudi-

Psal. 18.

Roma. 10.
Psal. 2.

Psal. 71.


Daniel. 2.

Iaf. 60. ne, & confluentium vndique populorum frequentia, quam præclara, quam illustria! Aperientur portæ iugiter die ac nocte, non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur: gens enim & regnum quod non seruerit tibi, peribit, & rursum. Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum, & afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt, & erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ. Denique apud Malac. 1. Malachiam: Ab ortu enim solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est in gentibus nomen meum, dicit dominus exercituum. Innumera sunt huiusmodi à B. Augustino atque Optato Mileuitano, aliisque præcis patribus contra Donatistas olim diligenter collecta. Proferte igitur annales vestros, & præcorum temporum si quæ habeatis monumenta adducite, ex quibus vestram ecclesiam in orbe semper floruisse, numerosissimas gentes, reges maximos atque monarchas, ipsumque adeo Romanum imperium sibi subiecisse, & diu nocturneque populis vndique confluentibus paruissse, neque vnquam defecisse proberis. Quod ni factis, frustra profecto veram esse apud vos ecclesiam gloriamini. Merito igitur ad veteris ecclesie historiam Campianus prouocat, sine

qua hæc ostendi non possunt. Vos vero quam tandem historiam proferetis? qui ecclesiam Romanam vt multis erroribus contaminatam reiicitis: quam historici omnes solam agnouerunt, cuius res gestas literis commendarunt, in qua exornanda omnes ingenij nervos sedulo contenderunt. Ad inuisibilem forte ecclesiam nos remittes. Quid absurdius? quid amentie plenius? Quorum enim tam præclara, tamque illustria prophetæ de Christi ecclesia vaticinati sunt, si inuisibilem illam, atque ab oculis hominum procul remotam putassent? in qua num hæc aliquando accidissent nemini posset constare. Quis enim impletam esse Danielis prophetiam intelligeret, qua ecclesiam totum terrarum orbem occupaturam, nulloque vnquam tempore interituram prædixit, nisi eam Christus omnium oculis conspicuam crexisset? Et certe maiorem fore Catholicæ ecclesie quam terreni cuiusquam regni gloriam atque splendorem idem propheta vaticinatus est. In diebus, inquit, regnorum illorum suscitabit deus cæli regnum quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non traderetur, comminuet autem, & consumet vniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum. Quis verò quod de Græcorum atque Romanorum imperio prædixit, vnquam fateretur impletum, si hæc imperia, vestre ecclesie instar, à nemine fuissent inspecta, nul-

Dan. 2.

Z ij



lisque historiarum monumentis illustrata: Quid vero si Iudæus aliquis hæc nondum impleta esse contendat, quo illum argumento refelletis? Nam si vestram ecclesiam semper alicubi fuisse dixeritis, an non illud à vobis meritò postulabit, vt vbi demum fuerit perspicuè ostendatis? vbi cum vos obmutescere viderit, an non meritò cachinnis excipiet? Et quàm ridiculè obsecro his prophetarum oraculis donatistas olim Augustinus, reliquique catholici oppugnassent, si de inuisibili ecclesia intelligi illa posse in mentè illis aliquando venisset. Nihil enim stultius, quàm prophetas ea olim ventura prædixisse, quæ sub humanos sensus nullo vnquam tempore essent casura, quæque num euenissent aliquando, nullo constare argumento possent. Sic enim & inanis esset omnis propheta, & cuius se prophetam dicere liceret. Quin & tu ipse whitakere, si propheta haberi velles, posses profecto præter ea regna, de quibus Daniel diuino spiritu afflatus tam multa loquutus est, totidem alia futura prædicere: neque esset cur metueres, ne te quisquam mendacii argueret. Semper enim in promptu erit illa responsio, euenisse quod prædixeras, sed regna illa, haud aliter quàm vestram ecclesiam hominum oculos fugisse. Facetsat ergo tam impium commentum, quod hæresibus omnibus, ipsique etiam Antichristo aditum præbet, viamque facillimam parat. Quæ enim

tam impia, quæ tam sacrilega inueniri hæresis poterit, quæ non suo conuenticulo, eadè qua vos probabilitate, omnia prophetarum oracula apprimè conuenire affirmabit, si hoc affirmare sufficiat, nec vllis historiarum monumentis probare necesse sit? Cumque Augustino teste clariora sint de ecclesia Christi, quàm de ipso Christo prophetarum oracula, qua tandem ratione quæ de Christi aduentu dicta sunt, impleta esse constabit, si quæ ad ecclesiam pertinent omnia incerta sunt, vt sunt sane incertissima, si de illa intelligi ecclesia possint, quæ nullis historiarum monumentis, nulla antiquitatis memoria munita est. Denique cum aduersus ecclesiam, ne ipsas quidem portas inferi præualituras suo Christus ore promiserit, quo quæso testimonio non expugnatam, vel ab hæreticis, vel certe tyrannis fuisse probabit, si ætas dari vlla possit in qua nulla illius monumenta, nulla vestigia ostendi possint. Ad nos quod attinet, qui catholici nominamur, & sumus, nullo profecto negotio, fidelissimis omnium temporum historiis demonstramus, in illa ecclesia cuius nos filios profiteremur, hæc quæ dicimus prophetarum vaticinia abundè esse completa. Docemus enim Christi ecclesiam Hierosolymis primum ortam, & iubente Christo prædicari ceptam, ab innumeris breuigentibus atque prouinciis summo cum honore fuisse exceptam, atque in clarissima lu-

in Psal. 30.

Math. 16.

ce, & hominum oculis versatam, ac non modo nullis neque hæreticorum, neque infidelium tyrannorum viribus fuisse extinctam, verum etiam in mediis crudelissimarum persecutionum furoribus auctam plurimū ac confirmatam, atque ad nostra vsque tempora diuina virtute ita fuisse conspicuam, vt omnibus accedere cupientibus, illius portæ noctes atque dies patuerint. Hanc enim nos ecclesiam amplectimur, aliam non agnoscimus, quam cui hæc conuenire possunt. Vos vero contra tam impiè eam aspernamini, vt nulla non ætate perniciosis erroribus scatuifse contendatis, aliamque vobis miserabili profecto errore fingitis, in qua tot, tantaque prophetarū oracula fuisse implera, ostendere haud quaquam potestis. Quamobrem quod olim B. August. ad Honoratum partis donati episcopū scripsit, idē tibi ego hoc loco dicere iure videor posse. Dignare (inquit) rescribere nobis, vt sciamus quomodo fieri possit, vt
 „ ecclesiam suam Christus de toto orbe perdi-
 „ derit, & in vobis solis habere cœperit. Ve-
 „ strum est enim hæc ostendere: Nam nobis
 „ sufficit ad causam nostram quod compleri
 „ prophetiam & scripturas sanctas per orbem
 „ terrarum videmus. Quare creditis zizania
 „ creuisse & mandū repleuisse, decreuisse autē
 „ triticum, & in sola Africa mansisse, cū Chri-
 „ stus dixerit, Sinite vtraque crescere vsque ad
 „ messem. Si enim humano iure præsumis te

epist. 161.

firmiter possidere quod emisti argento tuo, quanto firmiter possidet Christus quod emit sanguine suo: Et vt cum Hieronymo loquar
 „ quomodo non prophani estis, qui plures sy-
 „ nagogas asseritis esse quàm ecclesias: quomo-
 „ do destructæ sunt diaboli ciuitates, & in fine,
 „ hoc est in sæculorum consummatione idola
 „ corruerunt, si ecclesiam non habet Christus,
 „ aut si in Sardinia (Gebennē) tantum habet?
 „ Nimum pauper factus est: & si Britannias,
 „ Gallias, Orientem, Indorū populos, barbaras
 „ nationes, & totum simul mundum possidet?
 „ Saranas: quomodo ad angulum vniuersę ter-
 „ ræ crucis trophæa collata sunt? Ad Campia-
 „ num iam redeo, cui tu quærenti quando hanc
 „ fidem tantopere celebratam Roma perdidit,
 „ quando esse desiit, quod ante fuit, quo tēpo-
 „ re, quo pontifice, qua via, qua vi, quibus in-
 „ crementis, urbem & orbem religio peruasit
 „ aliena: ita respondes. *In eo autem admodum exul-
 „ tas, quando quæris quo tempore urbem & orbem re-
 „ ligio peruasit aliena. Neque dubitas quin si quid mu-
 „ tatum, aut degeneratum fuisset, id frequētes historici
 „ cōmemorassent, saltem aliqui, saltem vnus. Quid-
 „ ni vero Capianus hic exulteret, & fidei zelo ac-
 „ cūsus impudētiæ vestrę, atque sycophātiæ ve-
 „ hementer insultet. Quid enim ineptius? quid
 „ absurdius quàm insanis clamoribus imperito-
 „ rum aures opplere, & Romanā ecclesiā innu-
 „ meris pene hæresibus refertā vociferari, qua-
 „ rum ne vna quidem quo pontifice, qua via,*

Epist. 173.
Contra Lu-
ciferianos.

qua vi, quibus incrementis urbem & orbem inuaserit, queas demonstrare. Quid uero equius quam si Romanam ecclesiam ab auita fide defecisse dicas, defectionis tempora gradusque notes? quod te prestare non posse satis ipse fateris. *De tempore non est facile respondere* (ais) imo uero profus & *δύρατον*: Addis deinde, *neque id necessarium est ut ipsa temporum momenta prodantur*. Necessarium esse negas quo nihil magis necessarium esse potest. Etenim cum vos nouos ecclesie censores, & si superis placet, etiam reformatores profiteamini, an non ad illius erroris quem tollendum dicitis, originem est ueniendum, ut ecclesiam in eam sinceritatem restituatis in qua tum fuit, cum ille error obrepit? Nam, ut praclare Hieronymus scriptum reliquit, haereses ad originem reuocare, est refellere. Ede ergo, si potes, ueteris erroris quo Romanam ecclesiam laborare ais, originem, ut eam abunde refutasse videaris. Alioqui sycophantam re ac calumniatorem fatearis necesse est. Nullam enim maiores nostri haesim suis scriptis refutarunt, cuius non originem primosque autores diligenter indicarunt, quod factu sane haud fuit difficile. Saepem enim pij illi patres, quos Christus ecclesiae suae pastores ac doctores dedit, ex orientibus haesibus sese mox pro domo Dei tanquam firmissimos muros obiecerunt, neque ullam uos haesim olim

Ad Ctesiphō

damnatam ostendere unquam poteritis, quin illius nos originem, primosque cum autores, tum oppugnatores obsignatis, ut aiunt, tabellis facile prodamus: quin & ipsas uestras haereses ad unam omnes suis quasque autoribus assignamus. Iure igitur optimo postulat Campianus, ut quae falsa esse ecclesiae Romanae dogmata asseritis, quinam illa primi inuexerint, qua etate, qua denique via, quibus artibus ostendatis. Alioquin nihil profecto aliud quam ueterum omnium haereticorum uestigia sequimini, quibus nihil fuit in ore frequentius, quam quod uos nunc dicitis, Apostata esse ecclesiam, atque a ueteris doctrinae integritate desciuisse, qui cum defectionis neque initia, neque progressus ullos possent demonstrare, nouorum ipsi dogmatum autores iudicati sunt, & catholicae ecclesiae desertores. Quod ne a me confictum putes, Tertullianum audi: Videamus inquit, ne apostoli quidem simpliciter & plene omnem regulam ordinem omnibus ediderint, ecclesiae autem suo uitio aliter acceperint quam apostoli praeferebant. Omnia enim ista scrupulositate incitamenta inuenias pretendi ab haereticis. An non uos idem hodie de ecclesia dicitis, qui multa illam diuinis literis contraria & docuisse olim, & etiamnum docere contenditis? Tertulliani igitur responsionem accipite. Hoc si ita est, inquit, neglexerit officium Dei villicus Christi, uicarius Spiritus

depraescrip.

”
”
”
”
”
”
”

20 tus sanctus, sinens ecclesias aliter interim in-
 21 telligere, aliter credere quod ipse per aposto-
 22 los prædicabat. Quod vt absurdissimum, &
 23 blasphemix in Spiritum sanctum plenissimū
 24 mox reiecit. Quomodo (inquit) verisimile
 25 est vt tot ac tantæ ecclesiæ in vnam fidem er-
 26 rauerint. Nullus inter multos euentus est
 27 vnus exitus: variasse debuerat error doctrinæ
 28 ecclesiarum. Cæterum quod apud multos
 29 vnum inuenitur, non est erratum, sed traditū.
 30 Quoquomodo si sit erratū, tādū vtique re-
 31 gnauit error, quamdiu hæresis non erat. Et
 32 paulo post: millia milliū perperam baptizata,
 33 tot opera fidei perperam ministrata, tot vir-
 34 tutes, tot charismata perperam operata, tot
 35 sacerdotia, tot ministeria perperā functa, tot
 36 denique martyria perperam coronata. Quid
 37 quod tuus ille præceptor Iuellus omnes qui-
 38 cumque intra salutis annum sexcentessimū
 39 claruerunt patres, idoneos catholicæ fidei tes-
 40 tes admisit, tūque ipse pro tua crēdo in præ-
 41 ceptorem fide atque obseruantia, non nimium
 42 ab illo prolixè promissum ais, factumque ve-
 43 hementer probas. At qui tum pontifices fue-
 44 rint, qui patres, qui denique imperatores, sa-
 45 tis inter historicos constat. Quin igitur quo
 46 deinceps pontifice, quo imperatore dogma
 47 aliquod nouum inuehi cœptū sit clarè osten-
 48 dis, vt aliquid tandem Campiano respondere
 49 videaris: Nam cum tanta fuerit historicorum
 50 diligentia, vt minimarum etiam rerum in ec-

1 desia mutationem summo studio observa-
 2 rint, & vt Campianus ait, eorum aliqui ne
 3 conuiuia quidem lautiora, aut manicatas tu-
 4 nicas, aut pugionū capulos, aut inaurata cal-
 5 ccaria, talēque minutias, si nouitatē saperēt, ta-
 6 cuerint, quo tandē modo perniciosam fidei
 7 ac religionis mutationem tacere potuissent?
 8 Verum tu cum nihil possis ostendere, valde
 9 profecto inuitus in hanc arenam te pertrahi
 10 linis. Ac primum quidem rationem reddere
 11 videris, cur neque facilè sit, neque (vt ais) ne-
 12 cessarium de tempore huius mutationis res-
 13 pondere. *Non simul omnia (inquis) sunt in eccle-*
 14 *sia Romana euersa: paulatim ad hanc sceleris & ne-*
 15 *quitiæ senectutem peruenitum est.* Si nullam pro-
 16 ferre historiam potes ex qua vllam esse factā
 17 mutationem ostendas, quo modo quæso eam
 18 esse paulatim factam didicisti. Sed num Ar-
 19 riana hæresis, num Nestoriana, aliaue huius-
 20 modi simul vt cœpit in immensum creuisse
 21 putanda est? An non hoc. D. Paulus hæreticis
 22 esse commune testatur, vt eorum sermo velut
 23 cæcer serpat, & paulatim vires acquirat. Ne-
 24 que tamen propterea ita latere potuerunt,
 25 quin earum non initia modo, verum etiam
 26 progressus atque incrementa, catholici scri-
 27 ptores satis indicarint. Sed tu tātā in eccle-
 28 sia Romana mutationem religionis præfer-
 29 tim, qua nihil obseruatur curiosius, adeo sen-
 30 sim ac pederentim factam iudicas, vt à nemi-
 31 ne mortaliū obseruari potuerit. Nimiū pro-

2. ad Tim. 2.

fecto subriles hæreticos facis, Catholicos contra hebetes planèque stupidos, qui fidem sibi catholicam, quasi dormientibus paulatim è manibus eripi fuerint. Quod quoniam absurdissimum esse intelligis, similitudines aliquot, valde scilicet ad hanc rem appositas affers. *Pili* (inquis) *non subito omnes canescunt.* Quam egregiè! Num tu aliquando canum hominem vidisti, cui canities paulatim obrepserit, & tamè quem nemo prius canescere animaduerneret, quem totum repente canis aspersum conspexisset. Certè quod paulatim fit, facilius antequam ad summum perueniat animaduerti potest: quod vel tuo illo exemplo demonstrare facile est. *Domus*, inquis, *initio extracta firmissimè, si neglecta fuerit, rimas aliquo loco incipit agere, quæ paulatim tempore augentur & rectis ipsis, ac columnis sunt perniciosæ, atque isto modo tandem ædificij ruina & interitus consequitur.* At verò quæ vnquam domus firmissimè extracta, rimas agere incipit, quæ paulatim tempore augentur, neque prius ab iis qui illam incolunt, cernuntur, quàm ædificium repente totum corruat? Quid quod *pili* ne decem quidem canescentes, aut etiam omnino cani, canum mox hominem reddunt, vna tamen hæresis cuicumque tandem fidei dogmati contraria ecclesiam ita corrumpit, vt ex Christi sponsa adulteram faciat: neque enim cum vlla hæresi fides catholica consistere potest. Quare nihil opus est eccle-

siæ canitiè expectare, vt illam hæreseos damnes, vna enim quælibet hæresis ad hanc notam inurendà abundè sufficit. Sed vide quàm me tui misereat. Non enim iam peto vt tantæ defectionis, & tam detestandæ, initia primamque originem prodas, progressum saltem atque incrementa describe, & quibus veluti gradibus in tantum impietatis cumulum ecclesia Romana excreuerit. Quod eo tibi facilius expeditiùsque fuerit, quo magis ad hanc sceleris & nequitie senectutem paulatim esse peruentum fateris. Verum neque hic quod respondeas habes. Itaque te alio confers: vtque argumenti vim eludas, illud in Campanum retorquere niteris. *In ecclesia Hierosolymitana magnam esse sectam rerum & religionis mutationem ais.* Quid? an illa subito extitit? Dicite ergo quo tempore, quo pontifice, qua via, quibus incrementis nouitas ecclesiam peruaferit. Quid? an tu qui veteres annales tam diligenter euoluisse videri vis, hæc tam trita atque vulgata ignoras? neque te tanta ἀγνοῦσία quicquam pudeat. Quasi veto ex Philastrio atque Epiphanio Iudæorum hæreses cognoscere difficile sit. Sed hi fortasse authores tibi nauseam pariunt, *Li. 13. antiq. quod multas olim hæreses ab ecclesia dam-* cap. 9. 18. li. *natas referant, quæ vos iam pro puro puto* 18. cap. 2. li. *Dei verbo imperitæ plebi occinitis. Iosephū* 7. de bello *ergo si lubet euolue, ex quo facile disces, &* Iudaico ca. *quæ fuerint Iudæorum sectæ, & quo tempo-* 7. & lib. 11. *antiq. ca. 8.*

re cœperint. Quanquam cùm tres ille sectas enumeret longè celeberrimas, Pharisaorum, Essenorum, & Sadducæorum, soli tamē Sadducæi heretici palam sunt habiti, qui neque prophetas, neque hagiographos libros recipiebant, neque Spiritum sanctum, neque angelos esse credebant, neque mortuorum resurrectionem vlla ratione admittebant. Quin & antè Sadducæos, Manassès quidam Iaddi frater, pontificatui inhians, templum Gazirim extruxit, Hierosolymitano non ab simile, ad quem nouum ibi pontificatus munus obtinentem, nouarum rerum cupidi confluxere. Sed quid ego his immoror, de quibus tam copiosè Iosephus disseruit? Ex cuius sane historia satis constat longè post captiuitatem Babylonicam sectas cœpisse, & in Hierusalè ad Christi vsque aduentum verum Dei cultum permansisse, quem qui maiorum suorum vestigia sequuti religiosè obseruabant, ecclesie Dei vera membra erant, & salutem æternam merebantur. Si quid amplius desyderas, Iosephum paulò quam hætenus fecisse videris, diligentius perlege, & sitim ille tuam abundè sedabit: vt alios omittam Iudaicæ historiae scriptores qui mutationes omnes summa diligentia obseruarunt. Iam de Græcorum ecclesia quod queris, nisi te scire dissimules, veteris te historiae valde imperitum ostendis. *Græcam* (inquis) *ecclesiam Romani damnatis, & si vestra longè puriorem. Illas mihi nunc*

circumstantias in hac expone, quas in tua requiris, vt tempus ipsum designes, & pontificem, & incrementa quibus est ita longè degeneratum. Rem petis whitakere minimè arduam. Quis enim ignorat inter græcos extitisse complures hereticos vt Paulum Samosatenum, Macedonium, Nestorium, aliòsque huiusmodi, quorum tamen ætate, qui in catholica permansere doctrina, semper cum Romana ecclesia communicarunt: quod ex iis quæ ad Innocentium pontificem Romanum scribit Ioannes Chrysostomus, luce clarius euadit. Ac ne longius abeas, quo tempore Paulus Samosatenus episcopus Antiochenus, noua cudere dogmata cœpit, omnes certè episcopi, Cæsareæ, Cappadocum Ponti, Iconii, aliique innumeri eum vt hereticum damnarunt, scriptisque per totum pene orbem ad Christianos literis, vt tibi quifque ab eo caueret, admonuerunt: tandemque in ipsa epistolæ calce (inquit Eusebius) hæc addunt. Istum igitur tam Deo aduersarium, tamque contumacem eramus coacti ecclesia & congregatione fidelium eiicere, excludereque, & aliū episcopū qui huic ecclesie catholicæ præsesset, ipsius loco substituere. Macedonius etiam hereticus, mox à catholicis episcopis, damnatus, suaque sede eiectus est, vt alios præteream, quos neque te latere arbitror, neque si forte latent, ex Epiphaniij libris de hæresibus, difficile tibi erit quod ignoras perdiscere. Nam & omnes ad sua vs-

Lib. 7. cap.

24.

Histor. trip.

1. 4. cap. 22.

que tempora hæreses ab ipso enumeratas inuenies. Adiicere potes si vacat Nicephorum, atque Philastrium, qui Græcorum etiam hæresiarum frequenter meminerunt, ut minime in posterum dubites eam esse erga catholicam ecclesiam diuinæ providentiæ magnitudinem, ut nunquam hæreticos ita grafsari sinat, quin suos habeant catholici propugnatores acerrimos. Sed illius fortasse schismatis originem, illius incrementa requiris, quod inter Constantinopolitanum episcopum, & Romanum exortum est: quasi vero obscurum esset circa annum ab orbe re dempto 580. cum Romanæ ecclesiæ clauem Pelagius secundus teneret, Ioannem Constantinopolitanum episcopum, & qui ei successit Syriacum, aduersus apostolicam Sedem uices erexisse, sibiq; vniuersalis episcopi nomen incredibili superbia & ambitione, ut supra diximus, arrogasse: quorum improbos conatus Pelagius 2. & Gregorius primus, ea qua par erat grauitate, & disciplinæ ecclesiasticæ seueritate, represserunt. Ac non ita multis post annis, cum Ioannes Constantinopolitanus suorum scelerum pœnas repentina morte extinctus luisset, cessante paulatim dissidio, sub Bonifacio tertio Romano pontifice res tota fuit composita. Neque vero arduum esset aut difficile (nisi me institutæ disputationis breuitas renocaret) ex veterum historiarum monumentis, omnes Græcorum episcopo-

Gregor. l. 4.
epist. epist.
76. 78 & li.
80. & li. 6.
epist. 168.
169. &
170.
Beda de ratione temporum. Sigebertus & Simonera.

episcoporum ab apostolica sede defectiones suo quamque ordine commemorare, illiusque gentis miram leuitatem atque inconstantiam, fide dignis testibus comprobare. Duodecies enim aut eo amplius sacrilego schismate ecclesiæ pacem perturbarunt: tandemque post Florentinum concilium, cum nullum tantæ inconstantie finem imponerent, saeuissima Turcarum tyrannide oppressi sunt. Verum hæc isto loco indicasse suffecerit: tu si Nicephorum, Zonaram, & Glycam, aliisque Græcorum historicos enoluisses, nihil esset profecto cur Græcorum schismatum initia, atque progressionem ignorares. Quemadmodum igitur nos earum hæresum quæ apud Græcos fuerunt, primos inuentores, ut Paulum Samosatenum, Macedonium, Eutychium, Sergium Monothelitam, Pyrrhum, Arium, Nestorium, aliisque id genus facile proferimus, ita quas tu Romanæ ecclesiæ hereses appellas, à quibus primum inuentæ sint, & quorum potissimum opera tam vehementer auctæ, ad eam quam dicis sceleris atque impietatis arcem peruenerint, palam, apertèque demonstrare debuisses. Sed nihil aliud quàm maximam rerum mutationem in Romana ecclesia factam esse sentire vos, respondes: nec tamen quibus quidque temporibus inclinatum sit, pro certo posse affirmare. Quo quid absurdius à te dici potuit? Quasi verò tam multi, tam diligentes, tam eru-

diti, tam fideles historici, qui tot tantâsque in ecclesia ortas hæreses accuratissimè obseruauerunt, si ea fidei dogmata quæ vos nunc hæreses appellatis, vllò vnquam tempore vel leuissimâ hereseos suspitione laborassent, tam alto silentio sepelire poruissent. Verùm hic eorum mos est qui respondere quidem aliquid verecundia imperante coguntur, ne tamen in aperto mendacio deprehensi maiore afficiantur pudore, id quod respondent pro certo se posse affirmare negant, quippe quod esse falsissimum non ignorant. *De multis constat (inquis) quæ nunc longum esset commemorare.* Cur non igitur vel paucas commemoras, vel vnum certe aliquod? Nimirum si quid designasses, mendacij te crimen euadere non posse videbas. Itaque cum neque tempus, neque authores, neque aliud quiduis huiusmodi, non dico pro certo affirmare, sed ne obscure quidem indicare possis, quis tibi fidem adhibeat ita scribenti? *Romanæ ecclesiæ temporum successione de suo pristino statu decessit, atque in dies manante latius tæbe quadam superstitionis, & erroris, tandem ipsum ecclesiæ spiritum amisit.* Quando enim quæso amisit, aut ad quam demum ætatem tuum illud, tandem, referri vis? quicquid sane responderis, impudentissimum te calumniatorem probabis. Nam vel nunquam ecclesiam spiritum habuisse dices, vel quem semel habuit etiamnum retinere fatearis necesse est, cum nullum

vnquam tempus ostendere queas, quo vel errorem vllum, vel superstitionem admiserit, vel nouum aliquod & inauditum antea dogma receperit. Vidit hoc credo Lutherus, perpetuamque Romanæ Ecclesiæ in fide ac religione constantiam admiratus, ne eam Christi spiritum nunc habere concederet, an vnquam habuerit valdè dubitare se dixit, omnino enim negare pro singulari sua modestia noluit. *Equidem vereor (inquit) nullum*

Lut. in cap.
s. epist. 1.
à Petro papam fuisse qui Euangelium prædicauit, nã Petri.

nullus quicquam scriptum reliquit in quo Euangelium legas. Tu si idè de Romanis pontificibus ecclesiæque Romana sentias, præclare quidem magistrum sequeris, sed tibi ipse minime constabis, qui Romanam ecclesiam Christi spiritum diu quidem habuisse, sed tandem amisisse dicis: quod si verum est, aliam mihi ecclesiam ostendas velim, quæ amisum à Romana spiritum retinuerit: nullam profecto vel minimo indicio vnquam designabis. Tamdiu ergo ecclesiæ spiritus ab orbe Christiano abfuit, donec cum Lutherus è cælo in terram quasi postliminio reuocauit, nisi forte Calvinus hanc sibi gloriam iure vendicet, qui Lutheranam Ecclesiam in grauissimo religionis capite spiritum amisisse contendit. Sed maius aliquid deinceps moliris, & Polycratis Ephesiorum episcopi testimonio, viuus Apostolis virginem fuisse ecclesiam, illis vita functis statim corrumpi cæpisse con-

firmas : quo nescio quid vel à Turcis atque Paganis dici in Christum atque ecclesiã contumeliosius queat. Quid est enim aliud corruptam ecclesiã virginitatem asserere, quàm Christi sponsam adulteram appellare? Ac ne quid ad blasphemiam grauitatem desit, addis. *Neque vero dubium esse potest hanc pestem tempore creuisse & latissime peruasisse*, id est, non vno tantum adulterio, sed plurimis sese Ecclesiam contaminasse. O indignum facinus! O scelus auribus Christianis minimè ferendum! Tu castissimam virginem, tu sanctissimã Christi sponsam, columbã, amicã, vnicã, vocare adulteram audes? vbi frons, vbi pudor, vbi modestia? nihilne sponsum vindicè times, nec sponsæ iniuriam, suam putaturum existimas? simul enim sponsam adulterij, & mendacij sponsum accusas. Neque tibi in mentem venit tot diuinarum promissionũ, quibus hãc sponsam viro suo Christo fidem perpetuo seruaturã Christus ipse pollicetur? Sponsabo te mihi (inquit) in sempiternum, & sponsabo te mihi in iusticia, & iudicio, & in misericordia, & miserationibus, & sponsabo te mihi in fide, & scies quia ego dominus. Quam ergo Christus sibi in æternũ spõsavit, idque in fide, tu multis iam seculis adulteram, & à Christo repudiaram dices? fallax ne illud atque irritum fœdus erit, de quo clarissima est Isaia vaticinatio. Hoc fœdus meum cum eis, dicit dominus, spiritus meus

Osee. 2.

Isaie. 59.

qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore feminis tui, & de ore feminis feminis tui, à modo & vsque in sempiternum: aut Dauidem spiritus sanctus fecellit, quo ille afflatus de Ecclesia ita cecinit, Disposui testamentũ ele- Psal. 88.
ctis meis, iuravi Dauid seruo meo, vsque in æternum preparabo semen tuum. Et rursus, Elegit dominus Syon, elegit eam in habitationem sibi, hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo quoniam elegi eam: an tu Christam cum adultera habitaturum puras? Quid illa Christi quã præclara promissio, ego rogabo patrem, & alium paraclerum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritũ veritatis. & rursus, Paraclerum autem Spiritus sanctus, quẽ mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixerò vobis. & illa, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad cõsummationem sæculi. Denique, Super hãc Petram ædificabo ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Quo autem pacto præualere vehementius possunt, quàm si quod tu factum ais, ex castissima virgine, scelestissimam adulteram faciant? aut quid tam multas olim, tamque omnibus dæmonum præsiidiis confirmatas, atque unitas hereses expugnasse iuuaret, si victa tandem tam turpiter succumbat? Quãto rectius Cyprianus, quanto ad Christi honorem, at-

Psal. 88.

Psal. 131.

Ioan. 14.

Ibidem.

Mathæi 28.

Matth. 16.

De vnit. eccl.

que in promissis veritatem accommodatius,
 adulterari non potest sponsa Christi, incor-
 rupta est & pudica: vnā domum nouit, vnus
 cubiculi sanctitatem casto pudore custodit,
 hæc nos Deo seruat, hæc filios regno quos
 generauit assignat. Sed Polycratem Ephe-
 siorum episcopum, apud Eusebium in histo-
 ria Ecclesiastica tantę blasphemix authorem
 laudas: quem ego ne lectum quidē aliquādo
 à te fuisse facillē adducor vt credam, nisi fortē
 cūm hæc scriberes, animū in patinis habebas.
 Neq; enim hæc Eusebius, ex Polycrate Ephe-
 siorū Episcopo, vt tu hallucinaris, sed ex Ege-
 sippo refert. ἐπὶ τούτοις ὁ αὐτὸς ἀνὴρ διήγη-
 σεν ὅτι κατὰ τὴν διήγησιν ἐπιλέγει ὡς
 ἀεὶ μέχρι τῶν τότε χρόνων παρθένος, καθαροῦ
 καὶ ἀδιάφορος ἔμεινεν ἡ ἐκκλησία, ἐν ἀδελφω-
 του σκοτίαι φωλευόντων, εἰσὲν ὅτε τῶν ἐπι-
 τανες ὑπῆρχον παρεμφερείων ἐπιχειρῶντων, τῶν
 ὑγῆ κακῶν τῶ σωτηρίας κηρύγματος: ὡς δ'
 ὁ ἱερός τῶν ἀποστόλων χορὸς διάφορον εἰλήφει
 τῶ βίαι τέλος, παρεληλύθει τὴ ἡ γενεὰ ἐκείνη
 τῶν αὐταῖς ἀκοαῖς τῆς ἐν θεῷ σοφίας ἐπιπέ-
 σαι κατηξίωμένων, πηκῶντα τῆς ἀθῆς πλά-
 νης τὴν ἀρχὴν ἐλάμβανεν ἡ σύστασις, διὰ τῆς
 τῶν ἑτεροδιδασκάλων ἀπάτης, οἱ κ' αὖτε μηδε-
 νὸς ἔτι τῶν ἀποστόλων λειπόμενοι, γυμνῆ λοι-
 πὸν ἡδὴ τῆ κεφαλῇ τῶ τῆς ἀληθείας κηρύγ-
 ματι, τῆ ψευδῶνυμον γνώσιν ἀντικηρύττειν ἐ-
 πεχείρουν. καὶ ταῦτα μὲν ἔπος περὶ τούτων δια-
 λαβάν, ὡς δὲ πῶς ἔλεξεν. id est, Deinceps idē

Euseb. lib. 3.
 cap. 26. Gre-
 cis est cap.
 λ β.

author à nobis citatus ea quæ temporibus
 nostro sermone modò percursis gesta sunt,
 addit. Nempe quod ad illa vsque tempora,
 quandoquidem, si qui erant qui salubrem ac
 synceram salutaris prædicationis regulā de-
 prauare & corrumpere studebant, in obscuris
 tenebrarum latebris delituerunt, ecclesia in-
 tegra & incorrupta permanerat, cæterum
 postquam sacer Apostolorum chorus variū
 vitæ exitum, & diuersa mortis genera pertu-
 lerat, præterieratque illorum ætas, quibus à
 Christo donatum erat vt auribus diuinam
 ipsius sapientiam, coram acciperent, tūc cer-
 tē fallā & impiā impij erroris conspiratio ex-
 ordium cœpit, idque illorum fraude atque
 astutia qui doctrinam à veritate alienam dif-
 seminare laborarent, quique, cum nemini
 apostolorum amplius vita suppeteret, de cæ-
 tero iam nudo capite, vt aiunt, syncero veri-
 tatis sermoni fallam & cōmentitiam doctri-
 nam ex aduerso opponere pro viribus nite-
 rentur. Hegesippus quidem de his reb us hæc
 oratione complexus, sic fere memorat. Quo-
 rum certē verborum, si ea est quam tu fingis
 sententia, viuis nimirum apostolis virginem
 fuisse ecclesiā, illis vita defunctis statim cor-
 rumpi cœpisse, & ex illo tempore quo apo-
 stoli in terris esse desierunt, semper declina-
 se, & ad apostasiam spectasse, nulla certē æta-
 te post apostolos integram atque synceram
 in terris ecclesiā Christus habuit, à qua blas-

phemia nemo Christianus non vehementer abhorreat. Ecclesia igitur apostolorum etate virgo appellata est, quod nondum illam hæretici palam aperteque oppugnare, & quasi collectis viribus, episcoporum sedes ab ipsis apostolis constitutas inuadere, atque occupare ausi essent, quod postea audacter tentarunt: neque tamen idcirco corrupta tunc, aut adultera fuit ecclesia, quæ deserentibus eam hæreticis, aut etiam oppugnantibus, pristinam fidei sinceritatem nihilo quam antea minus retinuit. Absit enim, ut impiorum hominum vesana dogmata, qui sese ab ecclesia sacrilega temeritate præciderunt, ecclesiæ tribuantur: neque tu ignoras, quam multæ, quam pugnantibus, quamque perniciosæ hæreses, in vestris synagogis, ex quo Romanam deseruistis ecclesiam exortæ sint, atque etiam nunc indies exoriantur, quibus tamén Calvinianam Ecclesiam factam esse adulteram minimè opinor concedes: Romanum deinde pontificem importuna digressione perstringis, *Miror* (inquis) *hunc Polycratem tam fuisse, vel imperitum, vel obliuiosum, ut romanum pontificem loco apostolorum datum esse ecclesie, qui hanc virginem defenderet, castamque conseruaret. Quin tuam ipsius stultitiã potius Polycrates si viueret admirareretur, qui vel tam imperitus es, vel tam obliuiosus, ut non attendas Polycratem propter exortam de celebrando paschate controuersiam, literas ad Victorem pontificem Romanum dedisse, & Po-*

lycarpum, eadem de causa Romam antea profectum fuisse, & Victorem sua autoritate Euseb. lib. 5. dissentientes ab apostolica sede episcopos ^{cap. 23. & 24.} excõmunicasse, cuius facti seueritatem nonnulli non satis probarunt, potestatem ex apostolica autoritate profectam, nemo. Victoris tamen prudentiam euentus probauit, nam ^{Epipha. he ref. 10. & heret. 19.} & quattodecimani illi hæretici damnati fuerunt, & Victoris sententia in Nicæno deinde concilio confirmata. Et Tertullianus author ^{Tertul. de prescrip.} est Blastum quendam eo tempore sub obseruationis paschalis umbra Iudaismum occultè in ecclesiam introducere voluisse, cui malo Victor pro ea quæ sibi incubebat ecclesiæ Christi cura, prudenter sanè occurrit, ut vel hoc ipso exemplo quod contra romani pontificis autoritatem affers, ecclesiæ virginitatem atque pudicitiam aduersus prophanas hæreses fuisse defensam cõstet. Iam ut ad historiam te accingere videaris, multa initio iactitas. *Potui tibi* (inquis) *huius apostasie clarissima indicia, in tua ecclesia, ex tuis illis animalibus commonstrare. Neque enim aut obscura sunt, aut eiusmodi, ut non ea quisvis videre possit, qui modo aspicere atque atterdere velit: Cur igitur ex tam multis (ut ais) ne vnum quidem profers, cum hic locus si quis alius industriæ tuæ atque eruditionis specimen vel maximè flagitet, aut quis non videt tantum in re tam necessaria silentium, deploratæ causæ certissimum esse argumentum. Tandem vero aliquando argumento ex*

historia petito, Campianū ita aggredieris, *volo tibi aliquid ex veteri historia commemorare*, (inquis) *quod tu nūm tuum pontificem attingat considerabis*, vt mihi de re tota certius respondeas, multis deinde verbis nonnulla in Carthaginensi concilio gesta commemoras, quibus duo quaedam (ne tam sim quā tu proluxus) incautis lectoribus persuadere conaris, quorum prius est, non probasse concilij Patres, quod per legatos suos in eo concilio romanus pontifex agebat, vt liceret ad romanum pontificē ab omnibus episcopis vbique terrarum prouocari. Alterum verò legatos pontificis supposititium niceni concilij canonem malitiosē protulisse, in quo illud Romani pontificis priuilegium (vt vocas) erat scriptum. Quid faceres quęso, quosue Deus bone triumphos caneres, si in historia aliquid aduersum nos quod alicuius esset ponderis inuenisses? cū in re tam leui, totiesque à catholicis scriptoribus satis superque explicata, adeo te insolenter efferas. Quid si concilij Carthaginensis Patres, Pontificem antichristum vestro more vocitassent? quid si à Romanę Ecclesię communionē vt vos desciuissent? quid si omnem Pontifici Romano in ceteros episcopos iurisdictionem vobiscum negassent? vix te ipsum credo præ læticia caperes: at nihil horum, quin potius contraria omnia, quod illa beati Augustini verba luce clarius demonstrant in ecclesia (inquit) Ro-

Epist. 102.

mana sēper apostolicę cathedrę vignet principatus, & quę ad Innocentium Romanum pontificem totius concilij Mileuitani nomine ab eo scripta, supra commemorari: quia dominus te gratiæ suę præcipuo mittere, in sede apostolica collocauit, (&c.) pastorem diligentiam quęsumus adhibere digneris. Vbi Beatus Augustinus cum vniuersis concilij patribus Romanum pontificem suum esse pastorem agnoscit, ideòque ab ipso pastorem, quam suis ouibus debebat diligentiam postulat, in Africa licet procul ab vrbe roma constitutus, denique ad Bonifacium pontificem contra Pelagianos scribens. *Altius eum præsidere, & in episcopatus officio cæteris omnibus celsiore fastigio speculę pastorales præminere, disertè fatetur?* Ex quo illud sane perspicuum est, nihil in Carthaginensi illa synodo de romani pontificis in ceteros episcopos iurisdictione disputatum fuisse, verum cū Appiarius quidam, sacerdos Africanus, ab illius prouincię episcopis, iure optimo ac merito conderannatus Romam conuolasset ad Zozimum papam, eique suis mendaciis impoisset: scelerati hominis fraudibus commoti, huiusmodi sacerdotum appellationes, tranquillitati ac disciplinę ecclesiasticę minus esse vtiles censuerunt: quin potius minores has causas apud episcopos, atque in propriis prouinciis esse peragendas, vbi veritas minori negotio peruestigari posset: non

Epist. 102.

lib. 1. cap. 1.

secus atque à præfecto prætorio ad Imperatorem appellare minime licebat: non quod huiusmodi præfectis Imperator autoritate ac iurisdictione non antecelleret, sed quia ad has controuersias componendas præfecti satis esse idonei videbatur: Non igitur de quavis appellatione patres illi loquuntur, sed de ea quæ ab inferioribus sacerdotibus reliquaque clero ad Romanum pontificem fieret. Neque enim de episcopis atque archiepiscopis dubitarum fuit, quia illis liceret in suis causis, quæ grauiores plerumque erant, ad romani pontificis iudicium appellare. Sic enim totius concilij nomine ad Bonifacium episcopum romanum Augustinus scripsit. Tunc uenerationi insinuare debemus, quæ utrorumque concordia terminata sunt, ut Romæ liceat episcopis prouocare, & ut clericorum causæ apud suarum prouinciarum episcopos finiantur, quo nihil ad pontificis Romani in reliquos episcopos autoritatem confirmandam clarius dici potest. Nihil ergo ab illis patribus Romani pontificis autoritas est imminuta. Quod si deinceps Africani episcopi arrepta inde occasione sedi Apostolicæ solito minus paruerint: eo potissimum tempore quo omnes Afrorum ecclesiæ ab Arrianis hæreticis possidebantur, qui totam Alarico duce Africam occuparant, Augustino adhuc superstite. Postea tamen Eulalius Archiepiscopus datus ad Bonifacium

Concil. Carthag. cap. 101.

pontificem Romanum literis, quicquid delictum erat sedulo resarciuit: ut ex Bonifacij ad ipsum literis constat. Neque uero Faustinus ille pontificis legatus (ut de altera deinceps criminationis tuæ parte dicam) in proferendo concilij Nicæni canone, fraudem uilam admisit. Corruptos enim Nicæne Synodi canones ab Arrianis fuisse superstite etiam Athanasio satis constat ex ipsius ad Felicem epistola: qua se ab illis ecclesia sua deiectum, suosque codices flammis absumptos grauius conqueritur. Quod si uiuo Athanasio Nicæni concilij propugnatore fortissimo canones exurere non dubitarunt, quanto postea maioribus fraudibus usus putabimus? Neque uero dubium est Antiochenam, Constantinopolitanam, Alexandrinamque ecclesiam, ab Arrianis fuisse ante Carthaginensem Synodum per vim occupatam: in quibus cum omnia pro libidine gererent, quis non facile intelligat illud eos in primis curasse, ne qua Nicæne synodi uera extarent exemplaria? Perpetuus enim hæreticorum hic mos, ut catholicorum libros quibus sua refelli dogmata accuratius uident, uel supprimant omnino, uel certe corrumpant. Huius autem de quo agimus canonis Athanasius ipse cum episcopis aliis catholicis uniuersis per Ægyptum, Thebaidem & Lybiam, quorum haud dubie plerique Nicæno etiam concilio cum ipso interfuerant, meminit in epistola ad Felicem pon-

Atha. Apo. 2

In epist. synodali alexandrina ad Folicem.

tificem Romanum à Synodo Alexandrina scripta. Similiter etiam (inquiunt patres) à supradictis partibus Nicænis est definitum consonanter, ut si quispiam episcoporum aut metropolitanum, aut comprouinciales, vel iudices suspectos habuerit, vestram sanctam romanam interpellet sedem: cui ab ipso domino potestas ligandi atque soluendi speciali est privilegio super alios concessa. Quin & Iulius pontifex romanus hunc canonem Arrianis obiecit, etiam iis qui Nicæno haud dubie concilio interfuerant, adeo nihil de illius veritate dubitandum censuit. Huc enim referri debet quod de Athanasij calumniatoribus Romanam à Iulio euocatis refert Theodoretus. Etenim Iulium episcopum (inquit) qui tum Romanam rexerat ecclesiam, Eusebiani de criminibus quæ falso contra Athanasium cõfinxerant, per literas certiore fecerunt: Ille Ecclesiæ canonem sequurus & eos iussit Romanam venire, & diuinum Athanasium qui pro se iudicio responderet vocauit. Quod & So-

lib. 2. cap. 4.

lib. 2. cap. 13

crates his ferè verbis commemorat, Itaque Iulius literis contrariis ad ipsum missis, episcopis qui Antiochiæ conuenerant, per literas respondit: ac primum docet, quantum molestiæ & acerbitatis eorū epistola ipsi attulisset: deinde eos cõtra ecclesiæ canonesegisse, quod illū ad conciliū non vocassent, quippe cū canō ecclesiasticus vetet ne decreta absque sententiā episcopi Romani ecclesiis sanciantur. Idē

& Zozomenus iisdem pene verbis narrat. Iulius (inquit) certior factus, nō tutum esse Athanasio in Ægypto vitam agere, cum ad se accersiuisset, ad illos autem qui Antiochiæ in vnum conuenerant (nam forte fortuna id temporis eorum acceperat epistolam) scripsit atque adeo accusauit, quod clam contra fidem concilij Nicæni nouas res moliti fuerant: quodque contra leges ecclesiæ, ipsum ad conciliū non vocarant. Nam legem esse ad sacerdotij dignitatem spectantem, quæ pronūciat acta illa irrita esse, quæ præter sententiā episcopi Romani constituuntur, denique (ut consentire historicos intelligas) Nicephorū audi rem eandem breuiter referentem. Horum causa (inquit) Iulius Romanus episcopus cognita, quod consentientes sibi de Nicænis decretis inuenit, communionem eos est dignatus: pro amplitudine autem sedis siue ex veteri privilegio & prærogatiua persuasum habens, omnium vbiq; episcoporum curam & iudicium ad se pertinere, datis cuique liberrimè literis suis eos ecclesiis reddidit, eosque in orientem remisit: eos qui temere illos ex authorassent perstringens, ut qui non rectè sequerentur consilia motusque & turbas ecclesiis crearent, neque semel Nicæ factis fidei decretis starent. Adhæc præcepit ut quidam ex iis ad diem constitutum Romæ præsto essent qui rectè sententiam in cõdemnatos latam esse probarent: sin minus minas

Lib. 3. cap.

8. & 10.

Nicephor.
lib. 9. cap.
8. & 10.

addidit, nisi à rebus nouandis desisterent, se ab eis leueras exacturum pœnas. & rursus de eodem Iulio pontifice scribens, suis eum literis ait episcopos illos qui Antiochiæ contra Athanasium conuenerant coarguisse, quod latenter aggressi essent contra decreta Nicæna fidem nouare & adulterare. Præterea quod præter ecclesiasticam consuetudinem, se quoque in synodum vocare intermisissent, extare enim ecclesiasticum canonem, auctoritatem omnem iis abrogantem, quæ præter Romani antistitis sententiam peracta essent. Qua verò fronte Iulius, qui paucis post Nicænum concilium annis Romanæ ecclesiæ præfuit, & si Caluino tuo credis, ipso concilij tempore Romanam ecclesiam rexit, aduersus episcopos illos Arianos Athanasij hostes, quorum plerique Nicæno concilio interfuerant, hunc canonem proferre ausus fuisset, nisi certam atque exploratam illius veritatem vel aduersariis testibus habuisset: qui & si hunc canonem ut reliquos omnes superbè contempserunt, scriptum tamen decretumque in concilio fuisse nunquam negarunt. Nam quod Caluinus nō minus falsò quàm impudenter confinxit Sardicensis concilij canonem pro Nicæno canone Iulium supposuisse, partim crasse ipsius ignorantie partim odio in Romanum pontificem plusquam Variniano tribuendum censeo: quasi vero hanc fraudem si quæ fuisset

lib. 4. Instit.
ca. 7. sc. 1.

fuisset, episcopi illi hæretici romano pontifici tam infesti, qui cum hæc gererentur vinebant, non facile vidissent, illique summo fastu exprobrassent: quamquam hic canon si Sardicensis tantum concilij fuisset, satis profecto ad romani pontificis auctoritatem supra cæteros episcopos confirmandam ponderis atque momenti haberet. Quis enim nescit tantam illius concilij auctoritatem fuisse, ut penè pro vno eodemque haberetur: nam & ab iisdem celebratum fuit, & in eo nulla pene noua decreta condita, sed nicæni concilij decreta cōfirmata sunt. Verum quo præceptoris tui mendacium clarius perspicias, vtriusque canonis sententiam breuiter subiiciā, ac Nicæni quidem sic Concil. Nicæni can. 39.
 p̄scopi & ep̄scopi in suis prouincijs faciunt; & si quid reperiat secus quàm oportet, im-
 mutet & disponat prout sibi videatur: siquidem ipse est pater omnium, & illi filij eius, sicut ille qui tenet sedem Romę caput est, & princeps omnium patriarcharum, & illi data est potestas in vniuersam ecclesiam Christianam: & quicumque contradixerit, à Synodo excōmunicetur. Sardicensis verò hoc modo.
 Si episcopus iudicatus fuerit, & putauerit se habere bonam causam, ut scribatur ab his qui causam examinauerunt, romano pontifici: ut si iudicauerit renouandum esse iudicium renouetur, & det iudices: & ut alter

episcopus ante determinationem litis in illius cathedra non constituatur. Vides igitur quæ ex verissimis monumentis repetuisse te ais Carthaginensis synodi gesta, romani pontificis auctoritatem non modo nihil imminuere, sed ne attingere quidem. Quod vero addis. *Huiusmodi alia potui per multa commemorare.* Hoc tibi certe per quam familiare est, vt multa posse iactites, sed vbi ad rem ventum est nihil præstes. Hoc sane loco impotentis animi iracundiam nunquam cohibuisses, si quid ex vetere historia corradere potuisses, vnde te nobis inuidiam constare vilo modo posse existimasses. Qui enim tam diligenter ex Bionto, Gersono, Ænea Syluio & Cusano hodiernis pene hominibus, omnia etiam leuissima corrasisti: quam est queso incredibile, antiquas te historias tam facile prætermitturum, si vllum tuæ causæ subsidium ab illis sperasses? sperare vero quid tu posses omnis antiquitatis adeo imperitus, vt verem historiam ne à limine quidem salutasse videaris: cum Magdeburgici ipsi præceptores tui, qui omnem ea in re ætatem trauisse videri volunt, nihil omnino profecerint, æt enim cum doctrinæ suæ successionem à Christo atque apostolis per ætates singulas ad nostra vsque tēpora deducere instituisset, atque in veterū monumentis quocunque oculos cōuertissent, nihil aliud quam catholicæ atque Romanæ ecclesiæ dogmata confirmari, sua

vero hæreseos damnari vidissent, n̄uos nescio quos in patrum doctrina commenti sunt, quos dum tam curiose per omnes ætates obseruarunt, ipsi profecto nobis testes sunt doctrinam nostram à Christo atque Apostolis, continuata successionis serie quasi per manus traditam ad nos peruenisse: cum neque suarum hæresum, neque sanè vestrarū vlla vestigia in veteri ecclesia ostendere possint. Venio nunc ad Phocæ imperatoris tēpora, in quibus magnum quid obseruasse tibi videris, dum Campianum sic alloqueris. *Quandoquidem autem quæris, & vis tibi responderi, quando hanc fidem tantopere laudatam Roma perdidit, esseque deserit quod ante fuit: & si fidem multis in rebus ante perdidit, tamen verè possum affirmare, tum antichristi sedem palam esse cepisse, quando Bonifacio tertio à Phoca parricida datum est, vt ecclesia romana caput esset omnium ecclesiarum, pontifexque Romanus episcopus vniuersalis diceretur.* Vbi rursus pristinæ consuetudinis haud immemor, Romanam ais ecclesiam ante Phocā imperatorem multis in rebus fidē perdidisse, quarum ne vnicam quidem vel leuissima suspitione attingere potuisti: Ad Phocā sanè quod attinet, nihil illo argumēto quod ex illius facto, Calvinū tuū sequutus ^{Cal. lib. 4. inft. cap. 7. lect. 17.} ducis, leuius, nihil inanius dici potest. nam & Calvinus ipse à Sardicensi concilio agnitā romani pontificis fuisse auctoritatē fatetur:

Euseb. lib. 7
eccles. hist.
cap. 24.

C. lib. 1. de
sum. Trinit.
& fide Cat.

Initio Au-
then.

Valent. &
Mart. in
epist. ad
Leonem.

quod multis ante Phocā seculis, immo vero non multis post niceenam synodum annis celebratum fuit: & qui Phocam præcessere imperatores Christiani nō pauci, supremam romani pontificis auctoritatem agnouerunt. nam vt Aurelianum ac Constantinum omit- tam, Gratianus certe & Valentinianus suis edictis cauent, vt omnes eam religionem suscipiant atque amplectantur, quam Damasus pontifex romanus amplectitur. Cunctos populos quos clemētiē nostrę regit imperium, in tali volumus religione versari, quam D. Petrum apostolum tradidisse Romanis religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque pōtificem Damasum sequi claret. Et Iustinianus Imperator ad Ioannem Romanum pontificem scribens, Omnes, inquit sacerdotes & episcopos orientis vestrę sanctitati vnire & subicere properamus, quę caput est omnium sanctarum ecclesiarum, ac rursum, summi pontificis apicem apud romanam ecclesiam esse nemo est qui dubitet. Quid de Valentiniano ac Marriano dicam, quorum hęc ad Leonem rum romanum pōtificem verba sunt? Tuam sanctitatem principatum in episcopatu diuinę fidei possidentem, literis in principio iustum credimus esse alloquendam, inuitantes atque rogantes, vt pro firmitate & statu nostri imperij, eternam Diuinitatem tua sanctitas deprecetur. Nihil ergo Phocas nouum instituit, sed Pa-

riarchę Constantinopolitani factum ac superbiam repressit. Neque vero si quid moliri nouarum rerum voluisset, in occidente quidquam efficere vnquam potuisset, cum solius tum ferē orientis potiretur imperio. Hęc te atque huiusmodi alia docere poterāt, quanta fuerit erga Apostolicam sedem veterum Imperatorum etiam qui Phocam antecesserunt obseruantia: quę si legisti aliquando, malitiosē nunc sane dissimulas: si non legisti, temere quod nescis affirmas. Valde tamē ere tua esse censeo quod scribis. *Nolim ego temporum momenta nimium excutere, obscure serpit malum, nec statim in hominū sensus incurrit.* Quanto enim diligentius tempora atque momenta ipsa si velis excusseris, tanto tuam ipse causam peiorem effeceris: cum hoc quod tu malum appellas nunquam obscure serpsit, sed semper inter Christianos homines floruerit, vt fidei & religioni Christianę, vel maximē cōsentaneum: supremam dico Romani pontificis in omnes episcopos Christi que fideles auctoritatem, aliąque doctrinę catholicę capita, quę vos nunc sacrilegi desertores impię conuellere studeris. Aliud deinde ἀόυστων subiungis. *Id fuit (inquis) de istis temporibus de quibus nunc loquor hominum iudicium.* Gregorium Magnum episcoporum ecclesię romanę honorum fuisse vltimum, malorum primum. Neque enim ille honorum vltimus nisi bonus, nec malorū primus nisi malus esse potuit. Hęc tua deliria

ne tam malè cohærere videãtur, Gregorium non nimium fuisse bonum ais: qua in re magistri tui Lutheri improbitatem superasti: qui tamen (vt ante dixi) Gregorij prædicationè contemnat, ipsum tamen Gregorium virum haud dubiè sanctum appellat. Neque tacere hoc loco possum, quàm tu hic veterum hæreticorum ingenium egregiè referas: sic enim qui Arremonis olim hæresim (quam Paulus Samosatenus denuo renouauit) defendere ac propagare studuerunt, maiores suos omnes; vt narrat Eusebius, & ipsos apòstolos ea quæ ipsi affirmabant, non modo à Domino sic accepisse, verum etiam alios sic docuisse: & veram prædicationis rationem vsque ad Victoris tempora, qui decimus tertius à Petro Romæ episcopus fuit, integrè seruata illà quidem, sed à Zepherino illius successore penitus corrupta, atque deprauata fuisse affirmabāt. Sic Eutichiani quondā, Vigilio teste vsque ad Leonem Romanum pontificem in eadem cū ipsis fide Romanam ecclesiam perseuerasse, eaque ab illo primum corrupta ac deprauata aiebant: fuisse. Sic Donatistæ primos aliquot Romanos episcopos inculpatè (sic enim loquebantur) Romanum episcopatum gessisse, sed alios deinde dissimiles fuisse, quos & incredibilibus calumniis, vt Augustinus ait, infectati sunt: quin & Marcellinum Miltiadè, Syluestrū traditores fuisse finxerūt. Sic deniq; Iulianus Pelagianus suā fidem ad Innocentiū

Lib. 5 ca 27
hystor.

Lib. 5. cōtra
Eutyche.

Li de vnico
baptismo.

vsque ad Romanum pontificem in Ecclesia lib. 20. ad
perstrisse contendebat, sed a ozimo illius Bonif. ca. 5.
successore corruptam fuisse, quam calumniā
refellens Augustinus, Anozimum (inquit) se- li. 6. contra
dis apostolicæ episcopum vt in tua prauitate Iulianum.
constas præuarcationis accusas? qui non
recessit à suo prædecesore Innocentio. Et tu
nunc whitakere cū tuis vsque ad Gregoriū
primum, catholicam fuisse apostolicam &
sanctam Romanam ecclesiam concedis, hunc
vero bonorum vltimum, malorum primum
exitisse. Verum vt superiorum hæreticorum
calumnias prolatis veterum authorum mo-
nimentis faciliè catholici confutarunt, ita
quæ à vobis modo confinguntur, eadem sane
via in promptu nobis est falsa demonstrare.
Quod à veteribus illis hæreticis dicebarur,
multum fortasse videri potuisset habere pro-
bilitatis (inquit Eusebius) nisi primum sa-
cræ scripturæ testimonia illis contradicerēt,
deinde fratrum quorundam scripta superes-
sent Victoris temporibus multo antiquiora,
quæ illi cū contra gentiles pro veritatis de-
fensione, tum contra hæreses, quæ id tempo-
ris grassabantur scripserūt, vt Iustini, Miltia-
dis, Taciani, Clementis, & aliorum nonnul-
lorum, in quorum omnium libris Christus
verè Deus esse confirmatur (quod illi hæreti-
ci negabant) quis Irenæi, quis Melitonis, quis
cæterorum libros ignorat, qui Christum Deū
& hominem constanter asseuerant: quot

ib. 50. cap.
26, hysto.

„ item psalmi à fratribus fidelibus antiquitus
 „ perscripti, qui Christum verbum Dei verum
 „ Deum esse concentu concelebrant? Cùm
 „ igitur ex tot annorum spatio doctrina eccle-
 „ siastica verè annunciata fuerit, quomodo fie-
 „ ri potest vt illi patres qui ad Victorem vs-
 „ que vitam produxerunt, sic, vt isti asserunt,
 „ prædicarint? aut quomodo non illos pudet
 „ Victori hæc tam falso obiectare? An non iis-
 „ dem nos argumentis mendacia de Gregorio
 „ vestra refellimus, cùm quæ ille docuit non
 „ ab ipso inuenta, sed à maioribus tradita fide-
 „ literque conseruata fuisse ostendimus? quod
 „ adeo sanè verum est, vt Lutherus ipse cùm
 „ omnium pontificum Romanorum vnâ sem-
 „ per eandemque fidem atque doctrinam fuisse
 „ perspiceret, omnes omnino reiiciendos
 „ putarit. Vt ex illius quæ paulo ante attulimus
 „ verbis manifeste constat. Sed quinam quæso
 „ illi homines fuerunt, quorum hoc fuisse de
 „ Gregorij temporibus iudicium scribis? nisi
 „ fortè iniuriam tibi facio, cui affirmanti non
 „ statim assentior: præsertim tam sæpè exper-
 „ tus te pro ea quæ regium professorem decet
 „ autoritate, quæ dicis probare minimè soli-
 „ tum. Itaque cùm nullum habeas neque illius
 „ ætatis testem, neque aliquot ætatum succe-
 „ dentium, à Gregorio magno ad Bernar-
 „ dum, transiis, quem rectissimè tu quidem
 „ virum piuum appellas, sed illius pietatem ma-

„ le profecto imitaris. Non enim ignoras &
 „ monachum illum & monachorum abbatem
 „ fuisse, monasticis se votis Deo obstrinxisse,
 „ horas canonicas cecinisse, sacrificium cor-
 „ poris & sanguinis Christi secundum ordi-
 „ nem Melchisedech obtulisse, ceteraque quo-
 „ tidie sedulo obiuisse, quæ tu cum tuis su-
 „ perstitiosa existimas. Video tamen opinor
 „ quo potissimum nomine Bernardum virum
 „ piuum appelles, quod deprauatos Christia-
 „ norum mores summa qua decuit libertate ar-
 „ guerit. *Bernardus* (inquis) *quem ecclesia vestra*
 „ *multis annis vnum tulit piuum virum, quoties &*
 „ *quam amare statum perditissimum ecclesie deplora-*
 „ *uauit? Quod merito ille quidem certè whitake-*
 „ *re, iureque optimo fecit: quis enim vir pius*
 „ *populi peccata non defleat? quis non omni*
 „ *qua potest ratione corrigat? verum hoc*
 „ *adeam de qua nunc agitur controuersia, quid*
 „ *attinet? an qui improbos multorum homi-*
 „ *num mores reprehendit, ecclesiam in qua il-*
 „ *li sunt à fide ac religione Christiana defecisse*
 „ *ait? nimium certè ineptus es, si ita exi-*
 „ *stimas, qui plurimos in Ecclesia non laicos*
 „ *modo, verum etiam ecclesiasticos viros di-*
 „ *uitiis inhiare, seculi honores aucupari, lu-*
 „ *xum, libidinem, nefariasque voluptates*
 „ *sectari cõqueritur, is tibi ecclesiam catholi-*
 „ *cam ἀποπέσει, acculare videtur. Cur non*
 „ *igitur ipsis etiam apostolorum temporibus*
 „ *ecclesiam apostatasse, palam profiteris?*

nam & tunc mali in ecclesia cum bonis
 permixti fuerunt: cum & Paulus apostolus
 periculum sibi à falsis fratribus esse dixerit.
 2. Cor. 1. Rectissime ergo Augustinus. Alij sunt qui
 propterea tenet pastorales cathedras, vt Chri-
 Ad Feliciã. sti gregibus consulant: alij vero qui propte-
 » rea in eis sedent, vt suis honoribus tempora-
 » libus & commodis secularibus gaudeant: ista
 » duo genera pastorũ alijs morientibus, alijs na-
 » scentibus, in ipsa catholica ecclesia necesse
 » est vsque ad finem seculi, & vsque ad domini
 » Iudicium perseuerent. Si enim temporibus
 » apostolorum fuerunt tales, inter quos falsos
 » fratres apostolus gemeret, & diceret, pericu-
 » lis in falsis fratribus, nec eos per superbiam
 » separaret, sed per tolerantiam sustineret: quã-
 » to magis tẽporibus nostris necesse est vt sint,
 » cum de tempore huius seculi, quod propin-
 » quat ad finem, apertissime dominus dicat,
 » quoniam abundabit iniquitas & refrigescet
 » charitas multorum. Sicut autem sunt pasto-
 » res boni & mali, sic etiam in ipsis gregibus
 » sunt boni & mali: Boni ouium nomine signi-
 » ficantur, mali vero hædi appellantur, sed cõ-
 » mixti pariter pascunt, donec veniat princeps
 » pastorum, qui dictus est vnus pastor, & quẽ-
 » admodum ipse promisit, separet sicut pastor
 » oues ab hædis: nobis enim imperauit congre-
 » gationem, sibi autem seruauit separationem,
 » quia ille debet separare qui nescit errare. non
 » aliam vero Bernardi mentem fuisse, quã vt

sui seculi improbos Christianos, siue pasto-
 rum illi nomine, siue hædorum censeantur,
 reprehendat, totus ille quem indicasti locus
 abunde probat. Quatuor enim tentationum
 genera prophetico hoc sermone mystice es-
 se descripta docet: Scuto circundabit te ve-
 ritas eius, non timebis à timore nocturno, à
 sagitta volante in die, à negotio per ambulã-
 te in tenebris, ab incurfu & dæmonio meri-
 diano, quẽ omnia ecclesiã Christi perpeffam
 esse eleganter ostendit. Ac timorem quidem
 nocturnum graues & cruentas infidelium ty-
 rannorum persecutiones interpretatur, qua
 tentatione deuicta, ad sagittam in die volan-
 tem sese dẽmonem aduersarium nostrum cõ-
 uertisse ait, ac vulnerasse quosdam de eccle-
 sia, qui exeuntes de ecclesia matrem suam af-
 fluxerunt in diuersis & peruersis dogmatibus.
 Sed hæc quoque pestis (inquit) depulsa est
 in sapientia sanctorum, sicut & prima in pa-
 tientia martyrum. Sequuta est tentatio tertia
 à negotio perambulante in tenebris. Hypo-
 crisim ille appellat, atque hanc puridam ta-
 bem per omne corpus ecclesiã sua ætate ser-
 pisse conquestus est, eoque desperatius quo
 latius, eoque periculosius quo interius: nam
 si insurgeret (inquit) apertus inimicus hæ-
 reticus, mitteretur foras & arefceret, si vio-
 lentus inimicus, absconderet se forsitan ab
 eo: nunc vero quem eiiciet? aut à quo absco-
 det se? omnes amici, & omnes inimici, om-

Serm. 33. in
 cant.

nes necessarij, & omnes aduersarij, omnes
 domestici & nulli pacifici, omnes proximi,
 & omnes quæ sua sunt quærunt. Ex quibus
 perspicuum est non de hæreticis eum, sed de
 prauis catholicis loqui, nec doctrinam eccle-
 siæ, sed corruptos malorum mores notare, de
 quibus & ista subiunxit, Ministri Christi sunt
 (inquit) & seruiunt antichristo, honorati
 incedunt de bonis domini, qui domino ho-
 norem non deferunt. quem autem antichri-
 sti cultum intelligat, sequentibus mox ver-
 bis declarat. Inde (inquit) is quem quoti-
 die vides meretricius nitor, histrionicus ha-
 bitus, regius apparatus, inde aurum in frenis,
 in cellis, & plus calcaria quàm altaria fulgēt.
 Inde splendide mensæ & in cibus, & in cyphis,
 inde commestationes & ebrietates, inde citha-
 ra, & lyra, & tibia, inde redundantia torcula-
 ria, & prõptuaria plena eruçtãtia ex hoc in il-
 lud. Inde dolia pigmētaria, inde referta mar-
 supia pro huiusmodi volūt esse, & sunt eccle-
 siarum præpositi, decani, archidiaconi, epis-
 copi, archiepiscopi, hæc Beatus Bernardus de
 improba multorum sui temporis etiam ec-
 clesiasticorum vita questus est: quæ equidem
 non vt tu truncata ac concisa, sed integra bo-
 naque fide protuli: vt vniuersam hanc fan-
 tissimi viri querelam, non ad totius eccle-
 siæ statum, vt tu impie calumniaris, sed ad
 quorundam in ecclesia prauorum correptionem
 pertinere omnes intelligant. Neque ta-

Serm. 33. in
Cant.

men ita vitiiis omnia esse contaminata ait, vt
 non quorundam Ecclesiæ antistitum sancti-
 tatē summis ipse laudibus efferat. Ad Euge-
 nium enim, suum quondã monachum, tum
 vero pontificem summum scribens, inter bo-
 nos malosque sui seculi mores præclarã con-
 stituit antithesim, magnarũque exempla vir-
 tutum in Martino Cardinali, & Gaufrido
 Carnutenſi commemorat. Nonne (inquit)
 alterius seculi res est rediisse legatum de terra
 auri sine auro, transisse per petram argenti,
 & argẽtum nesciuisse? Sed ò mihi locum sua-
 uem, vbi incidit occasio memorandi & no-
 minandi suauissimi odoris virum, episcopum
 loquor Gaufridum Carnutẽsem: qui legatio-
 nem in partibus Aquitanix propriis sumpti-
 bus strenue administravit, idque annos plu-
 res, rem loquor quam vidi, &c. Atque hæc
 virtutum exempla aliaque huiusmodi, cum
 in suæ ætatis episcopis, nonnullis quidem de-
 siderari, in aliis vero etiam abundare signifi-
 cet: à pontifice tamen summo quem allo-
 quitur, non nisi summa omnia, pro summi
 quo fungitur muneris præstantia ac dignita-
 te, exposcit. Oportere (inquit) te esse confi-
 dera formam iusticię, sanctimonię speculum,
 pietatis exemplar, assertorem veritatis, fi-
 dei defensorem, doctorem gentium, Chri-
 stianorum ducem, amicum sponsi, spon-
 sę paranympum, Cleri ordinatorem,
 pastorem plebium, magistrum insipientium,

Lib. 4. de cõ-
sideratione
ad eugenium.

refugium oppressorum, pauperum aduocatum, miserorum spem, tutorem pupillorum, iudicem viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum senum, vltorem scelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potentium, malleum tyrannorum, Regum patrem, legum moderatorem, canonum dispensatorem, sal terræ, orbis lumen, sacerdotem altissimi, vicarium Christi, Christum domini, postremo Deum Pharaonis. Impudentem te igitur Bernardi calumniatorem ostendis, cum illum ais de ecclesiæ Romanæ nequitia, intoleranda conqueri solitum, nec minorem (Æneæ Syluio iniuriam facis, cum ex familiaribus illius ad amicum literis manca quedam excerptis, refriguisse charitatem, & fidem omnem interiisse, quæ absit vt ille ad ecclesiam Christi sponsam retulerit, sed homines peccatis onustos: quorum etiam in ecclesia numerus est, heu nimium magnus, de Cornelio vero Bitontino episcopo quid dicam? cuius tu testimonium aduersus nos grauissimum videri vis. Vtinam (inquit ille) à religione ad superstitionem, à fide ad infidelitatem, à Christo ad Antichristum, à Deo ad Epicurum velut prorsus vnanimis nõ declinassent. Vbi nihil eum aliud velle, quàm dormientibus plerisque ecclesiæ pastoribus, & suorum gregum curam minime gerentibus, multos, partim aliis vitiis, partim etiã hæresi periisse, facile profecto intelliget, quisquis prolixam illam exci-

Orat. ad
Gasp. scil.

Bitont. in
orat. con.
Trid.

tandos pastorum animos in Tridentina synodo habitam orationem, vel leuiter percurrere voluerit. Hac vero sententia vt nihil tristius dici aut acerbius, ita neque verius poterat. Atque vtinam nobis semper plurimi superant, non cornelij tantum Bitontini, non Æneæ Syluii, non Bernardi, sed & Chrysostomi, Augustini, Hieronymi Cypriani, Basilij, Ambrosij, qui grauissimis verbis Christianorum hominum, imo etiam ecclesiasticorum vitia reprehendere non cessent, omnesque à nefariis sceleribus ad dignam christiano homine vitæ sanctimoniam traducere studeant: quorum conciones graues illas quidem & vehementes, sed saluberrimas & extirpandis vitiis maximè vtilis, si quis eo pertinere existimet, vt totam illi ecclesiam à Christo ad antichristum deficere dicant, ab eorum profecto sententia longissime aberrat. Ipsum enim ego te iudicem facio whitakere, num quoties ex tuis ministellis, aut pseudoepiscopis aliquem in vestrorum hominum detestanda flagitia grauissimè inuehentem audis, mox eum vestram ecclesiam periisse, atque à Christo ad antichristum defecisse dicere existimes. Hoc si negas, in optissimè profecto ex huiusmodi catholicorum sermonibus, Romanam ecclesiam à Christo defecisse concludis: sin affirmas, quid aliud quam vestram synagogam, & si vixdum natam, omnino tamen interiisse fateris? Desi-

ne igitur, nisi ridiculus haberi vis, ex iis eruditorum hominum scriptis quæ ad Christianorum animos à vitii deterrandos, virtutūque amore inflammandos pertinent, calumniæ occasionem aduersus Romanam ecclesiam arripere, atque vt argumentis saltem probabilibus causam tuā defendere, nō tergiuersari, & diuerticula querere videaris, historiam vel vnam profer, ex tot tantisque veterum scriptorum monumentis, quæ Romanam ecclesiam vlla vnquam ætate in fidei morumque doctrina quidquam innouasse, eaque re à reliquo ecclesiæ Christi corpore defecisse testetur. Quod ni facias, nunquam profecto æquis lectoribus satis te Campiano fecisse probabis. Hoc enim à te ille petit, hoc susceptæ disputationis ratio flagitat, vt vel mutationem hanc, defectionemque historia teste ostendas, vel nullam esse factam concedas. Neque enim credibile est tot tantisque ecclesiasticos scriptores tanta diligentia prophanas omnes hærefum nouitates obseruasse, earumque non origines modo, primosque authores, verum etiam progressiones, incrementa, adeoque fines ipsos atque interitus literarum monumentis commendasse, & tamen ex innumeris penè dogmatibus, quæ vos innouata esse contenditis, vnum quidem vel leuiter attigisse. Atque vt faciliorem tibi hanc viam ille redderet, ætates aliquas breuiter recēfuit, quibus puram Romanam

næ

næ ecclesiæ, synceramque fuisse fidei morumque doctrinam, ne vos ipsi quidem negare potestis. *Dant nobis (inquit) aduersari, neque aliter possunt, fuisse romanam ecclesiam aliquando sanctam, catholicam, apostolicam: tum cum hæc à Paulo promeruisset elogia: vestra fides annuntiat in vniuerso mundo, &c.* Quo tu loco cum negare quod dicitur minime audes, morè tuo rem alio abducis, & quæ paulus Romanæ ecclesiæ elogia tribuit, cum aliis etiam ecclesiis illi communia fuisse pro magno affirmas. *Id vero damnus (inquis) & tum fuisse sanctam, quando Paulus eius præclaras illas laudes prædicauit, quarū tu meministi. Quanquam ista quæ recitas elogia non ad illam vnicam pertineant ecclesiam, sed aliis etiam data sunt.* Quasi verò vel hoc adeo obscurum sit, vel ad institutam disputationem quicquā pertineat. Addit deinde Campianus. *Et tum sanctam fuisse, catholicam, apostolicam, romanam ecclesiam, cum in ea quondam babylone, collectam ecclesiam Petrus regeret.* Cui tu, *Neque id negamus (inquis).* Et tamen, homo leuissime, paucis lineis interiectis neque Romæ hic à retro significari, neque omnino petrum Romæ aliquando fuisse concedis, *Hic à Petro (inquis) Romanam significari non tam facile adducor vt dare velim?* Dedit hoc tamen te multo præstantior & in scripturarum sensu inuestigādo acutior ecumenius, dedit hieronymus, dedit Eusebius, dedit denique Terrullianus, vt alios omittā, quorū interpretationē tuis sōniis nemo pru-

Hier. in catal. accumenius in hūc loc. petri & terrul. lib. 3. contra Marcionem. Eusebius.

Cc

dens non facile anteponet. Nam quod ais, necdum vnquam ostēdere catholicos potuisse Romæ fuisse Petrum: eadem certē fronte dixisses, neque Romulum ipsum, Romanæ licet vr̄bis conditorem, neque Iulium Cæsarem, aut Pompeiũ, aliumue ex regibus, consulis, aut imperatoribus aliquem Romæ aliquando fuisse, euinci à quoquam posse. Vtrumque enim historiarum monumentis eque dignis fide cōstar, neque vllis argumētis euinci hoc poterit, quorum paribus, si robur spectes, alterum non euincimus. Etenim si Clemētis auctoritatem reiciis, qui in epist. ad Iacobũ fratrem domini ita scribit, Petrus apostolorum primus obscuriorē occidentis mundi plagam, velut omnium potentior illuminare p̄ceptus, regem omnino seculorum per orbem terrę vsque ad ipsius vr̄bis Romæ notitiam, vt etiam ipsa saluaretur inuenire: si Cyprianum non audis, Romanam ecclesiam Petri cathedram, petri locum, appellan- tem: si Eusebiũ & dorothēum contempnas qui Linũ primũ post Petrũ romanę ecclesię episcopatũ sortitõ accepisse testantur: si Epiphānio fidem non adhibes, qui primos romę petrũ ac Paulũ apostolos fuisse, eosque episcopos ait: si Optato non credas, qui aduersus parmenianum, Negare (inquit) non potes scire te petro primo cathedrã episcopalem esse collatam: si Hieronymo, qui petrum ad expugnandum Symonem Magum Romam per-

Clemens
epist. 1.

lib. 1. epist. 3
& li. 4. epist.

2.
Eu. lib. 3. ca.
4. & cap. 14.
& 15. Dor. in
Synopsi.

Opt. lib. 2.
cōtra Parm.

Hierõ. in ca-
talog. & in
epist. ad Da.

rexisse ait, ibique 25. annis cathedram sacerdotalem tenuisse, & damasum papam romanam piscatoris. i. petri successorē appellat: si Irenæo denique, si Tertulliano, si Prospero, si August. si Ambrosio, si Leoni, si Gregorio si Prudentio aliisque plurimis huius rei grauissimis testibus, nihil tribuendum putes, vt de publica voce, locisque ipsis Romanę vr̄bis nihil dicam, quæ etiamnum vitæ mortisque petri testimonium perhibent: quid erit quæso in historia tam testatum, tam communi omnium temporum consensione receptum, atque firmatum, quod non quiuis pro arbitrio in quæstionem denuõvocare poterit? nisi forte Titum Liuium, Plutarchum, Salustium, Dionem, Appianum Alexandrinum, Dionys. halicarnass. aliosq; id genus ethnicos, meliori quàm Christianos fide historiam scripsisse putes. Ludis deinde in babylonis nomine, & quasi oportunitate caninæ tuæ facundiæ exercendæ locum nactus Romanæ ecclesię impudentissimè tribuis, quod apostolus Petrus, & in Apocalypsi Ioannes, non nisi de vr̄be ipsa Romana à fide Christi adhuc abhorrente, & Christianos persequente dixit. Quo sane tempore Tertullianus Babylonem ait apud Ioan. in Apocalypsi portasse figuram Romanæ vr̄bis, & ob magnitudinem & ob monarchiam, & quia non minus tunc persequetur Christianos, quàm olim Iudeos babylon, vnus dei cultum profitentes. Quæ sanè ro-

Prudent. in
hym. S. Lau-
& de cor.
Tertull.
contra Mar-
& de præc.
Amb. orat.
contra Au-
xen. Aug.
lib. 1. contra
Iulianũ pe-
lag. Iren
lib. 3. cōtra
valent. cap.
3. Dionys.
epist. ad Ti-
moth.

Lib. contra
iudeos &
lib. 3. contra
Marium.

manæ ecclesiæ, cuius tunc perexigua erant in ea vrbe fundamenta adhuc posita, cōuenire non poterant. Sed iam de sequentibus aliquot atatibus, quæ tua sit sententia audiamus. Ac ingenuè tu quidē fateris Romanam ecclesiam præstantem Christi ecclesiam tunc fuisse cū, vt Campianus dixit, Clemēs sederet ad gubernacula, cū profani Cæsares pontifices laniarent. Verum cū ad Damasum, Syricium, Anastasium, Innocentium, Romanos etiam pontifices ventum est, pedem sistis, & nimium celeriter Cāpianum ab illis ad istos, non descendere, sed desilire ais. Quasi verò non eadem celeritate tuus ipse Calvinus vtatur. Nihil enim hic aliud Campianus fuit, quàm quod à Caluino liberaliter concessum est. Cuius hac de re apertior est lōgè confessio quàm vt in alium à te sensum torqueri possit. *Cum extra controuersā esset (inquit) nihil à principio vsque ad illam atatem (de atate etiam Augustini loquitur) nouatum fuisse in doctrina, sumebant quod omnibus nouis erroribus conficiendis sufficeret: illos oppugnare doctrinam ab ipsis vsque apostolis constanter, & unanimi consensu retentam. Quæ tu præceptoris tui verba plumbeo certè acumine, ita interpretaris, vt eum dixisse neges quod disertissimis etiam verbis affirmat. Nihil à principio (inquit Calvinus) vsque ad illam atatem nouatum fuit in doctrina. Tu verò interpretes subtilissimè. Non id ait Calvinus (inquis) nihil in vlla omnino parte*

Lib. 4. cap.
2. num. 5.

te, fidei mutatum fuisse. Non id ait Whitakerus? quid igitur ait? an fortè aliud est nihil in doctrina nouatum fuisse, aliud verò nihil in vlla omnino parte fidei fuisse mutatum? vereor equidem ne, vt estis nouarum rerum cupidissimi, non modò nouam nobis ex lacu Lemanno Theologiam aduexeritis, verum etiam nouam quoque grammaticam alicubi cudaris, in qua aliud nouatum, aliud mutatum significet, aliud pars fidei, aliud doctrina fidei, arque ita deinceps. Dixerit ergo Calvinus (si placet) nihil fuisse nouatum in doctrina, simulque non dixerit: sic enim tu exponis. At quid dicere saltem voluerit, quidue suis ille verbis intellexerit explica. Hoc sibi Calvinum voluisse respondes. *Patres isto successione argumento nunquam esse vsos nisi in iisdumtaxat causis in quibus nihil inuersum fuisse constabat.* Præclare profectò magistri tui sententiæ assequutus, vt cum ille in genere dixerit, nihil in doctrina fuisse nouatum, tu eum dicere facias nihil saltè in vlla doctrinæ parte tū cōtrouerfa mutatum fuisse. Sed nihil hac interpretatione frigidius, nihil à patrū illorū sententiā, de quibus Calvinus agebat alienius. Nō enim illi hoc perpetuæ successione argumento in vna tantū, aliaue fidei causa vsi sunt, vt (verbi gratia) contra Manicheos, aut Donatistas Augustinus, contra Valentinianos Irenæus, sed illud in genere contra omnes omnino

Tertul. de
prescrip.
vincent.
contra her.

hereses firmissimum esse docuerunt. Atque
vt nihil hoc loco de aliis dicam, Tertullia-
nus certè, & Vincentius Lyrinenfis, cum nul-
lam sibi certam heresim refutandam sum-
pserunt, sed quibus potissimum armis aduer-
sus omnes esset pugnandum docere instituis-
sent, cogendos esse omnes hereticos aiunt, vt
successionem suam ab apostolorum etate ad
sua vsque tempora ostendant. Stupidum er-
go Caluinum facis, qui quomodo patres hoc
successionis argumento aduersus hereticos v-
tèdū censuerint, minimè intellexerit, neque
stupidum modo, verum etiam mendacem.
Quod enim apertius esse mendacium potuit,
quā patres nunquam successionis argumento
vfos esse, nisi in iis duntaxat causis, in quibus
nihil inuersum fuisse cōstabat? Atque vt alios
hereticos hic preteream, quibus pene om-
nibus familiare admodum fuit catholice ec-
clesiæ, à qua ipsi defecerant, apostasiam si-
ue à fide defectionē obiicere, hoc certè dona-
tistis in ore fuisse frequentissimū nemo igno-
rat, vt ecclesiam catholicam apostatasse di-
cerent, & cum alylo Romuli eam compara-
rent, quemadmodū & Luciferiani de ecclesia
factum esse lupanar aiebant, verum hanc de
apostasiam controuersiam, nulla re alia me-
lius, quàm ipsa succedentium sibi inuicem
episcoporum seriè iudicari posse catholici do-
cuerunt. Atque legitimam sibi iam inde ab
apostolis successionē suppetere ostendebant,

Aug. lib. 2.
cōtra Cref.
cap. 13. Aug.
etiam li. de
agone Chri.
cap. 29 &
in li. de vni-
tate contra
Pétil. Hier.
contra luci-
ferianos.

Donatistis verò nullam superesse, quòd non
possent episcoporum suorum origines vs-
que ad Petri cathedram edere. Tantum igitur
abest vt nunquam patres hereticos suc-
cessionis argumento premerent, nisi in iis cau-
sis in quibus nihil fuisse mutatum extra con-
trouersiam erat, vt etiam ad hanc ipsam de
mutatione facta controuersia finiendam suc-
cessionis argumentum contra Donatistas in
medium atrulerint. Tandem verò, vt de ea
Romanę ecclesiæ etate aliquid dicere videa-
ris, quā Damasus, Syricius, Anastasius,
Innocentius, apostolicum clauum rexerunt.
*Quod ad horum (inquis) pontificum etatem at-
tinet, & si Romanā ecclesiam tum fuisse Christi veram
ecclesiam concedimus, tamen illos nihil ab euangeli-
ca doctrina digressos esse, nec tibi Caluinus concessit
vquam, & nos magnoperè reclamamus.*
Veram igitur Christi ecclesiam esse fateris,
quæ ab euangelica doctrina digreditur atque
aberrat, quo quid dici absurdius potest? qua-
si sine euangelica doctrina Christi esse eccle-
sia possit: nisi forte partem tu aliquam do-
ctrinæ euangelicæ sufficere putes, etiam si to-
rā non teneat, vt vna quidem parte catholi-
cam, altera hereticam Christus ecclesiam
habeat. Semiuiumque bouem, semibo-
uèque virum. Ac vide obsecro quā tibi belle
cum Caluino conueniat, cuius hic doctrinam
tam strenuè defendis. Nullam ille doctrinæ
mutationē hac etate, ne in Romana quidem

ecclesia aliifue factam afferit. Tu Romanos pontifices à doctrina euangelica tunc sine dubio manifeste aberrasse ais. *Mittam alios* (inquis) *Syricius iste palam à doctrina euangelica in eo deflexit, quod verbi ministros perpetuò cœlibatus laqueo astrinxit, neq; ista leuis diuersio fuit, sed sine dubio manifesta ab apostolica doctrina aberratio.* Fallitur ergo, te iudice, præceptor tuus, cum Syricij ætate nihil in Romana ecclesia innouatum dicit, miraris fortasse quod dico, neque in tuis illis Caluini institutionibus, cū de mutatione differitur, Romanæ ecclesię mentionem fieri vllam legis. Sed non ignoras illius hoc opus toties ab illo inuertum, toties cūsum atque recusum, vt si cum primis exemplaribus mœdia, cum medijs vltima conferantur, Proteo quouis mutabiliorem Caluinum meritò dixeris. Nam cum multa initio inaperitissimè, multa suæ ipsius doctrinæ non satis consentaneè effutuissert, paulatim ea, vel penitus expungere, vel nescio quibus verborū inuolucris, tegere atque obscurare coactus est. Cuius rei si exēplū petas, hūc ipsū tibi de quo nunc agimus locū profero. In illo enim institutionū opere quod Gebennæ per typographum quondam suum Corradum Badium Gallicè edidit anno 1562. disertis sanè verbis nullam neque Romæ, neque in alijs vrbibus doctrinæ mutationem factam afferit. *C'estoit vne chose notoire & sans doute, dit-il, que depuis l'age des Apostres, jusques*

à leur temps il ne s'estoit fait nul changement de doctrine, ny à Rome ny aux autres villes. Quam, ille veritatis confessionem cum suæ causæ minus esse commodam animaduertisset, Romanæ ecclesiæ nomen, veluti cœntior factus, postea suppressit. De Syricio verò pontifice Damasi successore, cuius tu canonem de sacerdotum cœlibatu laqueum appellas, etsi quod satis est iupra respondisse videor, illud tamen hic addam, minimè mirum esse, si sectæ mollis ac voluptariæ homines, quidquid ad cohibendam carnis libidinem & christianæ vitæ perfectionem augendam pertinet, tanquam laqueum fugiant. Nam quod hunc pontificem istius legis authorem facere videris, est quidem hic error, vt turpissimus, ita cum multis tibi præceptoribus tuis communis, quem nōdum esse à te deprehenū equidem vehementer mirarer (tot presertim tantisque catholicorum argumētis abundè confutatum) nisi ex eorum te esse numero satis iam compertum haberem, qui in Lutheri, Caluini, aliorumque id genus hominum verba ita iurauerunt, vt cum illis hæreticis errare, quam cū catholicis vera dicere malint. Certè si veteris ecclesię monumenta paulo diligentius euoluisses, sacerdotum cœlibatum multis ante Syricium annis rem in ecclesia vsitatissimam, & ab ipsis apostolorum temporibus receptissimam fuisse non ignorasses. Etenim vt antiquissima concilia, pontificūque illorum,

qui Syricium antecesserunt decreta præterea, que quoties de cœlibatu in Latina præsertim ecclesia loquuntur, nihil se nouum statuere, sed consuetudinem longo iam aliquot seculorum vsu receptam instaurare satis indicant: apertissimus est Carthaginensis synodi canon, qui rem hanc inter apostolicas traditiones disertè recenset. Quod apostoli (inquiunt patres) docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoq; custodiamus. quin & Clemes ipse Romanus pontifex, Petri discipulus ac successor, in ea quam ad Iacobum fratrem domini scripsit epistola, nihil se aliud de cœlibatu præcipere, quàm quod apostolica traditione didicisset, clarissimè ostendit. Quare nihil aliud Syricius quàm collapsam in quibusdã ecclesiis cõtinentiæ ecclesiasticæ disciplinam restituit, pœnisque ecclesiasticis præscarum constitutionũ violatores coercendos statuit. Ac ne apud Græcos quidem ipsos, quibus Romani cõtinentiæ laude longe superiores semper fuerunt, sacerdotes vxoribus quas ante sacerdotium duxerant vti cõsueuerunt. Hunc enim Epiphanius apostolicum esse canonem ait, & ad sua vsque tempora, in iis locis vbi ecclesiastica vigeat disciplina diligenter obseruatum, quo coniugij vsus, etiam iis interdicebatur qui priusquam ordinarentur matrimonium contraxerunt. Hinc Hieronymus qui Syricij certè ætate vixit, aduersus Vigilantium clericorum cœlibatum vestro

Carthagen.
synod. 1.
can. 2.

Epist. ad Iacob.

Heref. 59.

more improbantem, antiquissimum hunc ecclesiæ morè pro argumèto affert. Quid (inquit) facient orientis ecclesiæ, quid Ægypti & sedis apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si vxores habuerint, mariti esse desistunt? Sed ab apostolica doctrina aberrare tibi videntur, qui cœlibatus legem ecclesiasticis viris seruandam putant. Possem equidem vno verbo respondere, longè aliam fuisse tot sanctorum conciliorum, tot summorum pontificum, tot antiquissimorum Patrum sententiam, qui multo quàm tu rectius quid apostolicæ doctrinæ congruat, quidue repugnet, intellexerunt. Verum scripturas ipsas quibus hanc legem contrariam esse putas, breuiter attingã. Ac primùm quidem, quod ad Timotheum scribit Paulus, in nouissimis diebus discessuros quosdam à fide, qui inter cæteras dæmoniorum doctrinas, etiam nubere prohibebũt, ad hunc de quo agimus sacerdotum cœlibatum omnino non pertinet. Vt enim præclare beatus Aug. Manichæis olim, patribus in hac re vestris, hunc ipsum locum contra virginitatem citantibus, respondit. Ille prohibet nubere, qui hoc malum esse dicit, non qui huic bono aliud melius anteponeit. Quis verò vnquam Catholicus malas esse nuptias affirmauit? Manichæos igitur, gnosticos, Encratitas, Tatianos aliõsque id genus hæreticos Paulus cauendos docet, qui nuptias vt malas

Contra vigilantium.

diuinisque legibus contrarias damnabant, non catholicos, qui nulli vnquam libero homini nuptiis quod malæ essent, interdixerunt. Verum cum matrimonio virginitatem Paulus ipse longissime præferat, vt diuino cultui maxime accommodam, quid mirum si ex apostolica traditione ecclesia obseruet, vt qui se totos Deo dicarunt, quo diuinis muneribus liberius vacare queant, expertem coniugij vitam degant: Quod certè munus cum nemo suscipere inuitus cogatur, impudentissima est illorum calumnia, qui ecclesiasticam de cœlibatû legem, christianæ libertati contrariâ dicunt. Non enim ecclesia quemquam à nuptiis arceat, etiam si castos esse ministros suos, atque ab vxorum commercio alienos velit, qui dum ecclesiastica subire munera nõ coguntur, neque virginitatem his ab ecclesia annexam seruare iubentur. Quemadmodum nec ciuilia iudicia prohibet, cum vt illis abstineant, ecclesiasticis ministris præcipit, nisi forte Magistratus aliquis mercaturam tanquam noxiam prohibere censendus est, qui ne eam iudex exercent, tanquam officio suo minus commodam mandat. Iam quod honorabile coniugium in omnibus idem Paulus pronũtiat, et si ad res potius quam ad personas spectare videtur, vt nihil in matrimonio non laudabile, Deoque gratum esse dicat, tamen vt de hominibus etiam intelligatur, nemo ad eò cæcus est qui non facile vi-

Ad hebr 13.

deat Paulo indice maiorem cœlibatus quam coniugij honorem censeret. Quamobrem qui vt expeditius Christum sequi, diuinisque rebus maiore nauare operam queat, cœlibatû Deo libere vouet, is nihil profecto de matrimonij honore detrahere, sed suadente Paulo præstantiora amplecti dicendus est. Quod si tibi animus tanto virginitatis odio flagrat, vt honorabile coniugium etiam in iis existimes qui post votam Deo virginitatem ad nuptias conuolant, Chrysostomum audi, hunc ipsum apostoli locum explicantem. Bonum quidem nuptias & ipse confiteor, honorabiles, inquit, nuptiæ, & cubile immaculatum, fornicatores autem & adulteros iudicabit Deus. Sed te iam (ad monachum lapsum scribit) seruare non conuenit priuilegia nuptiarum. Angelorum enim societati semel iunctum, illam relinquere, & vxoris laqueis implicari, adulterij crimè incurrere est. Quæuis frequenter hoc ipsum nuptias vocas, ego tamen & adulterio illud tãto peius affirmo, quanto maior ac melior mortalibus angelus. Neque vllus tibi fortè persuaserit dicens. Nihil de non accipienda vxore dominus præcepit. Nec me ignorare confiteor, quod adulterium interdixit, non nuptias veruit, verum in te adulterij nomen accipiet, si volueris vnquam, quod absit, nuptias cogitare, &c. Atque vt illud repetam inquit, quod in principio posui epistolæ: si militiæ vincula non teneret,

Epist. 6. ad Theodor. lapsum.

„ quis tibi desertionis crimen obiiceret? nunc
 „ nihil in te penitus tui iuris est, quippe qui tā-
 Lib. 1. cōtra
 Iouinian. ro imperatori militare cepisti. Eadē est Hie-
 ronymi sententia. Si nupserit virgo (inquit)
 „ non peccauit, non illa virgo quæ semet Dei
 „ cultui dedicauit: harū enim si qua nupserit,
 „ habet damnationē, quia primam fidem irri-
 „ ram fecit. Virgines enim quæ post consecra-
 Lib. de vera
 uirginitate. tionem nupserint, non tam adulteræ sunt,
 „ quàm incestæ. & Basilius, cum virginitatem
 „ (inquit) Deo professæ sint, carnali postea
 „ voluptate malè blanda delinitæ ac deuitæ
 „ stupri scelus honesto coniugij nomine obtē-
 De bono
 duitatis
 cap. 8. gere cupiunt. Quid Augustinus: Proinde, quæ
 „ se non continent nubant (inquit) antequam
 „ continentiam profiteantur, antequam Deo
 1. Timoth.
 5. voueant, quod nisi reddant, iure damnantur:
 „ alio quippe loco de talibus dicit apostolus,
 „ Cū enim in deliciis egerint in Christo, nu-
 „ bere volunt, habentes damnationem, quoniā
 „ primam fidem irritam fecerunt .i. voluntatē
 „ ad nuptias, à proposito continentiaē deflexe-
 „ runt, irritam quippe fecerunt fidem, quam
 „ prius vouerant, quam perseverantia implere
 Cap. 9. noluerunt. Et rursus. In coniugali vinculo,
 „ si pudicitia conseruatur, damnatio non time-
 „ tur, sed in viduali, & virginali continentia, ex-
 „ cellentia muneris amplioris experitur. Quā
 „ expetita & electa, & voti debito oblata, iam
 „ non solum capessere nuptias, sed etiam si non
 „ nubatur, nubere velle damnabile est. Nam vt

hoc demonstraret apostolus, non ait, Cū in
 „ deliciis egerint in Christo, nubūt, sed nubere
 „ volunt. Habētes, inquit, damnationem, quo-
 „ niam primam fidem irritam fecerunt, et si nō
 „ nubendo sed tamen volendo. I iam cum tuo
 Caluino, & oblatum Deo cōtinentiaē votum
 apostolicæ doctrinaē repugnare clamata. Ac
 vt finem aliquando faciam, cū nihil hic lo-
 cus aliud postularer, quàm vt errores à Ro-
 manis pontificibus in ecclesiam inuectos, &
 recepta iam olim Gebennensis vestrae Syna-
 goga dogmata historia teste recenses, tu,
 & si omnes ingenij neruos contenderis, neu-
 trum tamen præstare potuisti, nulli vt dein-
 cept dubium esse queat omni vos historia-
 rum luce carere: & quidquid in iis lucis est
 atque splendoris, non nisi ad Romanam ec-
 clesiam illustrandam pertinere. Et tamen,
 quæ tua est impudentia, audes dicere, vt Sam-
 nium olim in ipso Samnio inueniri non po-
 tuit, ita Romanam ecclesiam in ipsa ecclesia
 Romana inueniri omnino non posse: ne-
 que te pudet, à re tam dissimili similitudinem
 aucupari. Samnium enim qui subuerterint,
 & quando, & quot cladibus datis atque ac-
 ceptis funditus tandem deleta sit Samnitum
 respublica, tanta veteres historici diligentia
 posteris testatum reliquerunt, nihil vt am-
 plius iure à quoquam desiderari possit. Et-
 enim vt Tirum Liuium, Appianum, Plutar-
 chū reliquosque Romanæ historiæ scriptores

lorus lib. penè innumeros omittam, ille ipse qui Sam-
 nium hodie in Samnio requiri dixit, torius
 rei gesta ordinem perspicua admodum bre-
 uitate recensuit. Descripta enim eleganter
 Campania eiusque vrbibus, mox addit. Pro
 hac vrbe, iisque regionibus populus Roma-
 nus Samnitas inuasit, gentem, si opulentiam
 quaras, aureis & argenteis armis, discolori
 veste vsque ad ambitum armatam, si insidia-
 rum fallaciam, saltibus ferè & montiù frau-
 de grassantem, si rabiem ac furorem, sacras
 legibus, humanisque hostiis in exitium vrbis
 agitaram, si pertinaciam, sexies rupto fœde-
 re, cladibusque ipsis animosiores. Hos tamè
 quinquaginta annis per Fabios & Papyrios
 partes eorumque liberos ita subegit ac do-
 muit, ita ruinas ipsas vrbium diruit, vt hodie
 Samnium in ipso Samnio requiratur, nec fa-
 cilè appareat materia quatuor & viginti triu-
 phorum. Tu si tot triumphos de Romana
 ecclesia recensere posses, nò iniuria profectò
 illius ruinas cum Samnio comparares. Sed
 tantum abest vt hoc facias, nulla vt vnquam
 hæresis hanc ecclesiam oppugnarit de qua
 triumphum illa non egerit. Quod nos sanè
 non incertis, vt tu, coniecturis, sed certissimis
 omnium historiarum monumentis facilè hic
 ostenderemus, nisi latere hæc res eos nò pos-
 set, qui vereres aliquando historias euolue-
 runt. Quis enim ignorat, quod de Donatistis
 à Melchitade Romano pontifice damnatis
 tuus

tuus quantus est Augustinus scripsit? quod Hiero. con-
 de Iouiniano Hieronymus? Ille, inquit, Ro- travigilant.
 manæ ecclesiæ autoritate damnatus, inter
 phalides aues, & carnes suillas, non tam emi- Prosper. in
 sit spiritum, quàm eructauit. Atque vt alia car. de in
 pene innumera præteream, quia Britanno gratis,
 mihi cum homine etiam Britanno negotium
 est, recordare quæso whitakere, quid de Pe-
 lagio quondam Britanno Prosper Augustini
 discipulus scripserit.

*Dogma quod antiqui satiatum felle draconis
 Pessifero vomuit coluber sermone Britannus
 & Paulo post.*

*Talia cum demens latè diffunderet error,
 Commentisque rudes traheret lethalibus aure.,
 Adsuit exhortante deo promissa per cybem,
 Sanctorum pia cura patrum, non dispare motu,
 Conscieus diros iaculis celestibus hostes,
 Isdem namque simul decretis Spiritus vnus
 Intonuit: pestem subeuntem prima recedit,
 Sedes Romæ Petri, quæ Pastorale honoris
 Fæta caput mundo, quidquid non possidet armis,
 Religione tenet.*

Iudicent ergo Academici quàm tu ineptè,
 quàm fallò de Romana ecclesia vsurpari il-
 lud posse dixeris, quod de quodam in epi-
 grammate scriptum est: In Roma Romæ nil
 reperit media, quantoque maiori iure nos il-
 lud vsurpare possumus, quod nò leuis aliquis

in epigrammate poeta, sed ille olim,
Hebreo, simul & Graeco, Latineque uenustus
Eloquio, morum exemplar, mundiue magister,
 eleganter scripsit.

Quid saluum est si Roma perit?

Roma, inquit, ut idem ait, urbs potens, vrbs orbis domina, vrbs apostoli voce laudata: quæ susceptam semel Christi fidem tanta semper constantia renuit, ut quamuis eodem tu quo ueteres quondam hæretici, odio percitus, tuorumque Magdeburgensium opera adiutus, nihil intentatum reliqueris, quo defectionis vestigium aliquod in ea obseruares: nihil tamen in hac causa promoueris, ut uerissime hanc esse ecclesiam Cyprianus dixerit, cuius fides apostolo prædicante laudata est, & ad quam perfidia non possit habere accessum. Atque hæc de historia. Ex quibus quanto iustiore, quam tu uictoriæ spem Campianus conceperit, æquus lector facile iudicabit.

Epist. 55.

OCTAVA RATIO.

Hic ergo uerò, præstantissimi uiri, cum de multis hæresibus, quædam apud me opinosissimorum portenta reputo, quæ mihi uenient expugnanda: me ipsum inertiam uiciorumque condemnam, si cuiusquam in experiendo facultatem aut vires extimescerem. Sit ingeniosus, sit eloquens, sit exercitatus, sit omnium librorum helluo, tamen aridus & balbus appareat necesse est, cum hæc tam ad ueritatem sustinetur. disputabitur enim, si forte nobis annuent, de Deo, de Christo, de Homine, de Peccato, de Iustitia, de Sacramento, de Moribus. Videro an ausint adseruare quæ sentiunt, quæque rebus additi necessariis diuulgant in scriptiunculis. Faxo, norint ista suorum axiomata:

Deus est auctor & causa peccati, uolens, suggerens, efficiens, iubens, operans, & in hoc impiorum scelerata consilia gubernans. Proprium Dei opus fuit, ut uocatio Pauli, sic adulterium Dauidis, Iudæque proditoris impietas. Monstrum hoc, cuius Philippum aliquando puduit, Lutherus, tamen a quo Philippus hauserat, quasi oraculum celeste miris extollit laudibus, & alumnum suum eo nomine tantum non exequat a Apostolo Paulo. Percontabor etiam quid animi Lu-

D d ij

Paradoxa.

De Deo.

a Cal. Inff

1. cap. 18. lib. 3.

2. ca. 4. lib. 3.

ca. 23. & 24.

Pet. Mar. in

1. Sam. 2,

bimclanct. an

no. in cap.

Ro. 8. v. vii

rem. 1524.

c Sic docet

Lut. in asser.

36 & in re-

sa ass. 36 Et

in lib. de ser-

uo arbitrio.

d Lutherus

Præfatio. in

annotatio.

Philipp. in

epi. ad Rom.

a In *Apol.* therio fuerit, quem Angli *a* Calviniani *virum*
Ecc. Aug. *diuinitus datum ad orbem illuminandum* pronun-
b vide *encl.* ciant, cū hunc versum demeret *b* supplica-
pre. an. 15 43. tionibus Ecclesie, *Sancta Trinitas vnus Deus*
miserere nobis.

Mox ad personam Christi progrediar.
 De Christo. Quæram ista sibi quid velint. Christus Dei
 filius, Deus de Deo, Caluino *c*, Deus ex se-
c. Calu. Inst. se: Beza *d*, non est genitus de Patris essentia.
li. i. cap. 13. Item. Duæ constituantur in Christo vniones
num. 23. 24. d Beza *h*es. hypostaticæ *e*, altera Animæ cum carne, Di-
c. Beza con- uinitatis cum humanitate altera. Locus apud
tra. Schmid. Ioannē, *Ego & Pater vnus sumus.* Non ostendit
li. de unit. Christum deum homoousion *f* Deo Pa-
Hypost. dua. tri. Sed & *anima mea*, inquit Lutherus *g*, *adit*
in Christ. hoc verbum homoousion. Pergite. Christus ab
nat. infantia non fuit gratia consummatus *h*, sed
f. Cal. in Ro. animi dotibus velut cæteri homines, adole-
10. v. 30. uit, vsu factus quotidie sapientior, ita vt pue-
g Luth. co n. rulus i ignorātia laborarit. Quod perindē est
Latom. ac si dicerent originis labe & vitio sordida-
h Bucc. in tum. Sed cognoscite diriora. Christus cū
En. 2. Cal in orans in horto, sudoribus aquæ manaret &
bar. eu. 11. sanguinis, sensu damnationis æternæ co-
i Luc. Loff. horruit *k*, vocem edidit sine ratione, sine
Hen. Melac spiritu, vocem doloris impetu repentinam *l*,
in Euan. do. quam, vt non satis meditatam, celeriter ca-
K Martor in stigauit. Est ne aliquid amplius? Attendite.
Ma. 26. Christus cum actus in crucem exclamaret,
l Cal. in bar, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?*
auang. *Accensus est flammis in inferni, desperatio-*
m Brenti. in
luc parte. 2.

nis vocem emisit *c*, non aliter affectus, quā
 si pereundum ei foret internecone sempiterna. His etiam si quid possunt, addant.
 Christus, inquit, descendit ad inferos, id est, Mortuus Gehennam gustauit *d*, nihilo
 minùs quā Animæ damnatorum, nisi quod
 sibi restituendus erat. Quandoquidem enim
 morte corporea nihil nobis profuisset, *e* Ani-
 ma quoque luctari cū morte debuit æter-
 na, atque hoc modo nostrum scelus suppli-
 ciumque dependere. Ac ne quis fortē suspicetur
 istud Caluino per incuriam obrepisse, idem
 Caluinus omnes vos, *si qui doctrinam istā*
solatii plenam exagistis, perditos appellat *ne-*
bulones. Tempora, tempora cuiusmodi mon-
 strum aluistis? Cruor ille delicatus & regius
 qui de innocentis Agni corpore lacerato fis-
 soque scaturit, cuius cruoris vna quæuis
 guttula, propter dignitatem Hostiæ, mille
 mundos redimere potuisset, nihil humano
 generi profecit, nisi *mediator Dei & hominum a-*
bno Christus Iesus *b* mortem quoque *secundam*,
 mortem animæ, mortem gratiæ, peccati foli-
 us & exitiabilis blasphemie sociam pertu-
 lisset? Præ hac insania modestus videbitur
 Bucerus, quanquam est impudens, qui infer-
 num in symbolo *c*, sepulchrum accipit, per
 Epexegelin valdē præposteram, ac potius
 Tautologiam ineptam atque stolidam. Ang-
 licanam sectarij, pars Caluino, Idolo suo, pars
 D d iij

hom. 65. &
in Carachis.
anno 1551.
Et in 10. bo.
54.
c Cal. in bar,
eu. In eand.
senten. Loff.
in Mar. 26.
d Schmideli.
cont. de pass.
Et cæna domi
ni. Acpmus
commen. in
psal. 16.
e Cal. Inst li.
2 cap. 16. nu.
10. 11.
Bren. in Ca-
tech. anno.
1551.
f Cal. Inst. li.
2. ca. 16. nu.
12.
a 1: Tim. 2. v.
5.
b Ap. 1. v. 11.
c Bucerus in
Mat. cap. 26.

Bucero, magno magistro solent accedere pars etiam submurmurāt in hunc articulum, ne quid facessat vltra molestie, quē admodum sine tumultu penitus eximatur de symbolo. Id verò etiam fuisse tētatum in conuenticulo quodam Lōdinenſi, memini narrare mihi qui interfuit Richardum Chenium, miserrimum senem, malè mulctatum à latronibus foris, neque tamen ingressum in paternam domū. Haecenus de Christo.

De Homine d quid? Imago Dei penitens in homine delera est, nulla boni scintilla superſtite: rota natura quoad omnes Animarum partes ita funditus euerſa, vt ne renatus quidem & sanctus quicquam sit aliud intrinsecus, nisi mera corruptio & atque contagio. Quorsum ista? Vt qui sola fide gloriam rapturi sunt, in omnium turpitudinum cœnovolutati, naturam accusent, virtutem desperent, præcepta deonerent.

Hac Illyricus, Magdeburgensium Primpilus, illud suum adiecit immane placitum de originis peccato, quod esse vult, Intimam substantiam Animarum b: quippe quas, post Adami lapsum, Diabolus ipse procreet, & in sese transformer. Hoc quoque tritum est in hac fece, omnia peccata esse patria c: sed ita (ne Stoici reuiuiscant) si Deo iudice ponderentur. Ac si Deus, æquissimus iudex, oneri nostro cumulum potius quàm leuamentū faceret, & id quod non est in re, quum sit ip-

ſe iuſtiſſimus, exaggeraret. Hac trutina, non leuius in Deum ſeueriſſimè iudicantem deliquerit ille caupo qui gallum gallinaceum, quando non eſt opus, occiderit, quàm infamis ille ſicarius, qui plenus Beza, Gallum Heroa Guiſium, admirabili virtute principem, diſploſa fiſtula clanculum interemit, quo facinore nihil vidit orbis noſter atate noſtra ſuſteſtius, nihil luctuofius.

Sed fortasſe, qui tam ſunt in peccati conditione tetrici, magnificè philoſophantur de diuina gratia, quæ huic malo ſuccurrere ac mederi poſſit. Præclaras vero iſti partes aſſignant gratiæ, quam neque inſuſam cordibus noſtris, neque ad reſiſtendum ſcleribus validam eſſe latrant, ſed extra nos in ſolo Dei fauore & collocant: qui fauor non emendet impios, nec purget, nec illuminet, nec ditet, ſed veterem illam ſentinam adhuc manentē atque ſœtentem, ne deformis & odioſa putetur, Deo conuiuente, diſſimulet. Quo ſuo plasmate tantoperè delectantur, vt ne Chriſtus quidem aliter apud illos b gratia plenus & veritate dicatur, quàm quod ei Deus Pater mirandum in modum fauerit.

Quæ res ergo iuſtitia eſt? c Relatio. Non enim ex Theologicis concinnata virtutibus, Fide, Spe, Charitate, quæ animam ſuo nitore conueſtiant, ſed tantum occultatio delicti, quàm qui ſola Fide prehenderit, ille tam de ſalute certus eſt, ac ſi iam pridem intermi-

De Homine
d Illyr. in vna
Lib. de ori.
pecc. Sacer. de
conf. ve. Eccl.
Æſop. de
imb. & pecc.
Sanct. Kem.
cont. Cenſ.
Col.

a Calui lib.
4. Inſt. cap. 15
ru. 10. Et 11.
De Peccato

b Illyr. in vna
vi. lib. de pecc.
orig. Vide

Hesbuiſi in
epiſt. ad Illir.
An peccatum
ſit ſubſtantia
c Cal. in An.
tid. Conco.
T vidē. Idem
decevat. Vi-
cleſ. apud V-
ald. lib. 2.
de Sacra. cap.

154.
De Gratia.

a Luſb. in ve.
cōtra Louan.

b Buce in Io.
1. v. v. l. inna
ta. Chriſti.

Bren. hon. 12
in Ioan.

c ent. li. ca. 4
De Iuſtitia.

c Hesbuiſius
de Iuſtiſi. in

reſp. ad 115.
obſer. Illyri-

cus in Apolo.
confes. Antu.

cap. 6. de Iu-
ſt. f.

^a Caluinus li nato cæli gaudio *a* fruereetur.

³ Inſtit. cap.

^{2.} nu 28. ^c

^{42.}

^{b.} Matth. 12.

^{v.} 45.

^{Luc} 11. v. 26.

^c Cal. Inſt. li.

³ cap. 2. num

^{40.}

^d L. in herus

^{Lib. de cap.}

^{Babyl.}

^{De Sacra-}

^{mentis.}

Agè, ſomniet hoc: ſed vnde conſtare pote-
rit de futura perfeuerantia, qua qui caruit *b*,
exiuit inſœliciffimus, licet ad tempus purè
piè que Inſtitiam coluiſſet? Irao verò hæc tua
Fides, Caluinus *c* ait, niſi tuam tibi perfe-
ueratiam firmè prænunciet, vt hallucinari ne-
queas, tanquam inanis & languida ſperne-
retur. Agnoſco diſcipulum Lutheri. Chri-
ſtianus, inquit *d* ille, etiam volens, non po-
teſt ſalutem perdere, niſi nolit credere.

Ad Sacramenta feſtino. Nullum, nullum,
non duo, non vnum, ô Sancte Chriſte, reli-
querunt. Ipſorum quippe panis, venenum
eſt. Baptiſmus, eſſi adhuc verus eſt, tamen
ipſorum iudicio nihil eſt, non eſt vnda ſalu-
taris, non eſt canalis gratiæ, non deriuat in
nos Chriſti merita, ſed ſignificatio duntaxat
e ſalutis eſt. Itaque nihilo pluriſ Baptiſmum
Chriſti quo ad naturam rei, quàm Ioannis *a*
fecèrè cerimoniam. Si habeas, rectè: ſi ca-
reas, nihil damni: crede, ſaluus es *b* antequam
abluare. Quid ergo paruuli, qui niſi iuuen-
tur virtute Sacramenti, ſua Fide miſelli nihil
allequuntur? Potiùs quàm Sacramento Bap-
tiſmatis quicquam tribuamus, inquit *c*,
Magdeburgici, demus ineſſe Fidem iſtis in-
fantulis, qua ſeruentur, cuius Fidei pullus
quofdã abditos intelligant iſti, qui viuât nec-
ne nõdum intelligunt. Durum. Sic hoc adeò

^e Cal. Inſt.

^{li. 4. ca. 15. nu.}

² [¶] 10.

^a Cal. lib. 4.

^{Inſt. c. 15. nu.}

^{7. Cen. 1. lib.}

^{1. cap. 10.}

^b Lut. lib. de

^{cap. Bab.}

^c Magd. bur.

^{Cen. 2. [¶] 1.}

^{cap. 4.}

durū eſt, Lutheri pharmacum auditote. Præ-
ſtat, inquit, omittere *d*, quando quidem ni-
ſi credat infans, nequicquam lauatur. Hæc
illi quidem, ancipites animo, quidnam enun-
cient categoricè. Ergo Baltazar Pacimonta-
nus, diribitor, interueniat: qui parens Ana-
baptiſtarum, cum paruulis motum Fidei non
poſſet aſſingere, Lutheri cautiunculam ap-
probauit, & pædobaptiſmum eiiciens è rem-
plis, neminem niſi adultum fonte ſacro de-
creuit abluere. Ad reliqua Sacramenta quod
attinet, quamuis illa beſtia multiceps e hor-
rendas eiectet contumelias, tamen quia quo-
tidianæ iam ſunt, & callum auribus obduxe-
runt, hic prætereo.

Reſtant Hæreticorum de vita & moribus De Moribus
fruſta nocentiſſima, quæ Lutherus euomuit
in chartas, vt ex vnius pectoris impuro gur-
guſtio peſtem lectoribus inhalaret. Audite
patienter, & erubescite, & mihi date veniam
recitanti. Si nolit vxor *a*, aut non poſſit, ve-
niat ancilla. Siquidem res vxoria tam *b*, eſt
cuique neceſſaria, quàm eſca, potus, ſomnus.
Matrimoniu eſt virginitate *c*, multò præſtã-
tius. eam Chriſtus, eam Paulus diſſuaſerunt *d*
hominibus Chriſtianis. Sed hæc fortæſſe pro-
pria Lutheri ſunt. Non ſunt. Etiam nuper à
meo Charco *e*, ſed miſerè timidè que, defen-
duntur. Vultis ne plura? Quid ni? Quantò ſ-
ſclerator es, inquit, tantò viciniore gratiæ. *f*
Omnes actiones bonæ peccata ſunt, Deo iu-
de piſ. Pet.

^d Lut. aduer-

^{ſus Cochl}

^{Item, epiſt. ad}

^{Melanct. To.}

^{2. [¶] in epiſt.}

^{ſol. ad vval.}

^{Anabapti-}

^{ſtæ.}

^e Apoc. 13.

^{v. 1.}

^a Lut. Serm.

^{de Matr.}

^b Idem in lib.

^{de vit. coniu-}

^{gali.}

^c Idem in af-

^{ſer. art. 16.}

^d Idem lib. de

^{uo. mo.}

^e Charc. lib.

^{in Cenſorem}

^{ſuum.}

^f Lut. ſermo.

^{de piſ. Pet.}

g. *Lat. in Af-
ser. artic. 32.*
h. *Idem lib.
de ser. arb.*
i. *Idem ser.
de Moysē.*
Idem. *lib. de
ca. Ba. c. de
Euc.*
a. *Idem in fine
eiusdē cap.*
b. *Idem in af-
sert. ar. 12. et
13.*
c. *Idē de ca.
Ba. in ca. de
ordi.*
d. *Idem doca.
Bab. cap. de
hapt.*
e. *Apolo. Ec-
cles. Angl.*

dice g, mortifera: Deo propitio, leuiuscula.
Nemo malū suapte b voluntate cogitat. De-
calogus nihil i ad Christianos. Opera nostra
Deus k nequaquā curat. Soli rectē participat
cœna dominica, qui tristes, afflictas, perturba-
tas, confusas, erraticas, apportat cōscientias.
Confitenda crimina sunt, sed cuiuslibet, qui
si te vel joco absoluerit, modō credideris b,
absolutus es. Legere preces horarias non est
facerdotum c, sed Laicorum. Christiani li-
beri d sunt à statutis hominum. Satis supér-
que lacunam istam commosse videor. Iam
finio. Nec verò putetis iniquiorem esse me,
qui Lutheranos & Zuinglianos promiscuē
coarguerim. Nam isti memores à quo profe-
minati sint, inter se fratres & amici volūt esse,
adeoque grauem interpretantur iniuriā, cum
in vlla re præter vnam, discriminantur.

Equidem non sum tanti, vt vel mediocrē
locū mihi sumam in selectis Theologis, qui
hodie bellū hæresibus indixere: sed hoc scio,
quantuluscunque sum, periclitari me nō pos-
se, dum Christi gratia fultus aduersum talia
cōmenta, tam inuisa, tam insulsa, tam bruta,
cælo terraque iuuantibus, præliabor.

WHITAKERI. 214
CONFVTATIO RESPONS.
WHITAKERI.



VOD olim de Philosophis
quidam scriptum reliquit,
nihil tam absurde dici posse,
quod non ab illorum aliquo
dictum sit: idem ego in hæ-
reticos optimo iure conue-
nire si antea nesciuissem, satis me *πεπέδδξε*
hæc vestra docuissent. Quæ tu, mirum quāto
studio, quo verborum apparatu, quibus arti-
bus amoliri à secta vestra niteris, neque tamō
efficere potes quin vestri esse euāgelij myste-
ria quæ Campianus Academicis inspicienda
proposuit, omnes clarissimè videant. Arque
vt ab eo incipiam quod summum est, Deum
Basilii negare affirmat eos qui ipsum mali Basif. in
authorem esse asserunt. Hoc vnum esse ex pa- p. fal. 13.
radoxis vestris verissimè Campianus dixit.
Tu verò vt à tam horrendo crimine alienus
videaris. Si Calvinus (inquis) aut Martyr, aut
Philippus, aut quisquam nostrum affermet Deum
esse authorem et causam peccati, non repugno quin
omnes simus horrendæ blasphemiae scelerisque rei.
Ego verò nisi tam horrendæ blasphemiae af- Lib. 1. cap.
fektorem esse Caluinum ostendero, nullam 18. sect. 1.
tantæ calumnie pœnam deprecor, nullam re-
cuso. Quid enim clarius, quid in hanc sentē-
tiā planius ab ipso dici potuisset, quàm cum Lib. 1. cap.
in hunc modum scribit. Absalon incesto cogitu 18. sect. 1.

patris thorum polluens, detestabile scelus perpetrat: Deus tamen hoc opus suum esse pronunciat. Iam si sui quisque operis author est, incesti certe Absalonis author est Deus. Incestum verò natura sua flagitium esse quis negat? Flagitij ergo authorem esse Deum Calvinus docet. Addit & alio loco. Summi autem huc redit, quibus homines vt indomita bestia, nullisque vinculis coercita lasciuiant, arcano tamen frano gubernari, vt ne digitum quidem mouere queant nisi ad exequendum Dei magis quam suum opus. Cernis, opinor, Caluino iudice, impium hominem in exercenda impietate, Dei potius quam suum opus facere. Si igitur impietatis author est homo impius, quis non facile intelligit ex Caluini sententia, Deum potius impietatis authorem esse censendum, cuius opus esse impietatem ipsam magis quam ipsius impij affirmat? Denique diabolum, ait Calvinus, quando homines ad peccandum mouet, Dei potius instrumentum esse, quam peccati authorem: & rursum Deum eadem planè in nobis operari, quæ Sathanas operatur, sed alio fine. Deum non tantum permittere (hoc enim ille irridet) sed velle peccatum, mouere, impellere homines vt peccent. Hæc vt Caluini tui blasphemia sunt dogmata, ita à Castalione quantumuis hæretico multò ante Campianum iure optimo obiecta fuere. Cui Beza tuus vt respondeat, & si nullum nõ lapidem moueat, ex hoc tamen luto emergere nunquam po-

Lib. de Eterna Dei predest.

Lib. 2. cap. 4. sect. 5.

Ibid. sect. 2.

Beza contra Iycophantũ

test. Nam postquam omnia quæ dici possunt in medium protulit, vt Deum esse peccati authorem probet, hoc ipsum tamen se dicere impudētissimè negat. Quasi vt peccati Deus author sit, quicquã requiratur aliud, quàm quod à Caluino illi & Beza disertè tribuitur. Cur enim quæso vllius rei Deum esse authorem dicimus, nisi quia sua voluntate efficit vt illa sit? Quid verò Caluino & Calvinianis omnibus frequentius in ore est, quàm Deum nõ permittere tantum, sed velle peccatũ, nos mouere, impellere, imo voluntatis suæ efficacia, nobis peccãdi necessitatẽ imponere? an non igitur luce clarius est, Deum illis peccati esse authorem? His se laqueis cum Beza tuus implicatum cerneret, blasphemiam vnã altera blasphemiam non tam tegere aut excusare, quàm defendere & amplificare voluit, dum noua quadam, & post homines natos inaudita theologia, peccatum ipsum comparatione Dei bonum esse affirmauit. *Omnia Aphorismo (inquit) bona sunt quatenus à Deo efficiuntur: 20. discrimen illud boni & mali tantum in instrumentis locum habet: vt peccatum Beza iudice à Deo volente, mouente, impellente sit, sed quia illius comparatione, quod peccatum est, definit esse peccatum, Deus peccati author censendus non sit. Perinde sanè ac si diceret, Deus mendacij, incesti, adeoque ipsius odij quo impius ipsum prosequitur, author est: sed mendacium comparatione Dei, menda-*

cium non est: nec incestum, incestum: nec odium Dei, Dei odium: quo nihil esse absurdius potest, cum mendacium omni prorsus comparatione non nisi mendacium, & Dei odiū, nō nisi Dei odium esse possit. Iam verò mendacium esse mendacium, quin simul sit peccatum, ne intelligi quidem potest. Quare ut mendacium ipsius etiam Dei comparatione mendacium est, ita & peccatum esse necessesse est. Et ut tam impij dogmatis absurditatem clarius perspiciamus, quid quæso aliud quàm Deum facit hypocritam, qui eum præcipere faterur ne peccemus, hoc ipsum tamē non nolle, imo verò peccare nos velle, & cū peccato nos iubeat resistere, suæ quoque voluntati ut resistamus iubere: Est vero hoc loco ridicula planè Bezae ex Caluino deprompta responsio. *Malam (inquit) actionem hic appello, quæ reuelatam Dei voluntatem non habet pro scopo: at quod attinet ad opera nostra, consideranda est Dei voluntas, quatenus ipse eam nobis declarat, Ineptissimè profectò. Quamuis enim non semper id nos velle necesse sit, quod Deus vult, semper tamen hoc velle debemus, quod velle nos Deus vult. Hæc enim voluntatis nostræ certissima est regula, neque alia de causa esse peccatum potest, quàm quia id nolo quod Deus vult me velie. Itaque si peccatum me velle Deus ipse vult, certè velle peccatum iam non peccatum est, sed bonum omnino: neque voluntas ipsa nisi bona esse potest, cui cum Dei*

Beza cōtra
sycophan-
tam.

voluntate, sua nimirum regula, tam præclare consentit: ac cum Christo nos docente quotidie à Deo petamus, fiat voluntas tua, in nobis nimirum: semper ut id velinus, quod vult Deus nos velle, si nos Deus peccatum velle vult, an non quotidie à Deo perimus ut peccemus? & cū mox addimus, & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo, an non contraria à Deo maximèque pugnancia petimus? Dices fortasse cum tuo Caluino: etsi qui peccant nihil aliud faciunt quàm quod Deus vult, ideo tamen peccare quia alio id sine faciunt, quàm quo Deus vult. Quasi vero non plurima ita sint natura sua mala, vt bene fieri nunquam possint, qualia sunt Dei odium, mendacium, aliæque id genus innumera. Deinde quod actiones ipsas nostras in finem aliquem referamus, si Caluini Bezaque placita sequimur, hoc ipsum certè à Deo est. Si enim ille tantum permitteret, neque ad id hominis voluntatem efficaciter moueret, otiosus planè eorum iudicio esset. Non ergo ut in hunc vel illum finem agamus permittit tantum Deus, sed etiam vult, nisi otiosum hic Beza Deum fingat. Quamobrem cum & id velimus quod velle nos Deus vult, & eo certè sine, peccare certè omnino non possumus, neque vllus hic amplius tergiversandi locus vobis relinquitur: vt nō immerito Beza omnem sibi euadendi aditum præclusum conspiciens, tam sublimè hoc esse mysterium di-

Lib. 1. cap.
18. sect. 4.

Lib. 1. cap.
18. sect. 4.

zerit, vt à nemine mortalium intelligi queat, & suo illi de cœnæ mysterio esse per simile. Sic enim ille, *Aperi igitur nobis*, inquit, *homo acutissime qui nos viuifica sua carne pascat in terra, qui in caelis est: Cùm Castalioni respondere non posset, quo tandem modo, si vult homines Deus peccare, & præcipit ne peccent, cõtra suam ipsius voluntatem facere non præcipiat.* Et Calvinus, *Vbi non capimus* (inquit) *quomodo fieri velit Deus quod facere vetat, veniat nobis in mentem nostra imbecillitas, & simul repntemus lucem quam inhabitat, non frustra vocari inaccessam, quia caligine obducta est.* Et alio loco, *Quomodo* (inquit) *in culpa societatem Deus trahendus non sit, quasi transgressionis vel author sit vel approbator, cum longè altius humane mentis perspicacia esse arcantum planum sit, ne ignorantiam nostram fateri pudeat.* Ipso igitur Caluino teste, si ad peccandum Deus homines mouet, incitat, impellit, quomodo peccati author non sit intelligi nequaquam potest? Vt si tu fortè whitakere ex altissima turri quenquam dares præcipitem, réque deinde illius esse ruinae authorem prorsus negares, quis verum esse quod diceres assequi intelligentia posset? Propterea mox vel inuitus addis. *Attamen aliquid est quod dicunt, quòdque illis Campianus tribuit.* Est certè hoc tam magnum aliquid, vt neque à Caluino tuo, quantumuis extraordinario propheta, explicari potuerit, quin Deum peccati authorem fateretur.

Ime-

Inueterauerat (inquis) *quædam in animis hominum opinio, quicquid peccati à quoquam fieret id totius permittente duntaxat, non a nemine volente Deo fieri. Permissionem autem hanc ab omni prorsus dei voluntate separabant, cùm tamen Deus efficaci voluntate velit omnia fieri quæ impii faciunt, & non permittat solum.* Hic tu cùm Deum defendere vis non esse peccati authorem, nihil tamen aliud quàm peccati authorem facis. Si enim non permittit modo, verum etiam vult homines peccare, idque ita efficaciter, vt ne aliter quidem facere possint: explica si potes quo tandem modo, si dei voluntas prima est, & efficax peccati causa, author peccati deus non sit. Absurdum vero tibi videtur, permittere deum, non velle peccatum: neque animaduertis ita spiritum sanctum per os lucæ loquutum esse, qui dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Non enim illos Deus vt vias suas ingrederentur impulit, sed ingredi sanè volentes permisit. Neque tamen, quod tu nobis ineptissimè obiicis, ex eo efficitur illorum sese rebus deum minimè immiscuisse: non enim vt calumniaris ociosum nos Deum fingimus, aut res humanas negligentem, sed suauissimè omnia pro immentia sua gubernantem sapientia: qua cùm nullam nobis siue bene agendi, siue peccandi necessitatem imponat, sed libero quòd donauit arbitrio vti velit, dum homines sua spõte in malum ruentes non impedit, peccata permitte-

E e

Act. 14.

Aug. lib. 5.
de ciuit. dei
c. 9.

re censetur. Absit tamen vt propterea eorum curam dicatur abieciſſe, niſi forte quis ita deſipiat, vt omnium etiam gentium abieciſſe curam Deum exiſtimet, quas Paulo teſte vias ſuas ingredi permiſit, nec poſſe diuinam prouidentiam cum arbitrij libertate coſiſtere, vt quondam Cicero ſomniauit, qui ne liberum negare arbitriũ videretur, Dei prouidentiam iuſtulit. Dei ergo voluntas qua vult peccata permittere, non otioſa vt vides, ſed, *εὐεργετικὴν* cenſenda eſt: quippe qua res omnes ſuæ quamque naturæ conuenienter agere vult, & cum iis ipſe concurrere. Egregiam vero cauſæ tuæ deſenſionem ex diuo Thoma promiſiſſe videris, dum actionem peccati quatenus res eſt, à deo eſſe: ſed quatenus eſt vitioſa, non à deo, ſed à corrupta hominis voluntate proficiſci affirmat. Hoc ſane ſi Calvinus tantum docere voluiſſet, nihil erat cur catholicis oblatraret: cum cõmunis ea ſit theologorum ſententia, facilẽque poſſit à quouis intelligi (quod ille tam ſublime putauit) in peccati ſocietatem deũ minime pertrahi, cum in actione ad quam ipſe ſolam concurrat, nihil inueniatur quod vllam habeat mali rationem: neque Deus niſi quod bonũ eſt faciat, vt quicquid in actione eſt vitij, quicquid peccati, ad ſecundam referri cauſam debeat, à qua ſola omnem mali rationem promanare neceſſe eſt. Atque, vt exemplo res clarior euadat,

cũ Deus homini auxilium ad alterum occidendum ſuppeditat, non niſi ad id quod bonum eſt opem ferre cenſetur. Nam & qui legitima fungitur authoritate, ſine peccato hominem occidit: quare ſi quid ea in re vitij eſt, non à deo certe, ſed ab improba hominis voluntate proficiſcitur: non aliter ſanè, quã ſi ad ambulandum Deus opem alicui atque auxilium conferat, qui non rectè, ſed claudi more velit incedere. Nullus enim eſt tam mentis expers, vt eum Deo authore claudicare cenſeat, cum ambulandi quidem Deus author ſit, claudicandi vero (qua in re ſola vitij eſt) vel ipſius volũtas, vel tibiẽ certè imbecillitas. Sed vt re ſubtilem diſputatorem Academicis oſtendas, vehementer Campiarum in hunc modum vrgeſ, *Cenſiſſe quod quicquid facit quantumuis ſceleratus, id inuito ac nolente Deo fieri?* quod cum abſurdiſſimum nobis etiam videri intelligas, mox ita concludis: *Quare quæ ſunt omnia ea fieri volente Deo neceſſe eſt fatearis.* Verũm trita eſt in ſcholis reſponſio, quam antea à te lectam oportuit, vt ſi quid in ea à veritate alienum videretur, ſolida aliqua ratione refelleres. Deum neque velle mala fieri, neque velle mala non fieri, ſed velle permittere mala fieri: hoc, enim inter illa duo quæ tu extrema enumerati mediũ videre debuiffes. Eſt enim intol- Contra Sy-
randa illa Bezae contra Caſtalionem blaſ- cophantam
phemia, *humana* (inquit ille) *ratio nobis di-*

D. Tho. 2.
par. queſt.
19. ar. 9.

Et at, non minus esse in culpa eum qui cum impedire
 ruentem in perniciem possit, non tamen impediat,
 quam qui ipse præcipiet. Cui enim dubium es-
 se potest, quin omnia Deus mortalium pec-
 cata impedire possit, Beza igitur iudice tam
 Deus in culpa est, quàm si in peccata homi-
 nes præcipiaret. Quis tam impiam de Deo
 sententiam ex Christiani hominis ore ali-
 quando audiuit? Neque humana ratio ut il-
 le somniat, sed crassa quædam ignorantia
 animique stupiditas dicitur in vlla esse culpa
 eum, qui cum impedire ruentem in perni-
 ciam possit, non tamen impedit, nisi etiam
 impedire teneatur: ut facillima nobis & ex-
 peditissima responsio sit, mala neque inuito
 Deo, neque etiam volente, sed permittente
 tantum fieri. Quod adeo sane perspicuum
 est, ut vel inuitus id fateri Beza cogatur,
*Permissionis (inquit) vel concessionis nomen non
 repudiamus, neque unquam nobis in mentem venit,
 ut Deum diceremus agere in malis: dicimus enim
 Deum nihil nisi volentem, neque per instrumenta age-
 re, neque certè instrumentis ut agant permittere,
 ita tamen ut iustissime agat quicquid agit, & ius-
 tissime permittat quod permittit. Audin verò
 Bezam dicere Deum non quidem velle ma-
 lum, sed permittere tantum: tu vero malum
 ais velle quidem Deum, sed non probare,
 Quæ sunt (inquis) omnia voleme Deo fieri ne-
 cesse est, non quod hominum peccata velit, id est,
 probet: sed quia hoc modo iudicium suum exercet*

Contra sy-
 cophantam

& decretum exequitur, quod ille vult & probat.
 Quasi velle Deus possit quod minimè pro-
 bar, aut suum ipse iudicium ac decretum
 non probare possit. quis tantam verborum
 pugnam non rideat? Iam quæ ex Augustino
 profers ad tuam causam ne pertinent qui-
 dem omnino, quod ut clarissime videas, ip-
 sa si placet Augustini verba expendamus.
 Cum pater (inquit) tradiderit filium, & do-
 minus corpus suum, & Iudas dominum, *Episto. 48.*
 cur in hac traditione Deus sit iustus, & homo *ad Vincetiũ*
 reus, nisi quia in re vna quam fecerunt, causa
 non vna est ob quam fecerunt. Quid est que-
 so in his verbis quo Deum voluntates ho-
 minum impellere ad peccandum Augustinus
 vel leuissime indicet: aut quis non facile in-
 telligat longe aliud esse filij mortem patrem
 voluisse, & iudæorum animos in filij necem
 impulisse? Illud certè ut verissimum est, ita
 ab Augustino eruditè asseritur: hoc verò, ut
 impium Caluini dogma, asseruit nunquam:
 quod ipsa te Augustini quæ citas verba do-
 cere poterunt. Quod mali peccant (inquit)
 eorum est, quod peccando hoc vel illud
 agunt, ex virtute Dei est, tenebras prout
 visum est diuidentis. Vbi luce clarius est ex
 Augustini sententia malas hominum volun-
 tates Deum non velle (quod tamen ut ve-
 stram probaret sententiam, omnino dicen-
 dum fuerat) sed eas quantumuis improbas,
 aut sceleratas, ita tamen diuinæ suæ proui-

dentia legibus coercere, vt non nisi quantum ipse permiserit sese exerere possint, adeo vt ne porcis quidem dæmones improba sua voluntate nocere, nisi concedente Deo, potuerint: quemadmodum eo prohibente Iudæi, armata licet manu venissent, audita hac Christi voce: finite hos abire, nihilin Apostolorum quenquam tentare potuerunt. Eodem spectat & illa ex enchiridio Augustini à te prolata sententia. Deus quasdam voluntates suas, vtique bonas implet per malorum hominum voluntates malas, sicut per Iudæos maleuolos bona voluntate patris Caristus occisus est, quod tantum bonum fuit, vt apostolus Petrus quando id fieri nolebat, Satanæ ab ipso qui occidi volebat diceretur. Vbi eadem qua supra ignorantia laboras, quasi perinde esset malas Iudæorum voluntates Deum velle, & per illas iam malas, bonam suam voluntatem implere: quæ sane duo tanto discrimine distinguuntur, vt qui illud non videat, cæcus merito censetur. Quod & tu, ni plane cæcus esses, in iis quæ paulo post citasti verbis vidisses. Magna inquit opera domini, & exquisita in omnes voluntates eius, vt miro & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem, quod etiam contra eius sit voluntatem: quia non fieret si non sineret, neque vtique nolens finit, sed volens. Quo loco vides opinor quæ contra Dei voluntatem fi-

Ioan. 18.

Enchi. cap.
100. & cap.
101.Enchir. cap.
100.

unt, id est, contra eius præceptum, non fieri præter eius voluntatem, quia eo sinente ac permittente fiunt. Alium deinde August. locum affers, Deus (inquit) indurauit per iustum iudicium Pharaonem, & pharao seipsum indurauit per liberum arbitrium Ignoras videlicet non eo sensu Augustinum cor à Deo induratum dixisse Pharaonis, quod malam illi voluntatem iniecerit, quin potius quod cum propria ille voluntate improba cor suum indurasset, iusto Deus iudicio ea proposuerit, quibus factum est vt magis indies magisque induresceret. Vnde idem Augustinus alio loco, vnus cuiusque cordis in malitia qualitatem, id est quale cor habeat ad malum suo fieri vitio, quod inoleuit ex arbitrio voluntatis. Tandem de Pharaone concludit: vt ergo tale cor haberet Pharaonem, quod patientia Dei non moueretur ad pietatem, sed potius ad impietatem, vitij proprij fuit. Quod vero facta sunt ea quibus cor suo vitio tam malignum resisteret iussionibus Dei (hoc est enim quod dicitur induratum) quia non flexibiliter consentiebat, sed inflexibiliter resistebat) dispensationis fuit diuinæ, qua tali cordi non solum iusta, sed euidenter iusta pœna parabatur, quatinus Deum corrigerentur. Proposito quippe lucro, verbi gratia, propter quod homicidiū committitur, aliter avarus, aliter pecuniæ contemptor mouetur: ille scilicet ad faci

De gratia &
lib. arb. c.
23.L1. 2. quest.
super exod.
q. 18.

nus perpetrandum, ille ad cauendum: ipsius
 tamen lucri propositio in alicuius illorum
 non fuit potestate, ita causæ veniunt homi-
 nibus malis, quæ non sunt quidem in eo-
 rum potestate, sed hoc de illis faciunt qua-
 les eos inuenerunt iam factos propriis viriis
 ex præterita voluntate. Quis hic non cernat
 Augustinum optimum sui esse interpretem,
 atque à Caluini vestri blasphemia longissi-
 me abesse? Postremum est quod ex alio Au-
 gustini loco adducis, Deus operatur in cor-
 dibus hominum ad inclinandas voluntates
 quo cunque vult: siue ad bona pro sua mise-
 ricordia, siue ad mala pro ipsorum meritis:
 iudicio utique suo, aliquando aperto, aliquan-
 do occulto, semper autem iusto. Augustini
 ergo sententia Deum malam hominis volun-
 ratem suo iudicio inclinare, non est eam ma-
 lam efficere, quod tanquam blasphemum
 vbique auersatur, sed quod ea iam suo vitio
 mala illa proponat quibus ad iustum suum
 iudicium exequendum ad hoc potius malum
 quam ad aliud perperrandum inclinetur. Ut
 eodem plane sensu Deum ad malum volun-
 ratem inclinare, quo Pharaonis cor indu-
 rasse Augustinus dixerit. Atque hæc quidem
 ru aduersus catholicorū sententiam ex Aug.
 inepte admodū detorta citati, quibus satis
 iam superque videor respondisse: pauca tamen
 vicissim ex multis Aug. clarissimis testimoniis
 proferā, quibus catholicæ ecclesiæ doctrinā

afferit. Nusquā legimus in sanctis scripturis Aug. de sp.
 (inquit Aug.) non est voluntas nisi à Deo: e lit. cap. 31.
 & recte non scriptum est, quia verum non,
 est, alioquin etiam peccatorum, quod absit,
 author est Deus, si non est voluntas nisi ab
 illo: quoniam mala voluntas iam sola pecca-
 tum est, etiamsi desit effectus, id est si non
 habeat potestatem. Negat ergo malam homi-
 nis voluntatem à Deo esse mouente, vel
 impellente, quod vos tam obstinatis animis
 defenditis, & longè quàm Calvinus acutius
 vidit idem planè esse malam hominis volun-
 tatem esse à Deo, & Deum peccati esse au-
 thorem. Et alio loco idem Augustinus. De-
 testanda & abominanda opinio est, quæ Deū falso im-
 cuiusquam malæ voluntatis aut malæ actio-
 nis credit authorem; & post pauca. Adulteria,
 enim matronarum & corruptelas virginum,
 nō instruere nouit sancta diuinitas, sed dam-
 nare, ac rursus: Non ergo casus ruentium,
 nec malignitatem iniquorum, neque cupidi-
 tates peccantium prædestinatio Dei aut ex-
 citauit, aut suasit, aut impulit: sed planè præ-
 destinavit iudicium suum, quo unicuique re-
 tributurus est prout gessit siue bonum siue,
 malum, quod iudicium Dei futurum non
 esset, si homines Dei voluntate peccarent.
 Denique si à iusticia & pietate quis deficit, Ibid. art. 13.
 inquit, suo in præceptis fertur arbitrio, sua cō-
 cupiscentia trahitur, sua persuasionem decipi-
 tur. Nihil ibi pater, nihil filius, nihil spiritus

sanctus: nec in tali negotio quidquam diuinae voluntatis interuenit, cuius ope scimus multos ne laborerent retentos, nullos autem ut laborerent impulsos. Hæc cum tam apertam beati Augustini claramque sententiam contineant, audes tamen tuæ illum blasphemiam patronum facere, cum nihil ille aliud asserat quam contra dei voluntatem profusum nihil fieri, id est nihil nisi quod deus, vel vult, vel certè finit fieri: Deumque bonam suam voluntatem etiam per improbas hominum voluntates exequi: non quidem quas ipse malas fecit (hoc enim ut vides blasphemum censet) sed quibus ipse iam malis in eum quæ vult finem sapientissimè vitur: ut quod peccent homines improbi, ex ipsorum scelerata voluntate proficiatur: quod vero hoc vel illud exequantur, ex Dei cuncta moderantis potestate proueniat. Quis vero non videat longè aliud esse mala iam hominis voluntate in eum quem voluerit finem bene uti, aliud improbam in ipsis hominibus voluntatem efficere. Summa enim Dei bonitas ea in re vel maximè elucet, quòd ex ipsis hominum prauis voluntatibus maxima per sepe bona eliciat. Atque hæc de Augustino. Nunc Hugonem à tuis calumniis vindicemus. Quem à te in medium allatum miror. Nunquam (inquit ille) cassa est voluntas Dei, ut non fiat quod vult, neque infirma aliquando, ut fiat quod non vult. Et Paulo post, voluntas Dei

De sacram.
par. 4. c. 14.
& 15.

33

33

semper impletur, & nõ excusantur mali propterea, quoniã in eis & per eos voluntas Dei impletur, quoniam non sua voluntate ad implendum Dei voluntatem diriguntur, sed occulta ipsius dispositione. Quis vnquam catholicus vel inuito Deo aliquid fieri, vel diuinam voluntatem impediri aliquando posse asseruit, vel denique malas hominum voluntates ad bonam suam voluntatem adimplendam dirigere negauit? Magna te certè testium penuria laborare oportet, qui neque vllum Augustino priorem, neque post Augustinum præter vnum tanto temporis intervallo dilinctum Hugonem à S. Victore Monachum citare potueris: & ea certe fide, ut omnem in posterum fidem apud bonos omnes optimo iure amiseris. Adiungit deinde Campianus, vestrum esse *παράδοξον*. Proprium Dei opus esse, ut Pauli vocatione, ita adulterium Dauidis, Iudæque proditionem: quod tu quidem negas apud tuos inueniri. Vnde (inquis) *id hauseris ignoro*. Quod equidem ignorare te miror, cum nihil sit illis familiarius: dum enim tam efficaciter Deum hominis voluntatem mouere volunt ad malum, quam ad bonum, quis non videat illorum sententia proprium Dei opus, ut Pauli vocationem, ita etiam adulterium Dauidis, Iudæque proditionem fuisse? Et tuus certè Calvinus opus impij hominis, Dei potius quam hominis esse affirmat, ut supra ostendi.

Melanct.
in cap. 8.
ad Rom.

vvitem ber

8c anno

1524. & Lu-

therus in li.

de seruo

arbi. & in re

solut. assert.

26. Caluia

de eterna

Dei predest

Hoc vero cur tu illis minimè tribuendum censeas, audiamus. *Egit* (inquis) *Dominus in hoc & in illo, sed non vno similique modo Pauli corintus spiritu afflauit, Dauidi vero ac Iudæ non nouam aliquam impietatem, ac voluntatis inclinationem iniecit, nec nouos admonuit stimulos ad peccandum, sed currentes sua sponte ac incitados sic tenuit, vt decretum Dei exequerentur.* Si iam antea sua sponte currebant quàm Deus improbas eorum voluntates flecteret, quo ipse decreuerat, non mouet certè Deus, neque impellit ad peccatum, neque efficaciter vult quenquam peccare, sed peccare tantum permittit: quod Caluinus passim pro sua modestia irridere solet, cuius hanc quam sæpe retuli esse non ignoras sententiã, decreuisse Deum ab æterno, vellèque ac efficere vt necessario homines peccent, vt neque furta, neque adulteria, neque homicidia, nisi eius volũtate impulsuque committantur: cum Deus non permissione tantum, sed efficaciter etiam impiorum corda induret, vt dum impiè viuunt, Dei potius quam suum opus peragant. Hæc tu si cum Caluino tueri vis, nunquam te ne cum tota Bezanica schola expedies, quin Deum esse peccati causam atque authorem fatearis, tamque proprium Dei opus esse Iudæ proditionem, quàm Pauli vocationem. Quod mihi quidem non ignorare videris, cum deferto Caluino homines sua sponte ais in malum currere, Deum illos minimè impellere

Lib. 7. ca. 18.
sect. 1. & li.
2. cap. 4. &
lib. 3. ca. 23.

aut mouere: quod aliud sanè est nihil, quàm Deum tantum permittere peccata, quod catholici omnes hæctenus vno ore docuerunt, & quod tu huius disputationis initio modis omnibus auersari videbaris. Magna est nimirum veritatis vis, qua superatus, catholicorum sententiam vel inuitus tandem amplecteris, nec aliter Caluinianum dogma defendi posse ostendis, quàm si peccati authorem Deum efficias. Atque hæc de impio dogmate dicta sufficiant, vt in illius defensione operam te atque oleum perdidisse omnes intelligant. Iam cætera videamus.

Lutherù queritur Cápianus, ex supplicationibus ecclesiasticis hunc versum dempsisse *Sancta Trinitas vnus Deus miserere nobis.* Tu vero, etsi omni qua potes arte ad tergiversandum te comparas, tamen hoc à Luthe- ro factum esse negare non audes, toti enim Germaniæ notissimum est, in enchiridio illo quod anno domini 1543 edidit, vt veteres longa iam multorum seculorum consuetudine probatos ritus emendaret, apostolica quam sibi vendicabat authoritate, hanc precandi formã eum submouisse. More igitur tuo in hæc verba respõdes. *Nimirum tu quidem es suspiciosus, si malè de Trinitate senserit Lutherus cõuince.* Falleris profectò si existimas whirakere tanti à nobis fieri Lutherum, vt quid ille senserit magnopere curemus. Tibi vero vt de Trinitate nihil à fide catholica alienum sensisse

Vide enchir.
precat. an.
1543.

Lutherum ostenderes, reddenda imprimis ratio erat, cur versum hunc tot seculis inter catholicos tam celebrem, ex precibus ecclesiasticis tollendum curauerit. Neque enim si idem cum catholicis sensisset, quod ab iis tanta animorum consensione receptissimū erat, expungendum censere potuisset: ut nemini dubium esse possit, quid ille aduersus sacrosanctum hoc dogma de Trinitatis mysterio moliretur: nimirum quod ab illius nepotibus Trinitariis iam factum videmus. Quid quod neque Calvinum tuum eodem crimine liberare potes? Nam quod illi *παράδοξον* Campianus tribuit filium Dei esse Deum ex se ipso, tu Caluini esse vltro fateris. *Utrumque* (inquis) *Patres illi Niceni concilij dixerint, Deum de Deo, tamen firmissime tenendum esse con-*

Cal. lib. pr.
cap. 13. nu.
23. & 24.

firmat Calvinus Christum ex se se habere ut Deus sit, nisi Christum volumus sua diuinitate spoliare: ut sit filius, id quidem à patre accepit, est enim patris filius, ut Deus sit, id ex se habet, quia per se Deus est. Palam igitur hunc Caluini errorem defendis, quod dum facis velis nolis profecto sacrosanctum Trinitatis mysterium negare te fatearis necesse est. Etenim si Dei filius non à patre, sed à seipso essentiam habet, ne filius quidem patris esse potest, cum à patre filius essentiam capere omnino debeat. quod apertius sanè est, quàm ut probatione aliqua egeat, dum ergo filium Dei à patre diuinitatem accepisse negas, nihil profecto aliud quam Dei

filium esse negas. At vide quæso quam, de summo hoc diuinissimoque mysterio præclare sentias. Nam si diuinitatem à patre filius non accepit, dic quid acceperit. Nudam enim relationem si excipias, nihil superest. Quid vero magis impium, quid magis blasphemū dici aut cogitari, vel à summo religionis hoste potest, quam nihil præter ieiunam quandam nudamque relationem à patre filium accepisse? Quod vos tamen homines à θεῶν τῶν τοι inter recondita vestra mysteria reponitis. Quomodo enim qui nihil præter relationem ab alio accepit, illius censeri filius potest? Aut quid Deo patre indignius, quàm non aliam sibi æqualem personam, sed nudam tantum relationem genuisse? Pessimum profectò te dialecticum non semel hætenus præbuiisti, nūc te philosophum longè peiorem præbes, Nam vel ipsa te philosophia docere poterat, Neque actionem ad relationem per se esse posse, ut scholæ verbis utar, neque relationem illius per se terminum existere posse. Quare vel diuinitatem à patre accepit, vel certè à patre genitus non est: & si à seipso essentiam vel diuinitatem habet, ab alio profectò gigni nunquam potuisset, imo neque à seipso diuinitatem habere possit, nisi in aliquo eam supposito siue hypostasi haberet. Ut ergo te iudice diuinitatem filius à patre non habet, ita neque hypostasin, eritq; tibi ac tuis in posterum: filius non αὐτοῦτος

tantum, verum etiam *αὐτοπροσώπως* quod personam etiam non ab alio, sed à seipso accipiat: eritque hæc tandem fidei vestrae summa: in Trinitatis mysterio, neque patrem esse neque filium. Nunquam enim efficietis quin si à se ipso filius diuinitatem habeat, & personam quoque non ab alio quàm à seipso habeat, cum diuinitatem in persona subsistere necesse sit, & si à se personam habeat, filius dici omnino non potest: quo semel admissio neque pater esse vilo modo poterit, neque enim pater est qui filium non habet, & cum Spiritus sanctus non nisi à patre & filio procedat, si neque pater est, neque filius, ne Spiritus quidem sanctus esse poterit. Atque ita omnem prorsus diuinitatem Gebennensis hæc fides vestra è medio tollit, quam tu ne vno quidem diuinarum literarum testimonio confirmare ausus es, veritus opinor scripturam attingere, quæ tota huic perfidiæ tam apertè repugnat. Quid enim apertius quàm quod apud Ioannem legitur. Sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic dedit filio habere vitam in semetipso? Quæ verò patris alia esse vita quàm diuinitas potest? Hanc ergo vitam dum à patre filius accepit, diuinitatem certè à patre accepit necesse est. Et alio loco, Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem: hoc est, ego à patre diuinitatem qua viuo accipio. Et rursum quod dedit mihi pater maius omnibus est, Quod quid aliud

Ioan. cap. 5.

Ioan. cap. 6.

Ioan. cap. 10.

aliud quàm diuinitas esse potest? diuinitatem ergo à patre filius accepit. Quò sanè loco Hilarius, Augustinus, alique veteres scriptores, ad reuincendam Arianorum hæresim, potissimum vti sunt, & si in quibusdam exemplaribus Græcis aliter legatur. *ὁ πατήρ ὁς δέδωκέ μοι μέζων πάντων ἐστίν.* Hanc tamè quam nos lectionem sequimur, Augustinus, Hilarius alique Latini scriptores amplectuntur: Sed quid pluribus scripturarum testimoniis in re adedè aperta opus est, cum filius se à patre omnia accepisse tam perspicuè testetur? de patribus vero quid dicam: qui vno omnes ore hanc eandem nobiscum fidem, contra Caluini blasphemiam profitentur? Tertullianus sanè, diuinitatem filio traditam atque porrectam profitetur. Deus quidem (inquit) cui diuinitas tradita atque porrecta conspicitur, & alio loco, vnitas ex semetipsa deriuans Trinitatem non destruitur ab illa sed administratur, & filius est de substantia patris, Spiritus sanctus de patre per filium. Et Ignatius nihil aliud significat cum filij *ἰσοίαν* dicit *γεννητὸν* neque Dionysius cum scribit *τὸν υἱὸν θεοῦ ἵνα εἶναι τὸν πατέρα.* Et Augustinus filium non tantum habere nascendo, vt sit filius, sed vt omnino sit. & Hilarius quemadmodum à patre, habet filius vt sit, ita ab eo hausit (sed certè naturaliter) scientiam, sapientiam, potentiam, & æternitatè: & Ambrosius Philipp.

Ter. in lib. de Trinit.

Contra praxeam.

Ignat. epist. ad magne- lianos.

Tract. 33. in Ioan.

Ambro. in cap. 2. ad

„ patrē ait ab omni aeternitate per generationē
 „ tribuisse filio suo nomen, quod extat super
 „ omne nomē, hoc est esse deū per naturā, quo-
 „ niam genuerit filium plenum, & sibi aequalē
 Lib. 2. The- Deum. Et Cyrillus, Quomodo (inquit) verē
 saur cap. 2. filius eū, qui non ex substantia partis ema-
 Ruffinus in nat? Et Ruffinus vnicū Dei filium cū sit
 symb. gloria sempiternitate, & virtute, regno, po-
 „ testate, hoc quod pater est, omnia tamen hæc
 „ non sine authore esse patre asserit: sed ex pa-
 „ tre eum tanquam filium habere. Et Leo, Ve-
 Leo serm. rus enim Deus est filius Dei totum habens
 2. de resur. ex patre, quod pater est, nullo exordio tem-
 „ poralis, nulla varietate mutabilis, nec ab vno
 „ diuisus, nec ab omnipotente diuersus. Et Da-
 „ mascenus, filius ex patre est, inquit, & vniuer-
 „ sa quæ habet, habet ex patre. Quid plura? Si
 „ Cyrillum, Augustinum, Hilarium, aliōsque
 „ patres legisses, facilē hanc tuam hæresim iam
 „ olim in Eunomio damnatam vidisses, & Ma-
 „ nichæorum quoque hæresim fuisse, Deum nō
 „ procedere ex Deo, ne diuinæ substantiæ parti-
 „ tio induceretur. Multo igitur rectius Bucha-
 „ nanus noster, & si alioqui Calvinianus, de sa-
 „ cro sancto Trinitatis mysterio sensit, cū nō
 „ filium Dei ἀυτῶν υἱὸν ut vos, sed Deū de Deo
 „ eleganti carmine cecinit. Proles parentis
 „ optimi, & par parenti maximo, de luce vera
 „ vera lux, verusque de Deo Deus. Sed iā qui-
 „ bus tu rationibus nitaris Academici velim
 „ expendant. *Nescenim* (inquis) *ex sese Deus est,*

omnino Deus esse non potest, nam ut Deus sit, id Deo
 ex sese insitum est, quare vtrumque patres illi dixe-
 runt Deum de Deo, tamen firmissimè tenendum esse
 confirmat Calvinus Christum ex sese habere ut Deus
 sit, nisi Christum volumus sua diuinitate spoliare.
 Agnosco videlicet Mahometi & Auicennæ Auicen. in
 discipulū, quorum hoc axioma est, Deus ens tract. de de-
 est necessario existens, cuius esse impossibile fini. & que
 est quod sit ab alio. Verum tantæ ignorantie rari calce.
 re merito debet pudere, qui nondū didiceris
 habere quidem in se filiū diuinitatem insitā,
 id est naturaliter Deū esse, sed quia verē filius
 est, à patre diuinitatē omnem haulisse, ut non
 precario, quod nobis per calumniā obiicere
 soletis, sed natura sua sit Deus. Nam & inter
 homines hoc locū habet, ut filius natura sua
 sit homo, licet à patre sit genitus. Illud tamen
 interest, ex cuius ignoratione tāquam ex fon-
 te vestrū hūc de Trinitatis mysterio prophā-
 nū errorem manasse intelligo. Nam cū deū
 alteri quidquā debere per absurdū videatur,
 ne patri filius diuinitatē debeat, à seipso filiū
 diuinitatē habere finxistis. Sed quamuis inter
 homines vitā filij parentibus debeant, Dei ta-
 men filius nullo vnquā debito patri obstrin-
 gi potest: quia nō liberè pater, sed naturaliter
 ac necessario filiū gignit: adeo ut ne in pote-
 state quidem patris sit filiū non gignere: neq;
 ut creatura Deo indigent ut se suūque sta-
 tum tueantur, ita filius à patre dependet: cū
 nō minus verè, propriè, naturaliter, atque ab

In pr. sen.
dist 5. quest.
2. art. 2.

Serm 38. de
tempore.

æterno subsistat, quâ pater. Cuius rei cau sam
latere te arbitror, quia nondum vel primis
Theologiæ elementis imbutus es. Nam si vel
vnû legere diuum Thomâ voluisses, Caluini
hæc Bezæque somnia ex scholasticæ Theo-
logiæ ignoratione proficisci facillè animadu-
erisses. Sic enim ille, Quâuis filius totum esse
suum habeat ab alio, nihilominus tamen esse
suû non est dependens: quia accipit à patre
idè numero esse quod ipse habet, & ideo non
est depèdens esse suû. Nihil ergo tua hac tuo-
rumque præceptorû Mahometana ratione
vanius, nihil ineptius. Sed maioris fortasse
momenti est quod aliorû patrum testimoniis
prorsus destitutus; ex solo Augustino pro-
fers, *Recordare* (inquis) *illam Augustini vocem,*
Christus ad se Deus est, ad patrem filius: in qua potes
veteris ecclesiæ sententiã agnoscere: Agnosco equi-
dem veteris ecclesiæ sententiam, Dei nomen
substantiæ esse non relationis: filij vero nomè
in relatione consistere. Hoc enim eodè se lo-
co intelligere disertis sanè verbis Augustinus
expressit. Sciendû est vero (inquit) quod que-
dã de Deo substantialiter dicuntur, vt Deus est
magnus, omnipotens, & quidquid ad se dici-
tur, id est, substantiã diuinitatis significãs: que-
dã vero relatiuè dicuntur, vt pater ad filium
filius ad patrè, & Spiritus sanctus, relatiuè ad
patrem & filium: ad se autem siue pater, siue
filius, siue Spiritus sanctus Deus dicitur.
Hoc ergo tuum est argumentum. Dei nomè

Augustini iudicio absolutum est, filius ergo
à patre diuinitatem non accipit. Hic credo
Academici vix risum tenebunt, cû regium te
professorem, tam pueriliter differentem au-
dient: Bezæ (inquit Campianus) filius non
est genitus de essentia patris. *Quid tu ob ea* In Hæfusiâ
(inquis) *Bezæ succenses quæ dici à vobis ipsis &*
defendi solem? Quod nunquam profectò sine
summa impudentia dixisses, si catholicorum
de Trinitatis mysterio doctrinã nosset. Nam
quod Petrum ais Lombardum, & eos qui
illum sequuti sunt scholasticos, imo & prio-
rem illis Basilium affirmare, essentiam neque
generari neque generare, pudet me sanè tan-
tæ incitiæ. Quis enim vel primis Theo-
logiæ rudimentis, quamuis leuiter imbutus, nõ
facillè intelligit, longè aliud esse ex essentia
gigni, aliud verò gigni essentiam? Atque vt es-
sentiam gignere, vel gigni, vno omnes ore
catholici negant, ita de essentia patris geni-
tum esse filium, nemo est qui non doceat.
Nam cû actiones sint suppositorum, essen-
tia profectò neque gigni potest neque gi-
gnere, præsertim cû id quod gignit ab eo
distingui quod gignitur necesse sit: (nihil
enim seipsum gignere potest) essentia vero à
seipsa minimè distinguatur. Gigni vero de
essentia, (nam hoc te nõdum didicisse video)
nihil est aliud, quàm quod filium pater non
per externæ alicuius substantiæ communica-
tionem generet, sed suam illi substantiam im-

Basil. lib. 7.
cõtra Euno.

perriendo. Quod eleganti sanè metaphora, & ad nostræ intelligentiæ imbecillitatem accommodata Spiritus sanctus in scripturis expressit. Ex vtero (inquit Deus pater ad filium) antè luciferum genui te, vt filium patris genuinū, vt ita dicā, legitimūq; filium esse significaret, quemadmodum Augustinus, Basilius, Athan. cæterique patres hunc locū intellexerunt: quorū perpetua hæc cōstānsque semper doctrina fuit, ex patris essentia filium esse genitum. Cyrillus enim ne patris quidem ac filij *ὁμοουσιότητα* cōstare posse existimat, nisi de patris essentia genitum esse filiū fateamur. Quomodo (inquit) verè filius erit qui non ex substantia patris emanat? Et Augustinus, nullo enim modo verū Dei filium cogitatis, si eum natum esse de substantia patris negatis. Et Athana. apud Vigilium, ex seipso (inquit) id est ex eo quod ipse est, pater impassibiliter, indiuisibiliter, incorruptibiliter, sine diminutione, sine discessione, sine affluentis copiæ redundatione, sine vllō passionis genere ineffabiliter filium genuit, & idcirco fateamur vnus esse substantiæ, quia non aliunde, non ex nihilo, non ex subiacentibus, vel præcedētibus materiæ qualitatibus, sed propriè, propriè inquam, Deum de Deo, lumen de lumine, virtutem de virtute, sapientiam de sapientia fideliter extitisse confitemur. Et Epiphanius, Illud (inquit) quod à patre dictum est, in splendoribus sanctorum antè luciferū genui

Psal. 109.

Athan. cōtra Ari. epiphā. in Pana. cōtra semiat.

Lib. 2. thesauri c. 2.

Lib. 3. eōtra Maximinū cap. 14.

In disput. inter Sabelium, Photinum, Ariū & Athanasium.

In pana. cōtra temare.

23

22

te, necessariò est dictū, vt à cōmunionē creaturarum filū abduceret, patris natū ex se & propriè genitū, per nomen ventris filium docentis. Nec immerito profectò ita patres senserunt. Etenim vt verè quis alterius esse filius dicatur, ex illius gignatur substantia necesse est. Quod cum intelligeret Augustinus, sic aduersus Maximinū disseruit. Aut de aliqua substantia natus est Dei filius, aut de nulla: si de nulla, de nihilo, quod vos non dicere (inquit) iam tenemus, esset enim filius Dei creatura. Si de aliquo, nec tamè de patris substantia, nō verus est filius, imo neq; deus, si de aliena substantia gigneretur. De patris ergo substantia filius Augustino teste gignitur. Addis vero (quod tui, credo, Beza iam te pudeat) *Quinquam an ista Bezae verba sint non satis scio, ea certè non memini me vquam in Bezae legisse.* Ne tu in Bezae scriptis haud satis, vt vides, fœliciter versatus es, qui quod magni ille mysterij loco habet, id an apud ipsum reperitur ignores. Prudenter tamen ne in manifesto mendacio deprehendaris ipsius hæc verba esse palā negare non audes. Vides enim opinor (nisi prorsus cæcus es) si à patre filius essentiam diuinitatēque non accipit, neque patrem de sua essentia posse filium gignere. Hoc nimirum est Caluini tui dogma, filium Dei, cum Deus sit, essentiam à se ipso habere, nō ab alio (vt ille loquitur) mutuare. Nam quisquis (inquit) essentiam à patre filium

Lib. 3. cap.

14.

Lib. 1. cap.

13. c. 23.

ait, à se ipſo eſſe negat, Caluino igitur Bezae que tuo, vt filius non eſt Deus de Deo, ſed Deus à ſeipſo: ita neque ex ſua profectō eſſentia filium pater gignit, alioquin Deus de Deo non à ſeipſo eſſet. Bene habet tamen quod quæ ſequuntur Bezae deliria clariora ſunt quàm vt negari à quoquam poſſint: duplicem enim in Chriſto vnionem Hypoſtaticam eum effinxiffe affirmat Campianus: Alteram animæ cum carne, diuinitatis cum humanitate alteram. Quo tu crimine haud aliter eum purgas, quàm quod ſuum ille errorem emendauit, à neſcio quo Iacobo Andrea admonitus. Quis vero non miretur tantum prophetam, tamque celebrem, noui veſtri (ſi ſuperis placet) euangelij præconem, in re tam graui tam turpiter hallucinatum, veſtrōque illo admirabili ſpiritu, quo veluti perpetuo comite & ſcripturas diſcernere, & earum ſententiam inueſtigare ſoleris, tam miſere deſtitutum? Equidem non dubito prudentes Academicos, quem ſemel in tam pernicioſo errore deprehenderunt, ſemper in reliquis ſuſpectum habituros, neque illius dogmata velut oracula recepturos. Illud vero quale eſt quod mox addis. *Id ex eo dicto non ſequitur duas eſſe in Chriſto perſonas, etiamſi duæ ſunt hypoſtaticæ vniones.* Cùm enim hypoſtaſis & perſona in iis quæ ratione ſunt prædita nihil differant,

Beza cōtra
Smidel. lib.
de vn. hy-
poſt. duab.
a Chriſto
natis.

certè ſi duplex eſt hypoſtatica vnio, duplicem quoque hypoſtaſin ſiue perſonam eſſe neceſſe eſt. Quamobrem vt magnam tibi aliis fortaſſe in rebus gratiam Beza debuerit, hic certe debet perexiguam, quod eum dum conaris defendere, turpiſſimi erroris damnes. Neque longe maiorem Caluinus quem à communi receptaque veterum omnium eccleſiæ patrum interpretatione merito deceſſiſſe ais, in eo ſcripturæ loco. *Ego & Pater vnium ſumus: neque inde filium patri eſſe* *ὁμοῦσιον* *de morſtrari poſſe.* Ioannes (inquis) potentia, & voluntatis vnionem, non eſſentia ſignificauit: Cùm tamen Hilarius, Athanaſius, Baſilius, cæterique patres, ex eo maxime loco Arrianos refutarint. Quod quid eſt quæſo aliud, quàm hæreticos Arrianos immeritò ab illis damnatos aſſerere? Non hic ego de Caluini arrogantia, in reiiciendis ſanctiſſimorum, doctiſſimorumque Patrum iudiciis, loquar, neque commemorabo plus Arrio Caluinum quàm omnibus eccleſiæ patribus tribuere, ad reipſum whitakere veniã, qui Caluinum defendendo expugnans. Quid enim illud eſt quod ais. *Ioannes potentia & voluntatis vnionem ſignificauit, non eſſentia.* An tu adeo rudis es, vt in Deo eſſentiam, potentiamque idem eſſe ignores? ſi ergo vna eſt patris & filij potentia, explica ſi potes, quemodo non eandem eſſe eſſentiam neceſſe ſit. Atque ſi eandem habet potentiam filius cum Patre,

Cal. in cap.
10. Ioan.

Luther. con-
tra Latom.

est sane ex illo Iōā. loco filius patri, *ὁμοῦστος*
 Quam egregius ergo tu Beza tui, ac Caluini
 defensores, sed melior fortasse Lutheri patro-
 nus eris. *Nomen hoc* (inquit) *ὁμοῦστος*
odit animam meam. Quid tu? *Atque ut nomen* (inquis
 oderit) *Lutherus, rem ipsam tamen amauit, ut*
animam suam. Quid stultius, quam nomen
 aliquod odisse, quod neque odij, neque amo-
 ris certe capax est? dic mihi quid potuit odif-
 se in hoc nomine? an sonum ipsum nominis?
 an significandi vim? nihil certe in eo est tanti
 viri odio dignum: & ut familiari tecum vtar
 exemplo, Lutherum qui bonum vinū, ut ani-
 mam suam semper amauit, dices ne vnquam
 odio habuisse hederā, quod vini venalis signū
 esset? Sat scio nunquam dices. Quomodo
 ergo si rem ipsum quę per *ὁμοῦστος* signifi-
 cabatur, ut animam suam amauit, nomen ip-
 sum tam capitali odio prosequi potuit? *Sed*
sanctos patres vehementer pœnituit (inquis) *illius*
nominis, quod multis dissidiis occasionem preberet.
 quos tu quæso sanctos patres commemoras?
 Nunquam enim vllos huius rei pœnituit, sed
 eo nomine tãquam certissimo simbolo vte-
 bantur, quo catholicos ab Adrianis distin-
 guerent: qui aliis fere omnibus nominibus,
 cum illis communibus vtebantur: adeo ut
 filium Dei Deum etiam nominarent, nomi-
 ne autem *ὁμοῦστος* uti minime audebant: ex
 quo factum est ut cum eo nomine omnem
 sibi dissimulandi viam ablatam esse videret,

omnibus illud modis infectarentur, quod
 nouum esset, & quod in scripturis sacris nus-
 quam legeretur. Sed valde ieiunum est quod
 ex Hieronymo affers, qui nomen hypostasis
 suspectum habuit, nunquã enim dixit Hiero-
 nymus nomẽ *ὁμοῦστος* odit anima mea, sed
 quia ipse *ὁμοῦστος* nomine, non aliud quã
ὁμοῦστος apud græcos significari existimauit,
 suspectum habuit, quod ex eo tres esse in
 Deo *ὁμοῦστος* consentaneum videbatur: nondũ
 enim nomen illud ad significandam personã
 translatum didicerat: mox vero vbi quid no-
 mine significaretur intellexit, lubenter illud
 cum ceteris amplexus est. At Luthero quid
 per *ὁμοῦστος* significaretur minime post tam
 frequentem tot seculorum vsum dubium ef-
 se potuit. Aliud deinde Cāpianus noui Euan-
 gelij paradoxon enumerat. *Christum ab infantia*
non fuisse gratia consummatũ, sed animi dotibus ve-
lut ceteros homines adoleuisse. Tu verò quid? *nihil*
aliud, inquis, *docemus quam quod Evangelista lite-*
ris designauit. Iesus autem proficiebat sapien-
 tia, & gratia apud Deum & homines. Nisi
 te nouus hic euangelij spiritus in tot errores
 precipitem egisset, potuisses ex tot antiquo-
 rum patrum monumentis, huius loci qui tibi
 obscurior forte videbatur, veram interpreta-
 tionem didicisse: Christũ sapientia creuisse,
 quod vna cum ætate magis indies magisque
 illius sapientia eluceret, ac hominibus inno-
 tesceret, quomodo enim qui Dei filius, qui

Hic. ad da-
ma.Bucerus in
cap. 2. lucæ
Caluini har-
monia. Me-
lanch. in
euang. omi.
primæ
post epiph.
Luc. 2.

sapientia plenus, in quo omnes thesauri sapientie absconditi, crescere potuit in sapientia, vel quomodo anima illa verbo vnita omni excellentia quæ in vllam cadere potuit creaturam exornata non fuit? nimium sane abiectione, cum gnosticis de Christi humanitate sentitis, qui illius animam communi ignorantie labe infectam impie prædicatis, & secundum Adamum quem Paulus de cælo cælestè esse dixit primo Adamo de terra terrestri inferiore facitis. Negare siquidem non potestis primo illo Adamo excellentem quandam scientiam sapientiamque diuinitus fuisse infusam: quid ergo amentie plenius quam Christo Dei filio qui vt ignorantie nostre remedium afferret in hunc mundum venit, ignorantie infirmitatem cum cæteris omnibus qui originis labe infecti nascuntur communem tribuere? longe certe aliter Ieremias, Fœmina circundabit virum. vt in vtero etiam materno minime dubitaremus Christum quod ad scientie & sapientie plenitudinem spectabat, etiam tum virum fuisse. hinc Augustinus ignorantiam (inquit) nullo modo crediderim fuisse in infante illo in quo verbum caro factum est, nec illam ipsius anime infirmitatem in Christo paruulo fuerim suspicatus, quam videmus in paruulis. & Iustinus, Christo ignorantiam tribuere impium est. Et Clemens, Christus hodie regeneratus iamne est perfectus? an quod est absurdissimum aliquid ei

2. Cor. 15.

Ierem. 31.

Lib. 2. de pecc. mer. & re in illa ca. 29. Iust. quest. 58. ad orth. Clem. lib. 1. paed. Hilar. lib. 9 de trinit.

deest? & Hilarius, An credibile est vt aliquid ex omnibus nesciat qui omnibus ad id quod sunt atque erunt author est? Possent equidem aliorum vererum ad eandem si opus esset sententiam confirmandam testimonia proferre, sed quia à tam multis iam factum est, non ero in re tam manifesta prolixior. neque mirari satis possum tam audacter absque omni pudore Arrianorum, Eunomianorum, Gnosticorum & aliorum hæreticorum impiu vos & peruersum dogma defendere, sed Christus (inquis) à Luca non πληρης sed πληρης μενος sapientia dicitur, an hoc quidquam ad rem facit cum semper plenus gratia fuisse dicatur? neque πληρης υδρος profectum atque accessione significat, vt tu valde imperite hallucinaris, sed potius efficientiam, vt ad humanam Christi naturam referendū intelligatur, quod sapientiam omnem à Deo simul atque verbo coniuncta est, accepit. Urget forte nos magis quod sequitur, Ioannes (inquis) ab vtero matris plenus spiritu dicitur, & tamen in dotibus spiritus sancti creuisse negandum non est. Hoc tantum ad blasphemiarum tuarum cumulum deerat, vt Christum non aliter spiritu plenum quam Ioannem diceret, cum Ioannes non nisi lucerna fuerit, Christus lux, quæ omnem hominē in hunc mundum venientem illuminat. Neque animaduertisti plenitudinem gratie (vt scholastico more loquamur) vel esse ratione subiecti, vel ratione ipsius gratie, vt cum

Luc. 1.

Ioan. 1.

quis secundum mensuram Christi, ea gratia imbutus est quæ ad suum obeundum munus satis est, tum gratia plenus dicitur, *virgo Sanctissima* plena gratia dicitur, quia pro suo statu ad quem erat electa, hoc est ut mater Dei esset, abundantem gratiam accepit, & Stephanus etiam plenus gratia, quia & ille abundantem gratiam accepit ut esset martyr & testis Dei. Sed Christo non est data gratia ad mensuram, sed secundum omnem ipsius gratiæ dignitatem ac excellentiam ea imbutus fuit. Ita ut nulla esset gratiæ vis qua ipse non excelleret. Atque longe aliter ipse plenus spiritu quam ullus hominum, & in ordinem illum cæterorum velle cogere an non amentię summę est? cum filium humanã naturã non nisi pulcherrimã & omnibus suis dotibus ornatam assumere decuerit, & cum Christi animam imperfectione aliqua (cuiusmodi maxime est ignorantia) laborasse absurdissimum sit. Sed Ambrosium nobis obiicis, Christus (inquit) secundum carnem utique sapientia implebatur & gratia. Idem Ambrosius seipsum interpretatur. Sunt (inquit) plerique eo freti quod scriptum est: proficiebat Iesus sapientia, & gratia apud Deũ. & homines, qui dicunt secundum naturæ nostræ assumptionem ignorare quasi filium hominis, hæc (inquit) alij dicunt. Ego vero nihil ignorasse filium dico, sed nostrum assumpsit affectum ut nostra ignorantione

Amb. in lucam lib. 2.

cap. 2.

Amb. lib. 5. de fide ca. 8

ignotare se diceret. Videre hic potes Ambrosium quid verbis illis à te citatis voluerit, *Li. 7. epist. satis declarasse: & alio loco. Accepit plenitudinem (inquit) naturæ & perfectionis humanæ, sicut Deo nihil deerat, ita nec hominis consummationi, ut esset perfectus in utraque forma. Si vero scientia illi defuit, quæ inter prima humanæ naturæ est ornamenta, quomodo in utraque forma Christus perfectus fuit?* Idē te & alij patres docuisset si in iis voluēdis tempus vel breuissimum posuisses: ut Cyril. cum audis (inquit) Iesum profecisse gratia & sapientia, noli putare quicquam ipsi additum fuisse, qui nullius vnquam rei egere potuit, sed quia videntibus atque audientibus eum, sapientiozem gratiozemque præbebat: & Hieronymus Christum non vere sed apparenter sapientia & gratia profecisse ait, Eadem porro inscitia qua Ambrosium *Hier. in ca. 31. Mate. in sua harmonia. Iansenius (inquis) lubenter se in hac sententiam ire profitetur. Sed facile tui Academici te nunquam Iansenium vel legisse, vel certè intellexisse deprehendent. A recentioribus (inquit ille) hic locus (creuit Iesus sapientia) de habitu sapientiæ acquisito intelligi solet, scholastici enim duplicem sapientiæ habitum in Christo esse dixerunt, alterum infusum, alterum acquisitum, quem Christus ex rerum usu & experientia cæterorum hominum more, quamuis longe quã*

Cyrl. in 17. ioan lib. 10. Thes. cap. 7

Hier. in ca. 31. Mate.

Ianf. in ca. 12. concor. euang.

alij excellentiori modo sibi comparauit. Nā si ex huiusmodi rerum experientia animis nostris scientiæ habitus ingenerari solet, quomodo id in Christo cuius intelligendi eadem cum nostra, natura erat, factum esse dubitabimus? De hoc habitu scientiæ loquutus est Iansenius, in quo Christum indies creuisse dixit, sed interim Christum ut vos rerū ignorantia laborasse, & nulla scientia præditum infusa fuisse blasphemum iudicauit, quem ratione vnionis hypostaticæ semper sapientia plenum fuisse pronunciat, quam sapientiam diuinam vocauit, quod diuinitus illi infusa & non humano more comparata esset. Nihil ergo hic Iansenius aliud sensit quam quod ante illum D. Thomas alique scholæ doctores. Sed adhuc nouas copias adiungis. *Erasmus* (inquis) *eam veriore sententiam esse dixit, quanquam illum in tuis non numero: si in nostris ille nō numeratur quidquid demū senserit non valde sollicitos nos reddit, sed in tuis certè numerari non debet, vix enim Caluini nomen audiri cæperat cū ille vita functus est: grandior enim ætate vestro Euangelio fuit. Sed neque se Caluino fat scio vnquam in discipulum dedisset, qui à Luthero Caluini parente ita abhorruit, ut malle se in mille partes discerpi diceret, quàm illius sectæ adherere, cui neminem se vnquam addixisset, qui non mox seipso deterior euaderet: & cū miracula lutherani nescio quæ apud imperitos*

In epist. ad
fratres
Germ.

peritos iactarent, ille ne claudum quidem equum sanare omnes potuisse constanter affirmavit. Mirum vero quam hic insultas quod Campianus ex ignorantia, si quæ in Christo fuisset, peccatum etiam originale in eo esse debuisse contendat. *Nam & primus homo* (inquis) *multa ignorauit, & angeli multa ignorauerunt, in quibus originale peccatū non fuit.* Vbi tu sane perquam ignoranter de ignorantia disputas: nam tamen quædam, angeli primique parentes nostri nescierint, ignorantia tamen, de qua hic theologi loquuntur, minime laborarunt. Non enim ut erudite D. Thomas docet, ignorantia dicitur quæuis scientiæ priuatio, sed illius tantum qua is destituitur, qui ea præditus esse deberet, qualem neque in angelis, neque in primo homine fuisse certum est: hanc enim ex originis labe in naturam irrepsisse humanam constat. Quam tu si in Christo esse fateris, euadere nunquam poteris, quin & originis labè contraxisse Christum affirmes, cum hæc demum sit ignorantia, quam ut ceteris hominibus, ita Christo conuenire contenditis. Quod ut confirmes, Cyrillo teste, Christum prout erat homo, iudicij diem ignorasse pronuncias, ut mirum certe videri non debeat Christo adhuc puero ignorantiam vos tribuere, qui illi etiam postquam omnem humanæ naturæ perfectionem attigisset, ignorantiam tribuitis. Ignoras forte præcipuum illud Ar-

D. Th. 1. q.
101. art. 1.

Cyrl. lib.
9. Theol. cap.

rianorum argumentum fuisse, cui catholici patres multis ante natum Caluinum seculis abunde responderunt: Quin & Cyrillus ipse Christum id quadam dispensatione dixisse ait; hoc est ipso interprete, vt hominem se ostenderet, non quod vere diem illū ignoraret. Quomodo enim qui omnes homines iudicaturus est, & qui signa omnia quę diem illum præcederent Apostolis indicauit, diem illum vt ipse argumentatur ignorare potuit? Faceſſat igitur vestrum hoc tam impium paradoxum, quod ex Gnosticorum schola haustis: qui vt Ireneus testis est, Christum sub anonymo quodam præceptore literas, atque adeo ipsum Alphabetum didicisse affirmarunt: quod & de vobis omnino dicendum est, nisi perpetua Christum ignoracione laborasse dicatis. Quorum sane præceptorum an vos pudeat nescio, Centuriatores certe non puduit, qui cum Agnoitarū hæreseos meminissent, quorū authorē sub Valentis imperio Themistiū Nicephorus fuisse cōmemorat, quorū & meminit Gregor. magnus, non satis magnā fuisse damnacionis illorum causam dixerunt, *Propter istam, inquit, sententiam, qua Christo ignoracionem tribuebant, non tam fuissent dammandi, quā propter alia dogmata Arrianismum redolentia, quę tamen non sunt in literis relata, quantum nos quidem scimus.* Nos vero whitakere iure optimo ob tam impiam de Christo sententiam fuisse damnatos minime dubita-


Iren. lib. 1.
cap. 17.

Niceph. lib.
18. cap. 49.
& 50.
Gre. lib. 8.
indict. 3.
epist. 42.

mus, nec dubitare profecto quisquam potest, qui Isaiaꝝ prophetaꝝ fidem adhibendam existimat. *Requiescet (inquit) super eum spiritus domini, spiritus sapientię & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, quibus sane spiritus donis vel vno Christū momēto caruisse, sine summa ipsius iniuria cogitari non potest. Impudentissimum igitur Bucerī vestri commentū est, quo catholicos ait quę de perfecta Christi in instanti conceptionis scientia disputat esse esse commentos. Sequitur deinde paradoxum aliud sane absurdissimum. *Christus cum orans in horto sudoribus aqua manaret ac sanguinis sensu damnacionis aeternę cohorruit, vocem edidit sine ratione, sine spiritu, vocem doloris impetu repentino, quam vt non satis meditatū celeriter castigauit. Quo nescio an quid magis blasphemum, vel à summa Christi maiestate alienū ab homine quantumuis impio dici potuerit. Tu vero quid? *Ista, inquit, quę nobis obiciis Campiane, tantum abest vt vel negem vel dissimulem, vt illa palam libere que prædicem ac præ me feram: non enim Christus mortem hanc temporalē tantopere exhorruit, quā martyres hilares lætisque adierunt. Quid ergo whitakere, exhorruit gehennamne vel iram Dei? Certe Christus qui Dei filius erat, qui nihil in se ira dignum esse sciebat, gehennę pœnas perhorrescere non potuit. Neque enim minus illū de sua electione certum quā Theodorum Bezā fuisse consen-***

Centu. 7.
cap. 5.
Isaic. 11
Buce. in cap.
2. Luce.
Mar. in 26.
Ma. C al. in
harmonia.

G g ij



lib. contra. raneū est: qui quā certus fuerit ex ipsius ver-
 lycophantā bis cognoſce. *Tam certi* (inquit) *ſumus nos à*
Deo electos quā ſi praesentes aeterno illius conſilio
interſuiſſemus. Quid ergo ſibi vult quod ais?
 Matth. 17. *Hinc illa vox in cruce emiſſa, quā ille non fidē ſed*
ex animo edidit, Deus Deus meus vt quid dereliqui-
ſti me? haec gehenna fuit, quā Chriſtus non mortuus
ſed viuus gēſtauit, & certe cruciatus hic quē Chri-
ſtus eo tempore perpeſſus eſt, ipſos quodāmodo gehē-
na dolores exaequauit. An non tum corporis ſui
 hoſtiam ſanctiſſimam & gratiſſimam patri in
 cruce immolabat? quomodo ergo ſe à patre
 deſertum, cui ſeipſum totū offerebat cogita-
 re potuit? Neque animaduertis, ſi Chriſtus ſe
 rum à patre deſertum ſibi perſuaſiſſet, in gra-
 uiſſimo eum errore verſari debuiſſe. Vel Ra-
 banus quē tu poſtea ſumma impudentia ci-
 tas, vt alios omnes praeteream, verā illius loci
 ſententiam te docere potuiſſet. Ego ipſamet
 verba, quā pro te citasti, hic aſcribam. Quare
 me dereliquiſti ſaluator (inquit) hoc dixit no-
 ſtros circumferens motus, qui in periculis po-
 ſiti, deſeri nos putamus: humana enim natu-
 ra propter peccata fuerat derelicta, ſed quia
 filius Dei factus eſt noſter aduocatus, quo-
 rum ſuſcepit culpam, deplorat miſeriam. hoc
 ſenſu dixit Chriſtus (deus deus meus vt quid
 me dereliquiſti?) vt naturā noſtrā miſeriam
 deploraret. Eleganter Tertullianus contra
 Praxeam. Pater relinquit cum non parcit, ſic
 relinquit dum tradit, ita relinqui à patre mo-
 ri fuit filio. Neque enim vt tuus Caluinus ſa-

crilego ore euomuit, tum deſperationis vo-
 cem emiſit aliquam. *Sed Caluinus* (inquit) *hoc*
non dixit. Ipſius igitur verba audi. Sed abſur-
dum inquit videtur Chriſto elapſam eſſe deſpera-
tionis vocem, reſpondeo, facilem eſſe ſolutionem, hāc
deſperationem ex ſenſu carnis eſſe proſectam. Vbi
 vides Caluinum non tantum Chriſto deſpe-
 rationem tribuere, ſed & deſperationis cau-
 ſam explicare: & tu ipſe hoc te palam praed-
 dicare profiteris, Chriſtum dum in horto
 ſudaret aeternae damnationis ſenſu corroboruſſe.
 Cum ergo non vanus, neque inanis Chri-
 ſti timor fuerit, ſed ea exhorruerit quā ſibi
 toleranda eſſe omnino ſciebat, quin eum
 aeternam damnationem ſubiſſe dicas, effuge-
 re non potes. Quod & Caluinus ante te ſen-
 ſit, non tantum Chriſtum deſperariſſe, ſed etiā
 damnatorum poenas in animo pertuliſſe.
 Sciamus (inquit) non modo corpus Chriſti in pre-
 tium redemptionis fuiſſe traditum, ſed aliud maius
 ac excellentius pretium fuiſſe, quod diros in anima
 cruciatus dammati ac perditū hominis pertulerit. Et
 eodem loco, Ergo ſi ad inferos deſcendiſſe dicitur,
 nihil mirum eſt, cum eam mortem pertulerit, quae
 ſceleratis ab irato Deo infligatur. Et in harmonia.
 Vt pro nobis ſatisſaceret Chriſtus, cum ad Dei tri-
 bunal ſiſti oportuit, neque etiam ſolum corpus in pre-
 tium obtulit, ſed in anima etiam pertulit debitas
 nobis poenas. Nam nihil, inquit, actum erat ſi cor-
 pore a tantum morte deſunctus fuiſſet Chriſtus, ſed
 opera ſumul pretium erat vt diuina vltionis ſeue-

Caluinus in
 har. & Brē.
 in lucā par-
 te 2. hom.
 65. & in ca-
 techiſmo.

Lib. 2. cap.
 16. ſect. 10.

Lib. 2. cap.
16. sect. 10.

ritatem sentiret. *Isaias enim significat eum in locum sponforem, vadem, adeoque instar rei submissum qui dependeret ac persolueret omnes quæ ab illis expectanda erant pœnas, vno hoc dumtaxat excepto quod doloribus mortis non poterat detineri.* Euasisse vero hos scopulos tibi videtis cum Campiano respondes, gehennam Christum non mortuum sed viuum degustasse. Quid? an non parem tibi vtrumque absurditatem habere videtur, Christum viuum ac mortuum gehennæ pœnas gustasse. *At non gehennæ pœnas pertulit, inquis, sed cruciatus hic quem eo tempore perpeffus est, ipsos quodammodo gehennæ dolores exæquauit.* Tu (illi) quodammodo, magnam certe whitakere gratiam debes, semper enim in angustiis tibi præsto est, Calvinus certe non quodammodo, sed absolute pronunciauit Christum in anima perditum ac damnatum hominis pœnas pertulisse, tu quodammodo pertulisse ais: at si tibi cõstare vis, debuit nõ quodammodo sed omnino pertulisse, si aliter vt vos docetis satisfacere non potuisset, nisi pœnas pro peccatis nostris debitas perferret. Et cum Calvinus illam symboli partem, descendit ad inferos, de inferni pœnis quas Christum perpeffum esse ait, intelligat, cum prius sepultus fuerit quam ad inferos descenderit, prius mortuus esse debuit quum has gehennæ pœnas gustaret, nisi forte viuus adhuc sepultus fuit, & non in Cruce, sed in sepulchro animam efflauerit.

Non ignoro quid ille respondeat, sed tam leue est atque ridiculum, vt refutatione non egeat. Sed iam ipsam impietatis vestræ originem diligentius expendamus. Nihil inquit Calvinus corporea hac morte actum fuisse, nisi in anima etiam Christus damnati ac perditum hominis supplicium pertulisset: quam tu doctrinam dum diuini solatij plenissimam esse ais, An non merito Campianus exclamauit, Tempora Tempora, quid enim hoc aliud est quam scripturam sacram vniuersam reicere, quæ sanguinem Christi & mortem quam patri in cruce obtulit vnicum redemprionis nostræ precium fuisse perpetuo testatur? Si enim sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, habentes fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi? Atque ita passim scriptura loquitur vt semper redemptio in cruce, in sanguinem, in mortem Christi referatur, sic enim à propheta fuerat prædictum, si posuerit pro peccato animam suam, dabo illi semet longæuum. Quæ ergo maior blasphemia esse potest, quum Christi sanguinem conculcare, & vim illi omnem ac efficaciam cum impio tuo Caluino detrahere? Iam mirari desino cur nulla in hominibus bona opera ille agnoscat, cum ne ipse quidem Christi morti ef-

Hebr. 9.

Heb. 10.

ficaciã ad nos redimendos vllam tribuat. Ni-
miũ profecto humiliter abiecit; de Christi
morte Cal. sensisse oportuit, neque vnquam
illi in mentẽ venisse, quam & patri suo charus
extiterit, & quam gratam illi ac pretiosam
victimam obtulerit, vt sanguinis illius, quem
pro nobis totum largissimẽ effudit, vel mini-
ma gutta pro innumeris etiam mundis, si tot
fuissent, abunde satisfacere potuisset. Vide-
mus tamen quid vos in tantam amentiam
præcipitare potuit. *Quia hominis (inquis) non
corpus duntaxat, sed anima etiam Deum offendit,
Christum non tantum mori, sed etiam cum morte sem-
piterna luctari oportuit. Quis vnquam whitakere
corpus hominis peccasse dixit, homo est qui
peccat, nõ corpus: sed id tuẽ imperitiã facile
ignosco. Quid enim velis intelligo: debuisse
Christũ vt patri satisfaceret, eandẽ omnino
pœnã sustinere, quã homo ob peccatũ incur-
rerat: qui nõ tantũ corporis mortem, sed infer-
ni quoq; cruciatus perferre debuerat. Quo
loco tu cum tuo Caluino roto, vt video, cælo
aberras, neque in quo satisfactionis vis con-
sistat intelligis. Cũ enim peccando summã
Deo iniuram homo intulerit, quem debito
tot nominibus honore spoliavit, iustissimam
profecto æternæ mortis at damnationis sen-
tentiam incurrit, cui perpetuo obnoxius erat
futurus, nisi ablatũ Deo honorẽ restitueret:
hoc verò præstare quis poterat? vidit enim
Iohannes librum signatum quẽ nemo solue-*

A poca. 5.

re poterat, neque in cælo, neque in terra, sed
inuentus eadẽ est Leo de tribu Iuda. Chri-
stus enim qui & Deus, & certè homo erat,
hominis in se delictum suscepit, ac honorem
Deo in solidum restituit, dum victimam illi
longe obtulit gratiorẽ, quã vlla displicere
hominum peccata potuerunt. Atque in hunc
modũ diuinæ Christi iustitiæ satisfecit, non
grauitate profectò ac multitudine supplicio-
rum, sed pòdere actionum, quarum vnaque-
que, quia non hominis tantum, sed Dei erat,
non potuit non esse Deo gratissima, adeoque
iustissimum redemptionis pretium. Neque
vero necesse erat vt eadẽ Christus pœnam
subiret, quæ homini ob peccatum merito de-
bebatur, quemadmodum si quis are alie-
no oppressum ex carcere liberare velit,
vt in carcerem ipse eat necesse non est, sed
vt quicquid est debiti creditori retribuat:
adeo vt meridiana luce clarius sit, hanc ve-
ram esse satisfactionis rationem, quam scri-
pturę, patres, scriptorẽsque antè Caluinum
omnes tradiderunt. Quam vero tu ineptè
Melchiorẽ Canum erroris tui sociũ asciscis,
quia Christũ nõ in appetitu modo, sed etiã in
volũtate ipsa tristitiã sensisse dicat? Quod ni-
hil sanè ad eam rẽ de qua agitur spectat, siue
enim in appetitu tantũ (vt cõmuniõ fert scho-
lę opinio) siue in volũtate dispõsatione quadã
tristitiã senserit, nõ ideo vel desperauit Chri-
stus, vel inferni pœnas expertus est. Ambrosi-
us vero & Hieronymus, quos tu ex Cano citasti,

Canus lib.
12. cap. 13.

In cap. 16.
Matth.

nihil certè aliud quã fuisse in Christo tristitiã dicunt, vt satis ea quæ tu ipse ex Cano citasti illorum verba indicant. Bucerum præ hac insania modestum esse dixit Campianus, *Qui inferni nomine sepulchrum intellexit, vtrumque (inquis) inter se Bucerus & Calvinus minus de re conueniunt, in eo tamè præclare consentiunt, improbè vt Papistas de Christi ad inferos descensu sensisse fateantur.* Idque ex veteri hæreticorum consuetudine, de quibus Terrullianus, Nihil interest illis licet diuersa tractantibus, dum ad vnius veritatis expugnationem conspirent.

De prescrip.

Neque Bucerum ergo tu neque Calvinum reprehendis, nec tua refert quicquid demum intelligatur, modo Christum ad inferos non descendisse credamus, ita enim tibi placuit catholicorum omnium de limbo sententiam indignum somnium appellare: qua tamen nihil scripturis sacris neque veterum ecclesiæ patrum testimoniis apertius confirmari potest. Sic enim Dauid, *Insuper*

Psal. 15.

& caro mea requiescet in spe, quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Zacha. 9

Et Zacharias propheta, Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua. Et in ecclesiastico, Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in domino. Vt alia penè innumera præteream, quæ sanè omnia de limbo patres intellexerunt, imprimis vero Ireneus.

Ecclesi. 24.
1. pet. 3. ad
coloss. 2.

Ipse dominus (inquit) conuersatus est tribus diebus vbi erant mortui, quemadmodum heredes. Lib. 5. cõtra
propheta ait de eo. Commemoratus est dominus sanctorum mortuorum suorum, eorum qui antè dormierant in terram stipulationis, & descendit ad eos extrahere eos & saluare eos. & paulo post. Sed & apostolus ait, Ascendit autem, quid est nisi quia descendit in inferiora terræ? hoc & Dauid in eam prophetans dixit, Eripuisti animam meam ex inferno inferiori. Epiphanius Christum ad inferos descēdisse ait, vt eorum etiam dominaretur. Et Basilius dum ea verba interpretatur. Deus redimet animam meam de manu inferi. Propheta vaticinatur (inquit) de descensu Christi ad inferos. Et Hieronymus, per inferiora terræ infernus accipitur: ad quem dominus noster saluatorque descendit, vt sanctorum animas quæ ibi tenebantur inclusæ, secum ad cælos victor abduceret. Ad Augustinum iam qui tuus quantus quantus est venio. Dominum quidem (inquit) carne mortificatum aduenisse infernum satis constat: neque enim contradici potest vel prophetiæ quæ dixit quoniam non derelinques animam in inferno. Quod ne aliter quisquam sapere auderet, in actibus Apostolorum idem Petrus exponit illis verbis, quibus eum asserit soluissè inferni dolores, in quibus impossibile erat eum teneri. Quis ergo nisi infidelis negauerit apud inferos fuisse

Herc. 49.

Psal. 48.

In cap. 4. ad
ephes.

Epist. 99.

Act. 2.

Epist. 57.

Lib. 2. ca. 16.
sect. 9.

Christū? Hæc Augustinus, cuius sanè iudicio Calvinus vester & vos illius sectatores infideles estis. Et alio loco: de carne quidē Christi quod eo die in sepulchro sit positū, manifestissimum est euangelium: quod vero illa anima in infernum descenderit, apostolica doctrina prædicat. Eat nunc Calvinus, & qua solet impudentia clamitet. *Nescio qui factum sit vt posteritas locum putaret esse subterraneum, cui effinxit nomen limbi: sed hæc fabula, tametsi magnos authores habet, & hodie quoque à multis serio pro veritate defenditur, nihil tamen quam fabula est.* Malè propterea vos habet descensum Christi ad inferos in symbolo reperiri, quod nimium id vobis negotij facessat. Ideo se Campianus à quodam qui conuenticulo Lōdinenſi interfuit accepisse ait, laboratum ibi fuisse, vt ex symbolo expungeretur: Tu neque Chenio quem ille testem adhibuit, neq; illi te credere ais. Verū credas, an nō credas nihil interest: cū & res gesta sit, & qui cōuenticulo illi interfuit, quid ibi actū fuerit, melius quam tu scire potuerit. Proinde vt eorum culpam eleues, qui rem tam nefariam ausi sunt, *Vetera* (inquis) *symbola eo articulo caruerunt, quemadmodum author est ille quisquis est qui symbolum commentariis illustrauit apud Cyprianum: leuior forsitan eorum culpa fuit qui Romanam ecclesiam quam tu errare posse negas, imitari voluerunt.* Author ille quem te ignorare video fuit Ruffinus, vt ex Tritemio. Gé-

nadio, & Hieronymo, & aliis constat. Quid vero hic audio? leuissime culpa esse potest, è sacrosancto Apostolorum symbolo Christi ad inferos descensum expungere, in quo solo tam eximiam vos consolationem esse vultis? Sed quocūque tandem tempore Romanæ Ruffin. in ecclesiæ symbolo additum fuerit, de re ipsa sym. certè minimè vnquam dubitatum est, vt ex iis quæ protulimus patrum testimoniis videre potes. Et Ruffinus ipse dum in eo symbolo quo Romanæ vrbs Christiani utebantur, non fuisse hoc admonet: in sua Aquilensi, aliisq; multis fuisse satis indicat. Imo & apud Arhanasium inuenitur, apud quem Athana. in nulla sepulturæ mentio, vt in Nicæno quo- sym. fidei. que symbolo, quod sepulturæ meminit, descensus ad inferos non est expressus: Neque tamen idcirco fuisse diminutum symbolum censendum est, cum ex altero alterum facile colligeretur. Nam si corpus Christi post mortem in sepulchro est collocatum, quis non videt esse quoque consentaneum vt anima ad communem reliquarū animarū locum descenderit? Quod vero à Romanis non fuerit olim disertis verbis in symbolo expressum, nihil mirum. Causam enim reddit Ruffinus, quod nulla illic hæresis exordium sumpserit, in cæteris autem locis (inquit) quantum intelligi datur propter nonnullos hæreticos addita quædam videntur, per quæ nouella doctrine sensus crederetur excludi

In ca. 2. act.

Atque vt rem hanc tandem concludam, horrenda certè alia Caluini tui blasphemia, non tantum à Christi ipsius maiestate alienissima est, sed adeo omni & scripturarum & patrum antiquorum testimonio destituta, vt Beza etiam tuo, non nisi monstrum, vt est, videri poterit. Postquam enim illum locum (non derelinques animam meam in inferno) more suo egregiè vertisset (non derelinques cadauer meum in sepulchro) Tandem (inquit) inuentus est nostra aetate qui diceret Christi animam verè ad loca dammandis nocentibus destinata peruenisse, & ibi peccatorum nostrorum pœnas luisset. Nam (inquit ille) alioqui non erit ipse pro nobis satisfactio (quo vnico ferè Caluinus argumento vtitur) Atque si ita est, cur non ipsum etiam Christi corpus isdem pœnis subiecit? si quidem nostrum corpus non minus est obnoxium pœnis æternis, quàm noster animus. Quid vero cū Christus paueret, cum sanguinis grumos sudaret, non luebat ipse anima pœnas peccatis nostris debitas? Sed ad rem redeo, cum vnus & alterius vocabuli (hoc est sepulchri & animæ) dubia interpretatio tot monstra peperit, simpliciter malui pro anima cadauer, pro inferno sepulchrum dicere, quam fœdos illos errores fouere. Hæc Beza tuus, quibus verbis sanè Ioannem Caluinum, si quem alium vehementer perstringit & quem nō raro fidelè domini Prophetam vocare solet, hic pro fidei articulo fœdissimum errorem & horrendum inuexisse monstrum affirmare non du-

bitar. Nec ipse profectò Beza aliud quàm monstrum esse potest, cui anima cadauer est. Si enim Christi animam cadauer esse credit, suamne animam aliud quam cadauer esse existimare potest? nisi fortè excellentiorem Christo animam nactus est. Cætera iam paradoxa audiamus. Illiricus imaginem Dei penitus in homine deletam esse dixit, nulla boni scintilla superstitite. *Progressus*, inquit, *ille longius est quàm oportuit, credo vt se à vobis quos penitus oderat, longissimè remoueret: vellem vero quadam sua emendasset, ne ille vir summus extitisset.* Quid noui ergo vestri Euangelici qui tam diligenter ad analogiam fidei scripturas interpretantur, in tam fœdos errores labi possunt? Ne tu miser homo es qui in talium Prophetarum defensione tam inanem operam ponis? Quidni igitur Caluinum Illiricum cæteraque huiusmodi Prophetarum monstra longe à te ablegas, & aliorum omnium hæreticorum more ad scripturarum sacrarum fontes recurris? Sed Caluino, inquit, *Campianus manifestam iniuriam facit, quem Illirico huius sententiæ societate coniungit, is enim discretè scribit, non penitus in homine deletam fuisse Dei imaginem.* Et vt tuā nobis eruditionem ostentes, multa de voluntate, de intelligentia, de supernaturalibus illis dotibus, quibus Deus hominem cū condidit ornauerat, in medium affers: sed id de quo agitur vix ac ne vix quidem attingis: veteres illos Arrianos

Illir. de peccato orig.
Hæc. de cōten. vere. eccl. Ken-
nitius cōr.
cël. Colon.

Lib. 1. insti.
ca. 5. scilicet. 4.

imitatus de quibus pulchrè ab Athanasio dictum fuit, dū tot fidei symbola ederent quotidie, in quibus fuscæ quæ extra controuersiam omnem erant complectebantur, vbi ad id quod dicendum erat ventum est, summa breuitate præteribant, vt propemodum quid tandem sibi vellent intelligi non posset. Quos ille medicis imperitis persimiles esse aiebat, qui cum de ægro aliquo membro medicamentis sanando consuluntur, multa de sanorum membrorum natura prolixè disputant, infirmum vero membrum, in cuius gratiam omnis ab illis oratio suscepta fuerat, vix tandem attingunt. Tuum erat non tam multa de donis naturalibus & supernaturalibus declamare, sed apertè ac clarè Caluini tui sententiam explicare, quæ certè alia non est quàm quæ illi à Campiano ascribitur, in sanctis nihil aliud esse intrinsecus quam meram corruptionem ac contagionem. Si enim nulla vera in sanctis iustitia est, sed eorum opera omnia peccata sunt, vt nõ vno loco docet Caluinus, quid præter corruptionem in illis & contagionem esse potest? ex hoc tu tam profundo erroris gurgite emergere debuisti. *At Caluinus* (ais) *hominis imaginem non plane deletam esse dixit*, Campianus non de imagine hominis loquentem Caluinum induxit, sed illius iudicio nihil esse in homine quantumuis sancto, nisi meram corruptionem & contagionem ait. Quod tu
Caluini

Caluini discipulus, quia ex sententia magistri negare non audes, vt saltem dissimules, mutila illius verba profers. At ego tibi integra reponam. *Quære tisi demus* (inquit) cap. 15. sect. non prorsus eximiam ac deletam fuisse in homine Dei imaginem, sic tamen corrupta fuit, vt quicquid superest, horrenda sit deformitas. An non qui pro Dei imagine nihil nisi horrendam quandam deformitatem in homine remansisse dicit, Dei imaginè plane deletam vult: nisi forte tibi vel Caluino tuo, horrenda aliqua deformitas diuinæ imaginis portio esse possit. Illiricus, vt Campianus dixit, originale peccatum putauit esse iutam substantiam animarum. Tu vero, *Nos* (inquis) *non ii sumus qui quidquid Illiricus potuerit v homo errare, id omnino nostra quicquam putemus interesse*. Valde hic tuū candorem laudo, sed cum non minore audacia ac temeritate pro sua sententia Illiricus scripturas iactet, quàm Caluinus, neque minus impudenter gloriatur, se à spiritu Dei, quidquid illi in mentem venit didicisse, nescio cum tam illi parum tribuas, cur Caluino tuo tantū ab omnibus tribui velis. Sed quod mox subiungis, quàm feliciter fidei Christianæ dogmatibus imbutus sis, satis ostendit. *Ea semper* (inquis) *ecclesie catholice sententia fuit, quoniam esse nostram profiteor: Peccatum non esse ipsam substantiam sed accidens, & qualitatem*. Nunquam profecto ecclesia catholica peccatum esse accidens vel qualitatem credidit,

sed illius vim omnem atque naturam in priuatione consistere. Quomodo enim accidens omne cum entis in se rationem complectatur, non habet effectricem causam & authorem Deum? At tu Deum peccati esse authorem negas. Peccatum ergo neque qualitas, neque accidens esse potest. Neque omnino Basilium, Augustinum, Ambrosium, quos pro tui erroris defensione citas, intelligis. Et ut à Basilio incipiam, peccatum illenō accidēs neque qualitatem vocat, sed *διὰ τὴν ἐν ψυχῇ εὐαντίας ἐχθραν τοῦ ἀρετῆς*, hoc est, affectionem virtuti contrariam: quibus sane verbis nihilo magis peccatum accidens vel veram qualitatem appellat, quàm cum tenebras aeris affectionem lumini contrariam, vel cæcitatem oculorum affectionē aspectui contrariam vocat. Neque enim tenebræ, neque cæcitas, inter qualitates vel omnino accidentia numeratur. Vnde fit ut affectionis nomen, non veris modo qualitatibus, sed & earum priuationibus quæ analogia quadam subiectum afficiūt, tribuatur. Ad Augustinum quod attinet, cuius in hunc modum verba profers, peccatum non substantialiter manet sicut aliquod corpus, aut spiritus, sed affectio est quædam malæ qualitatis sicut languor: merito certe calumniæ re accusabit. Nam quæ de concupiscentia scripsit (quam paulo ante peccatum esse negauit) tu ad peccatum summa fraude retuli-

Basil. hom.
2. in he.

Lib. 1. de
nupt. & con
cup. cap. 25.

Ibidem
cap. 23.

sti. De concupiscentia igitur Augustinus in hunc modum: Quamuis autem reatu suo iam soluto, manet tamen donec sanetur omnis infirmitas nostra, proficiente renouatione interioris hominis de die in diem cum exterior induerit incorruptionem. Non enim substantialiter manet, sicut aliquod corpus aut spiritus, sed affectio est quædam malæ qualitatis, sicut langor. Non ergo aliquid remanet, quod non remittatur, cum sit sicut scriptum est, propitius dominus omnibus iniquitatibus nostris: sed donec fiat id quod sequitur, qui sanat omnes languores tuos, qui redimet de corruptione vitam tuam, manet in corpore mortis huius carnalis concupiscentia, cuius vitiosis desideriis ad illicita perpetranda non obedire, præcipimur: ne regnet peccatum in nostro mortali corpore. Hæc ad verbum Augustinus. Vbi nihil profecto minus quàm peccatum, vel qualitatem, vel accidens appellat, quem si tu qua profetorem regium decet diligentia legisses, non ignorares nihil apud illum frequentius occurrere, quàm peccatum priuationem, inordinationem, imo nihil esse. Sic enim ille locum illum Ioannis interpretatur, sine ipso factum est nihil, id est peccatum. Atque ob id peccati causam minime esse quærendam, quia cum nature alicuius existentis rationem non habeat, veram habere efficientem causam

H h ij

Aug. lib. 1.
ad simpli.
92. lib. 1. de
lib. cur. cap.
16. de fide
Man. cap. 8

non potest. Iam ad ea quæ ex Ambrosio citas venio. Quomodo inhabitat in carne peccatum, cum non sit substantia sed prauaricatio boni? quæ sane verba cuiuscunque tandem authoris sint, errorem tuum apertissime refellunt: vt valde te cæcum esse oportuerit, qui toties contrarias vestris dogmatibus patrum sententias, tanquam eis consentaneas adduxisti. Sequitur paradoxum aliud: tritum enim in hac fece dixit esse Campianus peccata omnia paria esse. Tu cum wicclesum ab hoc errore defendere non possis, quem illi waldensis, qui illius hereses omnes satis perfectas habuit, ascribit: vanissimis tamen, quibus eum defendas, coniecturis vteris. *Neque (inquis) vt credam id docuisse Wicclesum adduci possum.* Magnum sane argumentum, & tuo dignum acumine, nihil ergo verum erit, nisi quod whitakerus vt credat adduci potest. Caluinum tamen tuum in eo minime errore fuisse ais, & Campianum eo nomine mendacij accusas. Verum quid ille dixerit assequutus non es: in eo nepe Caluinum omnia peccata paria fecisse dixit, quod omnia, mortalia, & æternis digna suppliciis censuerit, tamque æternam mereatur pœnam, vt illius vtar exemplo, qui gallum gallinaceum, vbi opus non est occiderit, quam qui Guisium herosa occidit. Quod tu certè Caluinum docuisse, & si gnauiter impudens sis, negare non audes: & tamen quibus vel minima iu-

Wicclesus
apud Vval
dese lib.
de sac. cap.
14. Cal. in
antidoto.
consilii
Triden.

dicij scintilla reliqua est in quam densis tenebris, sædoque errore verferis facile vident. Ne tamen nihil respondisse videaris, eo callidè dissimulato in quo quæstio omnis posita erat, multa de vestra innocentia declamiras, vt quibus ne in mentem quidem aliquando venerit peccata esse paria, neque tamen quo id diluas quod à Campiano vobis obiectum dixi, verbum vnum facis: cumque nihil occurrat aliud quo te defendas, quin Caluino iudice tam æternam ille mortem mereatur, qui gallum gallinaceum vbi opus non est, quam qui Guisium herosa occiderit, te in Guisio illo clementiam desiderare ais: & Bezarà tuum aliòsque quos immanissimi illius facinoris perpetrator ipse, auctores esse dixit, bonorum omnium iudicio absolutos iampridem esse ais. Desine vero whitakere si sapis, de iis rebus verba facere, quæ non ad Theologicam professionem, sed ad ciuile magistratus officium pertinent. Desine optimi principis, totòque orbe merito celeberrimi, censorem te præbere. Maior est enim illius apud omnes gloria, quam vt à te tuique similibus vel augeri possit, vel minui. De cuius summa erga Deum pietate, ac religione, erga regem fide ac obseruantia, erga patriam denique amore ac beneuolentia, nulla vnquam ætas conticescet. Gratiam vos Campianus in solo Dei fauor-

Luther. in re collocare dixit, in mentibus nostris in-
respon. con fusam esse negare, tu hic quam soles libera-
ra. Louan. lius nobiscum te acturum polliceris, &
scholasticorum de gratia distinctiones ad-
missurum libenter: sed mirum quàm te non
theologiae scholasticæ modo, sed & omnis
omnino theologiae ignarum prodis.

Gratiam (inquis) *duplicem facimus, vel enim
gratuitam Dei erga nos beneuolentiam, clemen-
tiamque declarat, vel ea dona significat, quæ ex il-
la Dei misericordia ad nos perueniunt, illam vul-
go gratiam gratis facientem vocant, hanc gratis
datam.* Vulgo quidem in Scholis dici solet
aliam esse gratiam gratis datam, aliam gra-
tum facientem: At quid sibi velit gratia gra-
tis faciens, hætenus nemo mortalium in-
tellexit, neque etiam fauor ille Dei quo nos
complectitur, gratia vel gratis data, vel gra-
tum faciens vnquam dici solet, vt tu im-
peritissimè hallucinaris, sed gratia gratum
faciens, est quæ diuinitus nobis infusa nos
iustificat, & gratos demum Deo facit: de
qua Paulus Iustificati grati per gratiam ip-
sius. Gratia vero gratis data ea est, quæ in
vtilitatem ecclesiæ, & ædificationem corpo-
ris Christi, ad eximia aliqua magnaue ope-
ra præstanda conferri solet, qualia sunt do-
num linguarum, miraculorum, aliaque hu-
iustmodi, de quibus Paulus, diuisiones
autem gratiarum multæ sunt. Hæc sunt quæ

Ad Rom. 3.

1. Cor. 12.

vulgo ipsis theologiae tyronibus in scholis
traduntur, quæ ad tuam indicandam inisci-
tiam satis esse videntur. Ad te iam redea-
mus. *Non vniuersam* (inquis) *gratiam ab ho-
mine abstrahimus, atque in Dei tantum favore
collocamus, sed primam illam gratiam in Deo po-
nimus, quàm a nobis perceptam fides, spes, cha-
ritas, ceteraque virtutes consequuntur.* Agnos-
co vestrum hic de imputatiua iustitia dog-
ma, quo nescio quid à scripturis magis alie-
num fingere quisquam possit. Si enim finis
legis, vt Paulus docet, *charitas est: qui* Ad Rom. 13
enim diligit proximum, legem impleuit,
*cùm iustitia non nisi in legis impletione
consistat, certe si in nobis vere est charitas,
vera etiam sit iustitia necesse est. Pulchre
enim Aug. Charitas inchoata, inchoata iusti-
tia est, charitas prouecta, prouecta iustitia* Aug. de
est, charitas magna, magna iustitia est, nat. & gra-
charitas perfecta, perfecta iustitia est. Vt cap. 70.
*veram ergo in nobis charitatem fateris, ita
veram etiam in nobis iustitiam esse negare
non potes. Concidit ergo nouum illud ve-
strum de imputatiua iustitia dogma, quod
tu cum præsentias, pedem mox refers.*
Nullam (inquis) *aliam agnoscimus gratiam iu-
stificantiem, quàm immensam Dei gratuitamque
misericordiam, qua nos electos in Christo vocauit,
ac iustificauit. Quidni ergo libere absque
omni tergiversatione fateris, quod tibi*

Campianus obiecit, vos gratiam omnem in diuino tantum fauore, extra nos collocare, qui fauor nec emendet impios, nec purget, nec illuminet, nec dicit, sed veterem adhuc manentem sentinam atque foetentem, ne deformis ac odiosa putetur, Deo conuiuente dissimulet? Hæc, inquam, vel ingenue fatere, vel gratiam aliquam nobis tribue, quæ ex impiis nos emendet, ac pios efficiat, quæ ex sordidis mundos reddat, quæ mentem illustret, ac diuinæ veluti naturæ participatione locupletet, quæ denique omnes peccatorum nostrorum sordes, ac sentinam exhauriat: vt iam non amplius peccatis ac sceleribus nostris contaminati, sed mundi ac sancti coram Deo appareamus. Tu certè nullam in nobis gratiam agnoscis, in quam hæc quæ paucis attingi conuenire aliqua ratione possent: Hinc vanis quibusdam tergiuersationibus more tuo nugaris, nunquam ad id quod res ipsa postulat serio respondes. *Insusa* (inquis) *gratia in qua regeneratio ac sanctificatio consistit, quæque scriptura nouum hominem appellat, non est satis ad nos iustificandos valida.* Noua hæc whitakere theologia est, nos per gratiam insusam, vitæ nouitatem ac sanctificationem adipisci, minime tamen iustificari. At quæ re obsecro scriptura docuit, iustificationem à sanctificatione distinguere? hæc

enim duo Paulus certè non distinguit, sed abluti estis (inquit) sed sanctificati estis, 1. ad Cor. 6. sed iustificati estis: & exhibere mēbra vestra seruire iustitiæ in sanctificatione: & viri diligite vxores vestras sicut Christus dilexit ecclesiam, qui seipsum tradidit pro ea vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid eiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata. An non vides Paulum vim sanctificationis, in vera peccatorum remissione, & in animæ dotibus ac ornamentis, quibus coram deo gloriosa efficitur posuisse, in quibus duobus cum iustificatio consistat, nullum certè inter illa, Pauli iudicio, discrimen est. Neque Calvinus ipse qui huius somnij author extitit, verisimile vllum, vel ex scriptura, vel patribus, testimonium afferre potuit: sed cum tot locis, iustificationem nostrā bonis operibus tribui in diuinis literis animaduertisset, ne secum ipse ridicule pugnare cogeretur, sola nos fide iustificari dixit, operibus sanctificari. Quod eo certè magis mirum est, quod opera nostra illius iudicio nihil aliud quam peccata sint: peccata verò quam nobis sanctificationem conferre possunt? inquinare enim, non sanctificare peccata solent. Illud quoque mirum est, si fides nos iustificare potest, quomodo non etiam

Ad Rom. 5.
& ad ephes.

Cal. lib. 3. c.
16. sect. 1. &

sanctificare? Maxima vero omnium admiratione dignum, Christum nobis iustitiam suam imputare, qua iusti quidem, non tamen sancti efficiamur. Si enim Christi iustitia ad nos etiam sanctificandos satis est, minimè ad sanctificationem gratia illa infusa, quam tu in nobis esse dicis opus erit. Facessat ergo hoc delirium sanctificari nos infusa gratia, sed non iustificari. Sed audiamus, si placet, quod te argumentum in tam absurdum errorem precipitem dedit. *Quia* (inquis) *gratia infusa nunquam legi divina in hac vita satisfacit, sed in dies instaurat, atque ad maiorem absolutionem aspirare debet*: Quod idem sanè est ac si diceres, quia gratia infusa perfectam nobis & omnibus modis absolutam iustitiam non confert, iustificare nos minimè potest. Magna hic whitakere rerum ignoratione, vel potius cæcitate laboras, neque quæ sit hominis Christiani in hac vita iustitia prorsus intelligis: aliud siquidem est veram esse in nobis iustitiam, aliud perfectam. Quis enim vnquam catholicorum dixit, Christiani hominis iustitiam in hac vita perfectam esse debere, cum non ignorent quod à Ioanne Apostolo scriptum est, Si dixerimus quia peccatū non habemus, ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est. At Christiani hominis iustitia etsi plena & perfecta non sit, vera tamen iustitia est. Hinc Augustinus qui cæteris diligentius in huius questionis explicatione versatus est,

1 Ioan. 3.

non vno sed innumeris locis hanc catholicæ ecclesiæ sententiam fuisse ostendit: præsertim in libro quem de iustitiæ perfectione conscripsit, vbi iustitiam nostram lumini & sanitati comparauit: quemadmodum enim sanum dicimus hominem, etiam si ad eum statum quem Greci *εὐεξία* vocant non peruenit: & in aurora mox vbi sol radios suos ad nos conuertit, vero aërem lumine collustrari dicimus, meridiani licet luminis splendore minimè collustretur, ita iustum esse hominem dicimus, summa licet perfectaque iustitia nondum præditum. Ita enim Augustinus Lib. de per-
stinus. Ingressi autem sine macula non ab-
fect. Iust.
surde ille dicitur, non qui iam perfectus est, sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata venialia non negligens, mūdare eleemosynis. Et Hieronymus: iustos concedi sine omni peccato omnino nō assentior. Etenim absq; vitio quod Græcè dicitur *αγαμία* hominem posse esse aio *ἀναμάτητον*, id est, sine peccato esse nego. Et ipse Paulus: Philip 3. nō, inquit, quod iam acceperim, aut iam perfectus sim, sequor autem si quomodo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Iesu. Quanquā alio sensu viri iusti in scripturis sanctis etiam perfecti dicantur: non quod ad plenā illā & absolutā iustitiā peruenierint, sed quia vt loquitur Augustinus, qui Lib. de per-
ad ipsā perfectionē irreprehensibiliter currūt fact. iusti.

Hiero. li. 2.
contra Pelag.

Philip 3.

Lib. de per-

De veritate & magna quadam auiditate iustitiam sitiūt,
 & gra. c. 12. vt idem Augustinus alio loco explicauit,
 23 Proficientium est via, quāuis bene proficiē-
 23 tes dicantur perfecti viatores, illa autem est
 23 summa perfectio, cui nihil addatur, cum id
 23 quo tenditur cœpit possideri: & de peccato-
 Lib. 2. ca. 13. rum meritis ac remissione. Ipse (inquit) Apo-
 Ad Rom. 7. stolus fatetur se nondum esse perfectum,
 23 quamuis iam esset perfectus viator, & si nō-
 23 dum erat ipsius itineris perfectione peruen-
 23 tor. Et Paulo post exponens ea verba, Ve-
 23 rum tamen ad quod peruenimus, in eo am-
 23 bulemus, ambulatio illa non pedibus, sed
 23 affectibus geritur, vt possint esse perfecti ius-
 23 titiæ possessores, qui recto itinere fidei de
 23 die in diem sua renouatione proficientes, iam
 23 perfecti facti sunt eiusdem iustitiæ viatores.
 Non ergo infusa tu gratia nos iustificari ne-
 gare debuisti, quod plenam ea nobis & abso-
 lutam omnibus suis numeris iustitiam non
 conferat: cum nemo vnquam catholicorum
 talem in nobis iustitiam collocauerit. Sed
 quia paulo post in disputationem de iustifi-
 catione denuo relaberis, cætera quæ ad gra-
 tiam spectant, primum excutiamus. Campia-
 nus vobis inter alia vitio vertit, quod gratiā
 non satis validam ad resistendum sceleribus
 oblatretis. Tu Paulum etſi gratia infusa præ-
 ditus erat, quanta quisquam alius, negare ta-
 men, inquis, assequi se posse, vt quod bonum
 est perficiat, facere enim non bonum quod

velit, sed quod nolit, malum. At quamuis
 id Paulus, quod tu illi tribuis, dicere voluif-
 set, nondum tamen obiectum vobis crimen
 diluisti: Neque enim Campianus, neque alius
 quispiam catholicus, gratiā infusam absque
 speciali quodā auxilio, vel ad perseuerādum,
 vel ad omnes superandas tentationes, quibus
 mortalis hæc vita obnoxia est satis esse vn-
 quam putauit. Augustinus enim cum catho-
 licæ ecclesiæ sententiam explicaret, etiā iusti-
 ficatum auxilio gratiæ indigere pronunciat,
 & quo quisque sanctior est, & maiores in vi-
 ra Christiana progressus fecit, eo ardentiori-
 bus votis diuinum auxilium ad perseueran-
 dum efflagitat, & cum psalmista petit, Adiu-
 tor meus esto, ne derelinquas me, neq; despi-
 cias me Deus salutaris meus. Et in publicis
 ac quotidianis ecclesiæ precibus, obnixe cum
 eodem psalmista, omnes postulant. Deus in
 adiutorium meum intende, domine ad adiu-
 uandum me festina. Hinc Innocentius. Ne-
 cesse est (inquit) vt quo auxiliante vincimus,
 eo non adiuuante vincamur, & Cælest. Ne-
 mo etiam baptismatis gratia renouatus, ido-
 neus est ad superandas diaboli insidias, & ad
 euincendas carnis concupiscentias, nisi per
 quotidianum adiutorium Dei, perseueran-
 tiam bonæ conuersationis acceperit. Sed ta-
 men tam paræ efficacitæ gratiam in nobis in-
 fusam esse, vt nihil virium suppeditet, vel ad
 bene agendum, vel ad tentationes interdum

De corre. &
 sta. cap. 1.

Psal. 26.

Psal. 69.

In rescripto
 ad conciliū
 carth.

Cap. 6. sup
 epist.

superandas errorem planè absurdum, & gratiæ ipsi maximè contrarium semper ecclesia iudicauit. Frustra siquidem nobis ad bene agendum gratia daretur, si nunquam illius freti auxilio bene agere possemus. Hinc concilij Mileuitani Patres: Placuit vt quicūque gratiam Dei in qua iustificamur per dominum nostrum Iesum Christum ad solam peccatorum remissionem valere, quæ iam commissa sunt, non etiam ad adiutorium vt non committantur, anathema sit, omnes igitur vos priusquam nati essetis, hoc anathema incurristis, cum nullam planè gratiæ nobis infusæ vim agnoscat. Et certè Paulo summam tu facis iniuriam, qui tam eximiis semper laudibus Dei gratiã extulit, tamque potentem esse atque efficacem dixit, vt illius se ope omnia posse minimè dubitaret, Omnia (inquit) possum in eo qui me confortat. At vos neque gratiam illam infusam, neque speciale Dei ipsius auxilium, vel ad tentationes vincendas, vel ad bonum aliquod opus præstandum satis habere virium putatis, sed nos semper tanquam peccati seruos, ita illius mole perpetuo deprimi, vt nunquam caput atollere possimus. Quam ergo vos merito Campianus hostes gratiæ Dei, & inimicos esse dixit? Nunc ad Pauli quem profers locū venio, qui spiritus cum carne pugnam describit. Hinc legem mentis repugnare dixit

Can. 3.

Ad Phil. 4.

legi carnis: hinc non quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malum hoc facio, quasi diceret, Et si hoc ratio maximè expetat, ne turbulenti illi carnis motus insurgant, eos tamen etsi inuitus experior. At quia peccatum non est, nisi vbi voluntas consensum præbet, Paulus non se id operari dixit, sed carnem. Nunc autem, inquit, iam nō ego operor illud, sed quod habitat in me peccatū, non enim diuinam sibi gratiam minimè satis esse putauit ad reportandam de his motibus victoriam, qui ex ipsius Christi ore accepit, sufficit tibi Paule gratia mea: & tanta fiducia exclamauit, quis nos separabit à charitate Christi: an angustia, an mors, an persecutio? Sed potius cum pugnam hanc tam periculosam & dubiam inter carnem & spiritum describeret, non aliunde quàm à Christi gratia victoriam nobis sperandam significare voluit. Infelix, inquit, ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum dominum nostrum. Audi vero whitakere non Campianum, neque me, sed ipsum Paulum ex iisdem quæ tu citasti verbis, contrariam tibi sententiam concludentem, gratiam Dei satis validam esse vt tentationibus resistamus. Sed quid mirum si nos omni gratia infusa spoliatis, qui Christum non alia ratione gratia plenum

2. Cor. 12.
Rom. 8.Bucerus.
lo. i. velle
de natal.
Christi. Brē
tius hom.
12. in Ioan.
Cent. lib. 1.
cap. 4.

In cap. 2.
Lucæ.

fuisse dicitis, quam quod ei pater mirum in modum faueret. Tu etsi modis omnibus tam horrendam à vobis blasphemiam repellere laboras, nihil tamen proficis. *Obsecro, inquis, Cāpianus vnde hoc colligere potuisti? An nō tuus id Bucerus apertè docet? Gratia nomine* (inquit) *existimo Euangelistam voluisse exprimere quod Hebræis Chen quæ omnino appositè Latinis gratia, qua nimirum quis favorabilis & graciosus existit, sic multoties in scripturis legitur: si inueni gratiam in oculis tuis, pro eo quod dicimus, si mihi apud te aliqua gratia est, si mihi faues: proinde quod Christum prædicat Euangelista plenum gratia, eo significat ipsum per omnia diuinum adeo apparuisse, vt & Dei erga eum fauor egregie declararetur, & omnium bonorum fauore simul indicaretur dignissimus. Quis hic Bucerus non videat plenum gratia Christum non aliter intelligere, quā quod suo illum fauore pater dignatus sit? quem admodum & apud homines in gratia fuisse dicit quod omnium bonorum fauore iudicaretur dignissimus. Ac vt Brentium & centuriatores omittam, vos ipsi sanè quotquot Calviniani estis, idem sentiat oportet. Nam cum Deus nos prædestinavit vt essemus conformes imagini filij eius, si nulla in nobis gratia infusa est, sed gratia ea, qua Deo grati esse dicimur, fauor ille tantum est, quo nos complectitur, Christi etiam gratiam, ad cuius nos imaginè reformamur, in externo illo fauore collocetis necesse est: vel si Christus tāquam*

caput

Bren. homi.
12. in Ioan.
Rom. 8.

caput nostrum, infusa etiam gratia plenus fuit: quomodo nos qui membra illius sumus omni prorsus infusa gratia carebimus? Hoc namque nō est efformari nos ad Christi imaginem, neque ad primā illam imaginē in qua cōditi sumus. Neque enim vos tam perfrictæ frontis esse potestis, vt primum hominē gratia illi diuinitus infusa Deo gratum extitisse negare audeatis. Qui ergo in Dei membra adeo blasphemi estis, quomodo nō Christo ipsi, qui caput nostrū est, eandem iniuriam irrogatis, vt & illum omni quoque gratia spoliatis: quam si conceditis, quomodo nouam illi rursus infertis iniuriam? Quæ enim maior esse capitis iniuria potest, quā vitam membris tribuere non posse, & membra secum nō viuā, sed mortua circumferre. Quid vero vos aliud quā Christo tāquam viuo capiti mysticum corpus tanquam mortuum, inquinatū ac putre cadauer alligatis? Iam ad iustificationem veniamus. Iustitiam vobis relationē esse Campianus dixit. Tu vero, *Neque enim si iustitia sit relatio* (inquis) *actum erit de philosophia.* Voluisti credo whitakere specimen hic aliquod tuæ in philosophia eruditionis præbere, dum ex Theologorum arena ad Aristotelis categorias, & primam nos Philosophiā abducere niteris: sed neque tuas in hoc genere vires pertimescimus, quarum imbecillitatem longè consultius tacendo cælasses. Cui enim philosophorum aliquando in mentem

venit iustitiam in relationibus esse numerandam? vel quod vnquam iustitiæ siue correlatiuum siue fundamentum hæcenus in philosophorum scholis auditum est, sine quibus nulla vnquam relatio esse potest? & certè eadem probabilitate, qua iustitiam relationem esse existimās, nigrore quoque & candorem cæterasque qualitates omnes in relationum numero posuisses: quod facillè equidem demonstrarem, nisi & nimium Academicorum ingenuis diffidere, & theologicæ disputationis limites excedere viderer. *Et esse qualitatem* (inquis) *tu nunquam vel ex prædicamentis, vel ex prima philosophia probabis.* Quid mirum? cum neque Aristoteles Christianam Iustitiam, neque Plato vnquam cognouerit, & nos whitakere ad fidei nostræ mysteria probanda Aristotelis opera aut Platonis non magnopere indigemus: qua tamen hoc loco satis aduersum te oportune vti possumus. Nam si prudentiam, si temperantiam, si fortitudinè qualitates dicimus, quod interrogati qualis quis sit prudentè, fortem, vel temperantem aptè respõdemus, cum nõ minus aptè qualis quis sit querenti iustū esse respõdeamus, an nõ eodè planè iure iustitia qualitas censenda erit? Et si plura ex Aristotele desideras, an nõ iustitiam ille νομιαν siue legalem, qua legibus quisq; obtemperat, in qualitatum atque adeo virtutum numero collocavit. Cum ergo hanc vos in Christo iustitiam agnoscatis, qua diuinæ

legi perfectissimè obtemperavit, qua quæso fronte hanc in illo iustitiã qualitatem fuisse, ac virtutem negabitis: in nobis vero si nullã iustitiã ponitis, quæ te quæso philosophia docuit, quod omnino non est, verã esse ac realè relationem posse? Sed vt relicto iam Aristotele ad quem me inuitum auocasti, disputationem rursus Theologicam ingrediar. Quæ de perfecta tu iustitia disputas, satis à me antea sunt refutata, nunc quæ ad imputatiuam tuã iustitiam confutandã satis esse videbuntur breuiter perstringam. In qua iustificationis summam tu quidem collocas, quod suam nobis iustitiam Christus omni licet scelerum contagione inquinatis impurare velit, vt ea contracti (ita enim tu loqueris) iusti coram Deo censeamur. Dic mihi, quid hoc aliud est quã Deo velle imponere, vt impios ac sceleratos pro iustis ac sanctis ipse habeat? Rectissime enim Augustinus, Imputat Deus homini iustitiã, omne peccatum, neque peccatum est quod non imputatur. Non ergo peccatoribus imputare potest Deus iustitiam, nisi peccata simul & iustitiam imputet. Deinde scriptura Rom. 5. palam apertèque testatur nos, vt per Adamū peccatores, ita per Christum iustos fieri, vel ergo non nisi imputatione sola peccatores nascimur, vel per Christum verã certè iustitiam adipiscimur, à qua non minus verè ac propriè iusti, quàm à peccato quod ex Adamo contraximus, peccatores censemur. Ad

extremum, ne in paradoxo tam nouo, & absurdo refellendo longior sim, responde quaeso, si quia Christus legem perfectè seruauit, illius obedientia, (vt tu doces) nobis impu-
tatur, *illius enim obedientia*, vt inquis, *fide apprehensa, est iustitia nostra*, cur Apostoli, & Christus ipse nos tam sæpe ad legis obedientiam adhortantur? & nunquam vt fide iustitiam Christi apprehendamus iubent? Cur Christus interroganti, quid faciendo regnū cælorum possideret, respondit, Seruā mandata: & non potius, Fide obedientiam ac iustitiam meam apprehende? An fortè aliam qua iustificaremur viam Christus reliquit, aliam sua nobis autoritate Caluinus tradidit? cur in die iudicij non ex Christi obedientia, sed ex propria quisque iudicabitur? cur demum scripturæ sacræ, in quibus tam diligenter quæ ad iustificationem spectant explicantur, ad quam illarum scopus omnis refertur, non claris ac disertis verbis expresserunt, ad eam satis esse vt fide Christi iustitiam ac obedientiam apprehendamus. Mirum sanè huius rei & in scripturis sacris, & in patribus omnibus, tam veteris, quàm noui testamenti silentium est, nemini vt dubium esse possit hanc ipsis iustificationis viam ac rationem prorsus fuisse incognitam. Didicerant enim extra Caluini scholam, eos Christum in die iudicij iustos pronunciaturos, non qui fide tantum illius

Luc. 10.

apprehendere iustitiam, sed qui legi obtemperarunt: Esuriui enim & dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mihi bibere: & Paulus dum paucissimis legem vniuersam verbis complecteretur. (Qui diligit, inquit, proximum legem impleuit. & plenitudo ergo legis est dilectio) obedientiam legis quam à nobis Deus requirit, & qua iusti efficitur, non in Christi obedientia fide apprehensa, vt tu impiè cum Caluino tuo sentis, sed in ipsa charitate quia Deum ac proximum diligimus, quam potuit clarissimè constituit. Neque aliunde quàm ab hac legis obedientia quisquā in scripturis sacris iustus vocatur. Sic enim de Zacharia & Elizabeth Lucas. Erant (inquit) iusti ambo antè Deum incedentes in omnibus iustificationibus domini, sine querela. & Ioannes, Qui facit iustitiam iustus est, non qui fide Christi iustitiam apprehendit. Moyses denique, Iosue, Dauid, cæterique omnes non ob aliam causam iusti esse describuntur, quàm quia pro modulo suo. & humanæ imbecillitate naturæ, legi Dei obedierunt. Sed Christus (inquis) à Paulo dicitur *iustitia, & sapientia, & sanctificatio nostræ*. Nisi animus tibi diuturno iam errore præoccupatus fuisset, ex Pauli ipsius verbis discere potuisses, nihil hæc ad imputatiuā iustitiam pertinere. Nā & eodē loco Christū dicit nobis esse iustitiā & sapiētiam.

Math. 25.

Ad Rom. 13.
Galat. 5.

Ad Rom. 13.

Luc. 1.

1. Ioan. 3.

1. ad Cor. 1.

Quis vero ita desipiat, vt Christum dici sapientiam nostram existimet: quod stulti quidem nos simus, sed apprehensione sapientiæ ipsius sapientes habeamur: quin potius quod sua nobis liberalitate sapiētiam imperiatur: sic & nostra iustitia dicitur, quod vera nos iustitia imbuat, qua coram Deo iusti nominemur & simus. Et ne tibi euadēdi locus aliquis relinquatur, vt Christum Paulus iustitiā nostram, ita & sanctificationem appellat, & tamen tu paulo antē gratiā in nobis infusam esse, quæ ad sanctificationem quidem sufficeret, & si ad iustificationem satis non esset, tua sponte falsus es. Si Christum ergo Paulus nostram esse sanctificationem dixit, & si vera in nobis sanctificatio vel te ipso iudice sit: cur non etiam Christum esse nostram iustitiam, quantumuis in nobis vera iustitia sit, dixerit? *Sed virtutes (inquis) nostræ non possunt ita animam conuestire, vt nihil in ea nudum appareat: omnes enim iustitiæ nostræ panniculi instar sunt non modo polluti, sed etiam lacerati, multisque partibus discissi. Christus ipse nobis induendus est.* Vbi si de ea loqueris iustitia quam ipsi nobis absque Christi ope atque auxilio comparare possumus, rectè quidem sentis, neque nostra hac iustitia catholicorum quisquam nos iustificari vnquam dicit: si vero illam intelligis, quam suo nobis sanguine seruator promeruit, quàmque sua clementia in corda nostra diffundit, intole-

randam certè illi iniuriam facis. Hæc enim iustitia nuditatem ita nostram operit, vt quicquid est lethaliū peccatorum, ex animis nostris facile depellat, nec in iis quidquam residere patiatur, quod æternæ mortis nos reos efficiat. Venit enim Christus, vt vitam habeamus, & abundantius habeamus, quam certè habere non possumus nisi morte ex animis depulsa: scimus enim quoniam translati sumus de morte ad vitam (vt inquit Ioannes) quoniam diligimus fratres. Charitas ergo siue iustitia, vt vitam nobis confert, ita mortem ex animis nostris depellit, & à peccati liberat seruitute, Christo ipso teste, Si vos filius liberauerit (inquit) verè liberi eritis, neque peccatorum modo sordes abluit, verum etiam admirabili nos pulchritudine exornat. Quid enim pulchrius, quid admirabilius, quàm quod filios Dei, hæredes vitæ æternæ, ac diuinæ confortes naturæ efficiat? quæ cum Petrus intueretur, magna & preciosa dona nobis Christum donasse pronunciat, & Paulus ob tam præclara hæc ornamenta Ecclesiā Christum gloriosam absque macula ac ruga sibi ait fecisse. Desine ergo blasphemias tuas in gratiam noui testamenti, in Christum & in ipsius mortem euomere, nihil eum nobis quo vel à sceleribus mundaret, vel deformem ac turpem animorum nostrorum nuditatem vestiret, acquisuisse. Desine tantam

Ioan. 10.

1. Ioan. 3.

Io. 8.

2. Petri 1.

Ad Ephes. 5.

Deo blasphemiam irrogare, vt pro iustis habere possit eos qui iusti non sunt, cuius iudicium cum iustum semper ac rectum sit, iniustum ac impium iustum pronunciare nunquam potest, nisi forte vos noui homines Calviniani, qui vestra fide nihil non potestis, id etiam possitis efficere, vt quando Christi iustitiam & obedientiam apprehenditis, ita Dei oculis tenebras offundatis, vt latentem in vobis peccatorum ac scelerum sentinam non amplius videat; ac non aliter cum Deo agatis, quam si quispiam Æthiope nigror qui non atra facie, sed rubicunda videri velit, vitrum aliquod rubro colore infectum intuentium se oculis obiiciat. Ita enim vos Christi iustitia contegi dicitis, vt quantumuis nulla sit in vobis iustitia, sed horreda vitiorum foeditate atris sitis atque terribili, Deo tamen sic illudatis, vt dum vos illa Christi iustitia rectos intuetur, minimè pro impiis, quales estis, sed pro iustis quales non estis, habeat. Nemo igitur miretur in posterum Calvinum hac sua tam præclara & superioribus seculis inaudita fide homines fallere posse, cum & Deum ipsum qui falli non potest, fallat. *At Paulus (inquis) iustitiam Christi suam iustitiam vocat, cum ita scribit, Non habens meam iustitiam quæ ex lege est, sed eam quæ ex fide Christi: Plana profectò ac aperta Pauli sententia est, quam Augustinus nobis exposuit: ex lege iustitiã eã vocari, quæ per legis doctrinam absque adiutorio gratiæ*

Ad Philip 3.

Lib. 1. de spu.
cap. 19.

comparatur, siue quam lex quatenus lex est operatur & efficit, hoc est docendo ac iubendo: hæc enim sunt propria officia legis, hanc igitur iustitiam Paulus reiecit, vt habeat iustitiam quæ est ex fide Christi; quæ est ex Deo, hoc est iustitiam, vt idem Augustinus interpretatur, quæ est ex adiutorio gratiæ Dei: legem enim vt idem author explicauit, fidei opponit, quia lex iubet, fides impetrat. Vocat ergo Paulus iustitiam fidei, non quod fide apprehendatur, sed quod ad eam per fidem perueniatur: Id enim ex instituto cum ad Romanos & Galatas scriberet ostendere voluit, nullam nos ex lege veram vnquam iustitiam adipisci posse, sed a deo per Christum, quæ iustitia vt loco citato D. Augustinus interpretatur, Dei iustitia dicitur, non qua Deus iustus est, sed qua induit hominem dum iustificat impium, sicut ab Apostolo fides Christi non vocatur, qua credit Christus, sed qua creditur in Christum. Er de prædestinatione sanctorum, Ex Cap. 7. fide autem ideo dicit Paulus iustificari hominem, quia ipsa prima datur, ex qua impetrantur cetera, & de spiritu & litera. Fide igitur Iesu Christi impetramus salutem, & quantum nobis inchoatur in re, & quantum perficienda expectatur in spe. Vide igitur, si quid videre potes, quam Paulus ex fide Christi iustitiam, & quam ex lege appellet. Neque iam opinor ignoras nihil hæc Pauli testimonia imputatiuam hanc vestram simulatam-

que iustitiam iuuare, cum iustitiam ille Christi vocet, quam vere nos quidem in nobis, sed à Christo acceptam habemus, quaque interior noster homo indies renouatur, atque in animis nostris Dei imago per peccatum inquinata restauratur, quod & à Paulo omnes ecclesiae patres, vt haecenus didicerunt, ita & posteros illi suos vno ore docue-

Chr. in Pf. 118. Basil. de sp. sancto. Dion. cap. 1 Hier. Aug. 123. rraact. cap. 123.

Epist. 106.

runt. Et vt Chris. Basilium, Clementem, dionysium aliisque innumeros pratermittam, Augustinum audi qui tuus quantus quantus est, gratia Dei (inquit) non solum reatus omnium peccatorum soluitur iis qui baptizantur in Christo, quod fit spiritu regenerationis, verum etiam in grandibus voluntas ipsa sanatur, & praepratur à domino, quod fit spiritu fidei & charitatis. Vides iustificationem non in sola peccatorum remissione, sed in renouatione ac sanitate interioris hominis consistere? Et alio loco, Gratia Dei per Iesum Christum dominum nostrum (quod fides vera, & catholica semper tenet ecclesia) pusillos cum magnis à morte primi hominis ad vitam secundi hominis transfert, non solum peccata delendo, verum etiam ad non peccandam recteque viuendum eos qui iam vti possunt voluntatis arbitrio, sic adiuuando, vt nisi adiuuet, nihil pietatis atque iustitiae siue in voluntate, siue in opere, habere possimus. Et rursus, non tantum ait remitti nobis peccata, sed languores etiam nostros sanari, & sanitatem conferri, atque hanc

Epist. 103. & 87. de nat. & grat. cap. 27

iustitiam interiorem esse hominis pulchritudinem, secundum quam ad Dei imaginem instauramur. Denique hanc tam apertam, tam constantem Augustini sententiam Pomeranus dum cerneret, nec vlla possèt ratione eludere, perfricta fronte dixit, Negato Augustinum ne Christum iustitiam no-

stram neges. Et Chytreus Lutheranorum non infimus, Augustinum sententia Pauli de gratuita imputatione iustitiae non satisfacere, asserit. Et

In Ion. pro Lib. de studio theologiae.

Schnephius, Augustinum veram & genuinam ecclesiae de imputatione iustitiae sententiam nunquam esse assequutum. Credidere nimirum lutheri discipuli tanto se praepceptore indignos, nisi illius superbiam impudentia suae superarent: qui de perfectione vitae Christianae & de sanctis hominibus loquens, Origenes ne

verbum quidem (inquit) habet in libris suis. Hieronymus ea nunquam intellexit, Augustino quoque parum fuissent cognita, nisi cum Pelagianis tantopere certasset. Parum hoc Pomerano visum est, qui Lutheri fuit aetate pastor whitembergensis. Addidit igitur ille de suo.

in Cap. 2. Pctxi.

Nostri patres, siue sancti siue non sancti nihil moror, excacati sunt, Montanico spiritu per traditiones humanas & doctrinas demoniorum in hypocrisis loquentium mendacium. Et rursus In libris (inquit) doctorum ecclesiasticorum raro inuenies articulum iustificationis pure expressum, ne in libris quidem beati Athanasii: non pure (inquam) dicunt de iustificatione, nisi forte quando citant Pauli verba de iustificatione, in quibus tamen non per-

in Ionã

sistunt, quando quidam ex eis optimè scribunt de gratia Dei contra Pelagianos: ubi tamen quadam intermiscunt, ut non satis videantur assequi sententiam Pauli, & sacrarum literarum. Ac ne parum maledicendo strenuus videatur. Quidam (inquit) ex illis doctoribus cum multa docent, & ingentia volumina scribunt, ne solliciti quidem sunt ut Christum per euangelium sincerè doceant, sed cum de iustificatione, de salute nostra dicendum est, dicunt quicquid in buccam venit. Tandemque adiungit, Non debetis patribus credere, quia ex uno ore frigidum & calidum efflant. Atque hæc quidem Lutherani. Sed Calvinus ipse Augustini etiam sententiam cum de iustificatione loquitur, minime recipiendam putat, quod gratiam ad sanctificationem referat, qua in vitæ nouitatem per spiritum regeneramur, cum scriptura (inquit) cum de fidei iustitia loquitur, longe alio nos ducat. Minime tamen miror Calvinum, nullam in nobis pulchritudinem, nullam sanitatem, nullam interioris hominis renouationem agnoscere, cum neque vllam in nobis peccatorum remissionem esse existimet, & fidei symbolum quo veram nos peccatorum remissionem credere profiteamur, tollat: Christumque quem ad opus Diaboli, id est peccatum dissoluendum venisse scriptura testatur, vel non venisse ut peccatum dissolueret, vel minime id ad quod præstandum venerat perfecisse affirmet: imo quod solum ad impietatis cumulum deerat, beatos ipsos sceleribus suis,

Lib. 3, cap.
in sect. 15.

1, IOAN 3.

etiam in beatissimis illis sedibus, in quibus nihil inquinatum esse potest, perpetuo esse contaminatos. Si enim quamdiu mortalis hæc vita ducitur, ita in intimis animi recessibus peccata sunt infixæ, ut nunquam deleantur, quibus tamen expiandis, nullus post hanc vitam, si vobis credimus, locus sit, annon etiam in beatis illis sedibus peccatorum feces perpetuo remanebunt? ac ut nos non vere iusti, sed sola iustitiæ Christi imputatione iusti censemur, ita illi non verè quidem, sed imputatione tantum beatitudinis Christi, beati erunt censendi? Explicæ nobis whitakere num hæc ita se habeat, vel quomodo peccata quæ iuxta noui vestri euangelij decreta in hac vita delentur nunquam post hanc vitam deleantur. *Addis vero, de hac peccatorum vestrorum remissione certos vos esse ex Dei verbo.* Equidem haud mihi facile persuadeo, aliquod esse Dei verbū quod whitakero remissa esse peccata testetur: sed quoniam tu ita vis, sit sane huiusmodi Dei verbum in diuinis ipsis literis expressum,
GVILIELMO VVHITAKERO
ANGLO PROFESSORI REGIO
APVD CANTABRIGENSES REMIS-
SA SVNT PECCATA OMNIA. An non omnes deinceps remissa tibi esse peccata credere debebunt: haud aliter quàm olim Magdalene cui remissa fuisse peccata scriptura testatur. Quid ergo whitakere, omnibusne mortalibus legem tu impones, ut non minus tibi

quam Magdalenæ remissa esse peccata credant? Nimis hoc graue iugum est, quo nos oneras. Dices fortasse, nihil opus esse disertis hoc verbis de Guiljelmo whitakero in scripturis exprimi, cum satis expressum sit iis omnibus qui fide iustitiam Christi tanquã suam apprehendunt, peccatorum omnium veniam dari, quam cum tu apprehendas, tibi quoque remissa esse peccata certo constare. At neque id ex Dei verbo vnquam ostendes; non enim tantum vos qui Calviniani estis, sed Zuingliani, Lutherani, Anabaptistæ, non minori quã vos fiducia Christi iustitiam apprehendunt, quibus tamen vos peccatorum remissionem negatis. Calvinus dum hunc nodum dissoluere conatur, arctius stringit. *Sunt (inquit) qui fallaci fidei simulatione, non hominum oculis modo imponere, sed suis ipsorum animis: tot vanitatis recessus habet, tot mendacii latebris scaret, cor humanum tam fraudulenta hypocrisis tectum est, ut se ipsum sæpe fallat.* Cum ergo Calvinus tui iudicio, tam multi qui hac se fide iustificari certissime credunt, tam sæpe seipso fallant, fallax certè & inanis sit hæc fides necesse est, qua nemo vnquam de sua certus iustificatione esse potest. Quomodo enim si incertum semper est, num ea fides qua nobis remissa esse peccata persuademus, quãque Christi iustitiam apprehendimus, vera sit an simulata, vt totidem pene verbis Calvinus tuus expressit, quo-

Lib. 3. cap.
2. sect. 10.

modo (inquam) certa nobis esse poterit iustificatio nostra, quam non simulata, sed vera tantum fides efficit? Debuisset sanè Calvinus certam aliquam legem sectatoribus suis reliquisse, ne simulatam fidem pro vera amplecterentur, qua freti seipso fallere non possent, si de sua eos iustificatione certos esse voluisset: sed neque id Calvinus fecit, neque facere vnquam potuit, quæ res, ni fallor, in causa est, vt noua hæc Caluini iustificatio tam multos in profundum desperationis gurgitem præcipitet. Nam cum iustificari hominem per fidem nihil esse aliud Calvinus dicat, quã vera sinceraque fide Christi iustitiam vt suam apprehendere, sibi que imputatam credere, multique ipso iudice hac se fide præclare munitos esse certissime sibi persuadeant; qui tamen ab ea longissime absunt: & inanem falsamque illius loco amplectantur, merito profecto semper incerti fluctuant, & cum verane an ficta fide sint præditi, nullo certo argumento perspicere queant, tandem anxia inuestigatione fatigati, in desperationis barathrum præcipientes ruunt, & cum multorum sibi maximorumque scelerum persæpe sint consci, de quorum venia ac remissione nihil sibi certi ex scripturis polliceri possunt, quid super est nisi vt tam certis malis tam incerta adhiberi remedia dum vident, spem omnem salutis abiciant, & pro vana illa securitate qua erant

antea inflati, certam desperationem amplectantur: Et tu ipse, & si duplicem Caluini spiritum hausisse videri vis, in hac ipsa tamen fide, quæ te de Christi imputata iustitia certum facit, fluctuas: *conscientiæ* (inquis) *nostræ tam multis terroribus oppugnatae, tam securæ in hac vita esse nequeunt, quàm si interminato cæli gaudio persfruerebuntur.* At cum certissima esse quæ fide creduntur omnia, summa omnes securitate credamus, quomodo si fide vos iustificatos creditis, de vestra ipsi iustificatione securi non estis? an non tam securæ sunt conscientiæ vestræ Deum esse, quàm si eum iam oculis intueremini? quomodo ergo cum eadem fide remissa esse vobis peccata credatis, non eadem in conscientiis vestris securitas erit? Et cur quod vobis Campianus obiecit, tam securos vos esse de salute vestra, quàm si interminato cæli gaudio frueremini, tam præfractis animis negatis? Beza certe vester, vt me antea dicere meministi, de sua salute tam certus fuit, quam si diuino ipse consilio interfuisset. Fluctuare ergo illius animus minime potuit, vos vbi in Caluini euangelio tantundem profeceritis, ad eandem fortasse securitatem peruenietis. *Æ quo interim animo tolerate, si vestram hanc fidem qua remissa vobis peccata creditis, non veram fidem (quæ semper certa est), sed simulatam pro fide perfidiam te etiam iudice appellaro, quanquam incredibilem tuam in-*

Contra Sy-
cophantiam.

cōstantiam mirari hic satis non possum, qui perfidiam hanc vestram cum ea quæ in Abrahamo fuit fide audeas comparare, cum Abrahamus facturum Deum quod promiserat, securus plane fuerit, & tam certus quàm si iam præstitisset, quæ ex Basilio & Tridentino etiam carechismo testimonia affers fidem certissimæ assensionis vim habere, nihil aliud quàm te ipsum iugulant. Quomodo enim si tam certa est fides vestra, qua vos iustificatos esse & prædestinatos creditis, de iustificatione vestra & salute nondum satis securi estis. Atque vt finem tandem de his ineptiis dicendi faciam, mira certe est fides vestra, quia tantorum licet scelerum conscius, iustificatos tamen vos certissime creditis, cum Paulus ipse, & si nullius sibi criminis conscius, se iustum tamen pronunciare noluit. Nihil, inquit, mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, temerariam illam audaciam vestram à Christianorum mentibus longissime abesse voluit. Qui (inquit) iudicat me dominus: est, quasi dicat, non ego qui seruus sum, & ab alterius pendeo tribunali, de me ipse sententiam fero: ne Dei qui viuos & mortuos iudicaturus est, iudicium anteuertam. Vos vero Calviniani in Dei iura inuolatis, & illius iudicium summo cum scelere anteuertitis, cuius sententia de iustificatione vestra, minime expectata, vos ipsos audacissime iustos pronunciare minime dubitatis. nec vos sanctissi-

Basilii in
Ascet. cat.
in art. r.
symboli.

Cap. 9. mi illius Iob verba mouent, qui etiam (inquit) si habuero quidpiam iustum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor: si iustificare me voluero, os meum condemnabit me, si innocentem me ostendero, prauum me comprobabit, neque tot tam plana tamque aperta alia scripturarum testimonia, in quibus viri sancti ac iusti de sua iustificatione certi haud fuerunt. Delicta (inquit propheta Dauid) quis intelligit? ab occultis meis munda me domine. Et Salomon. Quis potest dicere, Mundum est cor meum, purus sum à peccato? & in Ecclesiastico, De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adicias peccata peccatis: vt alia innumera preteream, quæ à tam multis diligenter pertractata sunt. Iam quo tuam sententiam argumento tuearis expecto, *Quomodo iustificati* (inquis) *pacem possunt habere apud Deum, si ancipiti spe dubii que de salute nostra cogitationibus perpetuo distrabamur, & quasi fluctibus huc illucque iactemur?* Quis vnquam catholicorum dixit spem nostram dubiam vel ancipitem esse, vt tu falso nobis imponis? est enim (vt loquitur Paulus) anchora animæ tuta ac firma, neque vllis nos dubitationum fluctibus, vel submergi, vel huc illucque agitari aut impelli sinit, sed certam in animis nostris futuræ beatitudinis expectationem facit, quia si cor nostrum non reprehenderit, nos fiduciam habemus apud Deum, & gloriatio nostra hæc

est, testimonium conscientiæ nostræ (vt dixit Paulus) hinc nullis desperationis fluctibus agitatur; sed in summa animi pace ac tranquillitate viuimus. Quid enim pax aliud est (si Augustino credimus) quam tranquillitas ordinis, nos vero qui serui sumus, cum domino ex animo seruimus, seruorum certe locum atque ordinem tenemus, neque in arcanis illius consiliis inquirendis, quæ sibi soli cognita esse voluit, curiosi nimium esse volumus. An non igitur cum ordinem ac locum nostrum teneamus, pacem tibi habere videmur? Vos vero quia Deum immisericordem ac crudelem vobis fore persuadetis, nulla illi lege alia seruire vultis, quam vt de mercede vos prius certissimos faciat, alioquin, quod exigua vobis de illius misericordia spes sit, perpetuis vosmetipsos desperationis fluctibus inuoluitis. Nos quia non crudelem, sed misericordem esse minime dubitamus, illi lubenter seruimus, in eum tanquam in Patrem omnem curam ac sollicitudinem nostram coniicimus: quod cum facimus, tranquillo omnino animo sumus. Quomodo enim pacati non simus, si qui homini tantum mortali seruit tranquillo est animo, nec de mercede fluctuat, & filius natu maximus qui patri obtemperare studet, quin in paternam successurus sit hæreditatem nullis dubitationum fluctibus torquetur, & certe quo maior Dei quam hominum bonitas ac cle-

Lib. 19. de
ciuit. Dei
cap. 13.

mentia est, quo plura sui erga nos amoris argumenta ostendit, eo maior etiam in nobis dum illius clementiam ante oculos proponimus, spei ac fiduciæ affectus exurgit. Hic whitakere tranquillitatis nostræ portus est, in quem contra tentationum omnium fluctus nos recipimus. Et si nos dæmon ut ad desperationem impellat vestris armis aggrediatur, actumque esse de nobis mentiarur, nisi fide ipsa certi simus nos à Deo in vitam æternam prædestinatos, ipsius fidei scuto nos obtegimus, nostrum non esse in diuina illa ac recondita illius consilia penetrare, bono tamen ac pacato animo esse, quia bonum dominum habemus, illi vitam nostraque omnia committere, ut pro sanctissima sua voluntate quod placuerit de nobis constituat. Præclarum vero huius rei ex veteri historia affertur exemplum, dum sanctum quendam virum dæmon ex insidiis ita aggrediretur, *Frustra illum seculi delicias ac voluptates contempnisse, frustra tot se ieiuniis, vigiliis & orationibus conficere, in prædestinatorum illum numero non esse, neque ex tot laboribus fructum aliquem reportaturum, satius esse relicta cremo quod reliquum saltem vitæ esset, in delitiis ac voluptatibus consumere.* Cui ille, ego (inquit) Dei seruus sum, ut illi seruirem voluptatibus omnibus bellum indixi, studium mihi hoc omne est, ut illi semper ex animo seruiam, ne-

que enim meliorem aliquem dominum cui seruire possum inuenio, quod vitæ reliquum est in illius honorem ac cultum impendere certum est, de me vero quod volet ille faciat, nunquam ego illum deseram, nunquam alium illi dominum anteponam. Hac vir sanctus humilitate, hac animi magnitudine, omnes Sathanæ imperus mox compressit. Tales nimirum seruos suos Deus esse vult, non de se ipsis nimium anxios, sed quibus studium omne sit, ut illi ex animo seruiant, quæ illi placeant, præstent diligenter, ac de cætero non sunt solliciti: illi enim cura est de nobis. Sed laudo prudentiam vestram, qui non alia lege Deo seruire vultis, quam si de vestra vos prædestinatione certos faciat, cum nihil quod illi gratum futurum sit toto vitæ spatio facturos, mox in prima ipsius Calvinismi initiatione *i. Petri. 5.* profiteamini. Que ergo vobis spes vel fiducia esse posset, quin prius consignatis veluti tabulis se qualescunque tandem sitis futuri, æterna vos beatitudine remuneraturum se polliceretur. Aliud nunc argumentum tuum audiamus. *Credimus* (inquis) *vitam æternam, ergo sine ulla hæsitacione.* Certa nobis est ac persuasa. Dic mihi whitakere, credisne etiam æternam mortem, tam igitur mors tibi æterna persuasa est, quam est vita æterna, ut non minus de damnacione

tua quam de salute certus sis. Sed turpe est in re tanta tam pueriliter errare. Aliud siquidem est credere vitam æternam paratam esse iis qui diuinis obtemperât legibus, aliud vero Guilielmo whitakero æternam à Deo beatitudinem esse tribuendam. Ac vt alia præteream argumenta, quis vnquam de sua in finem vsque perseverantia absque peculiari quadam ipsius Dei reuelatione certus esse potuit? vt recte Campianus disseruit: cui tu argumento mirum quã inepto respõdeas. *Fides* (inquis) *quæ ab Apostolo ὑπόστασις dicitur τῆς ἐλπιδος ἰδιῶν perpetuæ esse debet, & nos in ipsam calorum possessionem mittere: vt quia certi sumus ibi nos futuros aliquando, nunc in cælis vivere ac versari quodammodo videamur.* Fides sane ab Apostolo sperandarum rerum ὑπόστασις dicitur, quod res quas speramus quodammodo subsistere faciat, tamque res illas esse certi simus, quàm si eas vel oculis cerneremus: & quis vnquam dubitauit certissima esse, quæ fide creduntur omnia? Sed tuum erat whitakere quod minime præstas ostẽdere, singulos hac fide se in finem vsque perseveraturos, credere debere. Et cum Paulus ipse quosdam fidei naufragium ac iacturam fecisse tam disertis verbis pronunciet, quomodo tu perstricta adeo frontis es, vt contra tam planum & apertum Dei ipsius verbum fidem nunquam amitti, cum

Heb. 11.

1. ad Tim. 1.

blasphemo quondam Iouiniano contendas. Quod si te scripturæ autoritas nihil moueret, debuissent saltem tot vos Caluinianorum vestrorum quotidiana mouere exempla, qui perfidiæ vestræ nuntium tanta indices frequentia remittunt, qui eadem qua vos aliquando impudentia fidem suam iactarunt. Non ignoro vnicum hoc vobis asylum esse, nunquam vera eos fide præditos fuisse, quamdiu vobiscum fuerunt, quod ego tibi lubens concedo: nulla enim vobis fides nisi simulata est. Sed qualiscunque demum fuerit, vt veram esse illi putarent, eadem omnia veræ ac non simulatæ fidei argumenta experti sunt, quæ vel tu whitakere, vel vllus vnquam alius expertus est. Possẽm huius rei ex Anglia, Scotia, Gallia, Germania, Polonia non vnum sed innumeros testes proferre, si vellem, sed expendamus adhuc paululum, quibus tu argumentis certos nos esse de perseverantia nostra confirmes. *Dixit* (inquis) *Paulus, Quis nos separabit à charitate Christi?* Ergo ne tantundem tibi dicere licebit? cum tu tam multa pro Christo quam Paulus passus fueris, cum tam multa diuini in te amoris argumenta quam ille fueris expertus, raptusque cum illo in tertium cælum, tum vt eadem cum illo fiducia quis nos separabit à charitate Dei exclames, per nos licebit. Sed vt vno

verbo tibi respondeam, in prædestinatorum persona Paulus hic loquitur, vt satis ea quæ præcedunt verba ostendunt. Quis (inquit) accusabit aduersus electos Dei? Nunquam ergo ex eo loco de tua te perseverantia certum esse efficies, nisi & electum te esse prius ostendas. Pergis deinde. *Atque ob hanc causam pignus nobis nostræ adoptionis datus*

Ephes. 1. *est ipse sanctus Spiritus, qui nobis certissimam fidem faciat esse nos Dei filios.* Magna tu quidem libertate, vel potius intoleranda audacia scripturas detorques, cum enim Paulo ante dixeris, ipsa nos fide certissimos fieri nos Dei filios esse, quid nouo iam pignore opus est? nisi hoc ipsum pignus non aliud sit quam fides, quod Paulo apertè repugnat. Postquam credidistis (inquit) obli- gnati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ, vbi vides fidem ab hoc pignore distingui, illoque prior- em esse. Non enim Paulus dixit qui credidistis obli gnati estis spiritu promissionis Sancto. Sed postquam credidistis. Neque etiam (vt tecum turpiter Calvinus tuus hal- lucinatur) dicitur spiritus promissionis, quod nos fidei certitudine certos faciat, ratas ac firmas esse in nobis promissiones Dei, de gratuita peccatorum remissione & reconcili- atione per euangelium, sed quia vt Chry- sostomus & alij patres ex scripturis ostende-

unt à prophetis & à Christo ipso promif- sus fuit: ita enim ille: quid est spiritu promif- sionis Sancto? videlicet quia spiritum Sanctum iuxta promissionem accepimus: duæ liqui- dem sunt promissiones, vna per prophetas, effundam de spiritu meo, altera ex filio, ac- cipietis virtutem spiritus sancti. Neque iux- ta Hebraicam phrasim Spiritus promiffio- nis aliud est quam spiritus nobis promissus. Altera etiam in re falleris, non enim ado- ptionis nostræ sed κληρονομίας siue heredi- tatis pignus nobis esse datum Paulus dixit. Est enim charitas Dei diffusa in cordibus nostris, velut pignus quoddam vitæ æternæ, quod si renemus, rem ipsam cuius pignus est, æternam dico beatitudinem, amittere non possumus. Hoc ergo sensu spiritus sanctus spiritui nostro testimonium perhibet, quod filij Dei sumus, quia charitatem nobis infun- dit, Videte, inquit Ioannes, qualem charita- tem dedit nobis Deus, vt filij Dei nome- mur & simus. Et rursus in hoc cognosci- mus quoniam in eo manemus & ipse in no- bis, quoniam de spiritu suo dedit nobis, vt non per fidem, sed per charitatem hoc nobis testimonium spiritus sanctus impertiat. Ex quo illud efficitur certos nos fieri hoc testimonio, non fidei quidem certitudine, quæ longè maxima esse debet, sed ea quæ ex charitatis effectis in nobis ipsi experimur.

Homil. 2.
in act.

Joel. 2.

Lucæ 24.

Ad Ephes. 5.

1. Ioan. 3.

Quod ut luce clarius perspicias, negare certe non potes, quod à Paulo tam disertè expressum est, testimonium hoc spiritus non aliter nobis dari, quàm quia charitas Dei in cordibus nostris diffusa est: Charitatem vero nulla profectò diuina reuelatione in nobis esse discimus, sed ex illius effectis quæ experimur colligimus. Ita enim Augustinus, Vnde (inquit) cognoscit vnusquisque accepisse se spiritum sanctum? interroget cor suum si diligit fratrem, manet spiritus Dei in illo. Quoniam vero (quod neque Calvinus tuus ignorauit) tam multi sunt in animis nostris, tam abditis, tamque cæci recessus, in quos penetrare non possumus, sit ut sæpe nos ipsi fallamus, & nulla demum experientia ad summam hanc fidei certitudinem peruenire possimus: non fidei ergo certitudinem, sed firmam bonæ conscientiæ fiduciam Spiritus sancti testimonio consequimur. Si enim (ut Ioannes loquitur) cor nostrum non repræhendit nos, fiduciam habemus ad Deum. Et si, ut eodem loco ille ait, Deus corde nostro maior sit. Et Paulus, Nolite antè tempus iudicare, donec veniat dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Ridiculum vero est quod addis. *Patrem vero quis Deum ausit appellare, qui se putat posse eius non esse filium aliquando? Quid? Num ergo quotquot Deum appellare patrè quo-*

Aug. tracta.
6. in epist.
10.

1. Ioan. 3.

bidem.

1. Cor. 4.

tidie audent, illius se filios semper futuros certi sunt? nec nisi ad electos dominica pertinebit oratio, quam Christus omnes sanò Apostolos docuit, ex quibus Iudas non electus sed traditor fuit. Et vos ipsi qua fronte in synagogis vestris, ut in suis quoque Lutherani, Zuingliani, Anabaptistæ eandem omnes orationem familiarem habetis, quos omnes prædestinatos dicere, non sani esse hominis, non sanus iurer Orestes. Illud fortasse vehementius nos vrget quod ais. *Sanctis licet cum Apostolo profiteri, scimus nos ei futuros esse similes: scientia certa est atque ex principiis certis constat, dubitare, opinionis est, non scientiæ.* Fide antea prædestinatum te esse tenebas, nunc etiam scientia: & qui tam fœliciter philosophiæ præceptis excultus Academicis videri vis, reclamantibus licet philosophis omnibus, & rerum singularum, & minimè euentuum scientiam esse puras: nisi tu fortè non singularis homo, sed vniuersalis sis, & non certa modò, verum etiam euidentis tua tibi sit prædestinatio. Sed dic obsecro, num quod sanctis cum Apostolo profiteri licet, idem tibi continuo licebit. Semper hic whitakere hæres, neque enim tibi tuisue prius id licebit, quàm in sanctorum vos numerum relatos esse constitit. Omitto iam quod more tuo Ioannis hunc locum fœdè mugilasti. Scimus (inquit) ille quoniam cum apparuerit similes ei erimus, quo-

1. Ioan. 3.

niam videbimus eum sicuti est *εὐδὲ φανερωθῆναι*
hoc est cum nobis manifestus erit, tum enim cui dubium esse potest, nos illi similes futuros, quæ tu verba summa fraude dissimulasti. Si verò de extremo illo Christi ad iudicium aduentu locum intelligas, de certa persuasione loquitur, non illa quidem quæ ex fide, sed quæ ex spe, & in Deum fiducia nascitur. Non enim de se tantum, sed de iis omnibus ad quos tum scribebat sermonem facit, cum tamen vos neminem de alterius cuiusquam prædestinatione certum esse posses afferatis, de qua fiducia & Paulus dixit: cū
Ad collo. 3. „ autem apparuerit Christus vita vestra, tunc & vos apparebitis cum eo in gloria. Nullis ergo hætenus diuinarum literarum testimoniis tuæ nobis perseverantiæ certitudinem probare potuisti, quæ tantum abest ut certos nos esse ac securos de sua quemque perseverantia ac prædestinatione iubeat, ut modis omnibus hæc tam perniciosam ab animis nostris securitatem arcere, & salutarem illius loco timorem inferere studeant: qui stat, inquit Paulus, videat ne cadat. Et ad Philippenſes. cum timore & tremore salutem
Ad philip. 2. vestram operamini. Et ad Hebræos, Timeamus ne forte relicta pollicitatione existimetur aliquis ex nobis deesse. Quis vero timori locus esse potest, si certa cuique sua prædestinationis est? Quis enim nisi stultus futurum timeat, quod euenire non posse certissima fide credat? A scripturis ergo ad patres trāsitis,

1. ad Cor. 10.

Ad philip. 2.

Ad Heb. 4.

in quorū testimoniis quotquot à te afferuntur, nullū fere verbū quod ad hæc disputationem pertineat. Primū in acie Cyprianum Cypria. lib. sistis: mori planè timeat, at qui ex aqua & spiritu sancto non est renatus: mori timeat qui „ nō Christi cruce ac passione censetur. Quid „ hoc quæso ad rem? Num tibi Cyprianus dixisse videtur, de sua omnes perseverantia certos esse debete, cum Martyres ad mortis timorē futuræ gloriæ spe superandū inuitat? adeone fungos homines putas, ut nihil te dicere non animaduertant? Chrysoſtomus nō modo de Chrysoſt. in datis inquit, sed etiā de futuris perinde atq; c. 5. ad Rom. de datis *πληροφορησάτω χρῆν*, vbi nō de fidei, sed de spei certitudine loquitur, ex magna enim qua in deū spe atq; fiducia nitimur, firma quedā in animis nostris futuræ beatitudinis persuasio oritur. Id vero ita se habere sequentia mox verba, quæ tu more tuo præteristi satis indicat. Quoniā igitur (inquit) rerū futurarū spes sic firma est, atq; euidēs, ut & iā datarū „ eque & super illis gloriamur. Vides hic Chrysoſtomū non de fidei, sed de spei certitudine, vel ipso interprete Chrysoſtomo, esse loquutū. Quid Augustinus? Quia ergo nō secundū me- August. in vita nostra (inquit) sed secundū illius misericordiam psal. 88. firma est promissio, nemo debet cū trepidatione prædicare, vnde nō pot dubitare. Augustini verba agnosco, sed summa à te vel incitiam, vel certè impudentia citata. Loquitur enim de certitudine promissionū Dei. Quia Deus (inquit) iuravit David seruo suo semē eius in æternū

manebit nemo de hac promissione dubitare
 potest. Christus regnabit in sanctis suis, hoc
 promisit Deus, hoc dixit Deus, si parum est
 hoc iuravit Deus, quia ergo non secundum
 merita nostra, sed secundum illius mi-
 sericordiam firma est promissio, nemo debet
 cum trepidatione prædicare, vnde nõ potest
 dubitare. In quibus verbis nihil omnino est
 quod vel minima ex parte causam suam iu-
 uet. Quid enim absurdius quam diuinarum
 promissionum certitudinem, ad singulorum
 hominum perseuerantiam detorquere? Ta-
 men hic more tuo exclamas, *Augustinus totus
 noster est*, Imo si vel media ex parte vester es-
 set, præclare profecto, vobiscum ageretur,
 sed vt nihil à te impudentius dici potuisse
 omnes intelligant, ex innumeris quæ apud
 eum passim occurrunt testimoniis, pauca
 quædam quasi delibare constitui. Quis ex
 multitudine fidelium (inquit) quandiu in
 hac mortalitate viuatur, in numero prædesti-
 natorum se esse præsumat, quia id occultari
 etiam opus est in hoc loco, ne fortè quis ex-
 tollatur, sed omnes etiam qui bene currunt
 timeant, dum occultum est quo perueniant.
 Et rursus, prædestinatio Dei & si apud nos
 qui dum in præsentis vitæ periculis versamur
 incerta est, apud illum tamen qui fecit quæ
 futura sunt, incommutabilis permanet. Et
 alio loco, Itaque vtrum quisque hoc munus
 acceperit (de perseuerantia loquitur) quadiu

De correptione
 & gratia. ca. 13.

Ad art. falsum.
 art. 12.

De bono
 perseuerantia. ca. 1.

hanc vitam ducit incertum est. Ac rursus,
 Die vita æterna, quam filiis promissionis
 promisit non mendax Deus antè æterna te-
 pora, nemo potest esse securus, nisi cum con-
 summata fuerit ista vita, quæ tentatio est su-
 per terrâ. Et rursus, Beatos vocamus quos
 videmus iuste ac piè cum spe futuræ morta-
 litatis hanc vitam ducere, sine crimine vastante
 conscientiam, faciliè impetrantes peccatis
 huius infirmitatis diuinam misericordiam,
 qui licet de suæ perseuerantiæ præmio certi
 sint, de ipsa tamen perseuerantia sua reperi-
 tur incerti. Quis enim hominum se in actio-
 ne profectiue iustitiæ perseueraturum vsque
 in finem sciat, nisi aliqua reuelatione ab illo
 fiat certus, qui de hac re iusto latentique iu-
 dicio non omnes instruit, sed neminem fallit?
 I nunc & tanquam luscus inter cæcos tuum
 esse Augustinum gloriare. Lepidum tamen
 est quod argumenti loco adiungis, *Augu-
 stinus de bono perseuerantia librum scripsit,
 ergo omnes de sua perseuerantia certos esse voluit.*
 cuius ego argumenti vim non intelligo, nisi
 fortè, quia & Augustinus de bono coniuga-
 li librum scripsit, omnes se coniuges esse cre-
 dere voluit, & quia de bono viduitatis, om-
 nes voluit esse viduas. Ad extremam adducis
 Bernardum. Turbatur conscientia, sed non
 perturbatur, quoniam vulnerum domini re-
 cordabor. Quid vero hoc est aliud, quàm ti-
 mere quidem, sed tamen sperare facit spes

Lib. 11. de
 ciuit. Dei
 cap. 12.

Hom. 61.
 in canti.

enim in diuina misericordia vt non perturbemur sed animo sumus tranquillo, dum vt feruos decet à domini nutu toti pendemus. Hoccine est de sua quempiam beatitudine certum esse? Quid ineptius? tandem quasi triumphum acturus, *Plura* (inquis) *non persequar, fides aut est perpetua, aut est nulla, aut ad extremum spiritum perseverat, aut auera leuis est, que fides aestimatur.* At satis antea ostensum est fidem in vobis perpetuam non esse, fides ergo in vobis nulla est. *Stat, inquit Beza, illud firmum mendacem esse eum qui dicit se nosse Deum, nec seruat ipsius præcepta.* Et Calvinus. *Fides si bonis operibus vacua, fides non est.* Et Petrus Martyr non infimus ex fece vestra. *Qui graue* (inquit) *aliquod peccatum admisserit, pacem conscientie non retinet, non studium inuocationis, non fiduciam erga Deum, fides etiam pro eo tempore vel sopitur, vel iacet, vel (vt nonnulli sentiunt) auertitur, licet electis & prædestinatis postea restituatur, cum respiciunt.* Hæc ille. Tibi ergo whitakere, si Caluino ac Bezae credimus, fides nulla est, cum neque præcepta seruare te posse, neque bonum aliquod opus facere palam profitearis. Si Martyri, vel iacet sæpe, vel sopitur, vel auertitur. Sed tuum hoc, si placet, euangelium cum Lutheri euangelio coniungamus, cui vtrumque persuasum erit, securus esse de salute sua poterit. *Quid Lutherus? Christianus* (inquit) *non potest salutem perdere, etiam volens, nisi nolit credere.* *Quid tu? Christianus etiam si velit, non potest*

Beza in cap.
2. Iacobi.

In cap. 2.
Iacobi Martyr in ca. 16.
iud.

De captiuitate Babilo.

potest fidem perdere, fides enim aut perpetua est, aut nulla est. Bene habet, omnia in tuto sunt. Lutherus ad omnem vitiorum obscœnitatem suis Euangelicis habenas laxauit, ea tamen lege vt fidem saluam ac incolumem retinerent, verum timori adhuc locus erat, ne quo fortasse casu fidem etiam amitterent. Tu nouo euangelii spiritu affectus, hunc illis timorem plane absterxisti, periculum nullum esse, ne fidem aliquando amittant, *Fides enim vel nulla est, vel perpetua est.* Iam ergo qui hæc vestra euangelia amplecti velit, in profundam licet vitiorum omnium voraginem sese præcipitet, periculum deinceps nullum est. Lutherus, nihil illi peccata omnia præter solam incredulitatem obfutura, tu incredulitatis periculum nullum esse certissimum facies. Vidisti credo quam hæc absurda essent, & Christianis auribus indigna. Itaque Lutherum ais nunquam quod nos illi cum Campiano tribuimus scripsisse, *Vt enim vniuersa* (inquis) *Lutheri scripta euoluas, hæc tamen sententiam nusquam reperies.* In mentem hic venit quod à Lactantio scriptum est. Philosophi, inquit, qui disputant in celo quid agatur, eo se id impune facere arbitrantur, quia nullus existit qui errores eorum coarguat. Quod si existimarent descensurum esse aliquem, qui eos delirare ac mentiri doceret, nunquam quicquam de iis rebus quas scire non possunt disputarent, sed quid in foro quid in curia geratur

Lib. 3. insti.
cap. 39.

Lib. de captiui. babil.

nullus (qui nescit) audet dicere quia statim non verbis sed re ipsa presenti refutabitur. Si Lutheri libri in inferno essent cum auctore sepulti, impune hic tibi mentiri licuisset, sed cum multorum quotidie manibus terantur, miror equidem prudentiam tuam, qui tam temere scripseris, in quo tam cito mendacii posses coargui. *Vides* (inquit) *quam diues sit homo Christianus, siue baptizatus, qui etiam volens, non potest perdere salutem suam quantumvisque peccatis, nisi nolit credere.* Hæc ille, quæ num alia sint quàm quæ Luthero Campianus tribuit, tu videris. Nouam ergo moliris Lutheri defensionem. *Papistas* (inquit) *tantum reprehendit Lutherus, quod baptismi gratiam peccato penitus extinguere senserint, eoque nouum sacramentum, quo gratia baptismi recuperetur intulerint.* Si baptismi gratia peccato non extinguatur, peccatum certè hominis salutem impedire non poterit, ad quam consequendam, gratia in baptilimo semel collata, si conseruetur, abunde sufficiat. Lutheranum igitur dogma responsione tua non tã defendis whitakere, quàm impugnas, planeque euertis. Nam quod addis eum pœnitentiæ sacramentum illis reicere verbis voluisse, satis ostendis, in te optime conuenire quod Campiano obiecisti, nunquam te, quidquid iactites Lutheri librum de captiuitate Babilonica legisse, in quo tam disertis

ille verbis pœnitentiam nouæ legis sacramentum esse profitetur. Iam ad sacramenta veniamus: quæ Campianus sacrilegè vos sustulisse conqueritur. Hic tu cum sacrilegium negare non possis, ad solita tibi contuitorum arma confugis; quæ ego, ne tui similis videar, silentio prætereo. *Duo* (inquis) *nobis tantum sunt sacramenta.* Mira hic est Euangelicorum spirituum pugna: spiritui vestro duo sunt tantum sacramenta, spiritui Caluini, qui vos Antichristo peperit, tria. Nam & duobus vestris ordinem addidit, quem verè ac propriè sacramentum esse fatetur. Certè (inquit) *nimis improbi sunt, qui sacerdotium sacramenti titulo insignire audent. Quantum ad verum presbyteri munus attinet, quod ore Christi nobis est commendatum, libenter eo loco habeo.* Illic enim primum ceremonia est ex scripturis sumpta, deinde quam non esse inane ac superuacua, sed fidei spiritualis gratiæ symbolum testatur Paulus. *Quod autem tertium in numero non posui, eo factum est, quod non ordinarium, nec commune apud omnes fideles, sed ad certam functionem specialis ritus pertinet.* Spiritui Lutheri, pro tempore, donec magis deliberandi otium daretur, tria etiam sacramenta placuerunt: sed ordinis loco pœnitentia subroganda videbatur. Ita enim Martinus. *Principio* (inquit) *neganda mihi sunt septem sacramenta, & tantum tria pro tempore pœnenda: baptismus, pœnitentia, panis.* Verum quia hic spiritus nihil certi quod se-

In cap. bab.

queretur habebat, mox addit. *Quamquam si ex usu scripturae loqui velim, non nisi vnum sacramentum habeam, & tria signa sacramentalia.* Spiritus Philippi Melancthonis in singulos fere annos sese mutauit. Prima enim locorum suorum cōmunium editione, anno 1521. & 1522. duo tantum sacramenta esse voluit, Baptismum, & cœnam domini. In apologia verò confessionis augustanæ, tria, baptismum cœnã domini, & pœnitentiam. Anno autem 1536. in locis communibus quatuor sacramenta asseruit, Baptismum, Cœnam domini, Pœnitentiam, & Ordinem. Postremo denique his quatuor quintum addidisse Matrimonium visus est, quod pronunciat esse signum rei sacræ, mandato Dei præcipi, ornari promissione diuina, denique hoc solum illi deesse, quod fuerit ante Christum. Et tandem eodem loco, *non esse contendendum ait de numero septenario sacramentorum.* Philippus, Bucerus & Ioannes Calvinus, in colloquio Ratifbonensi anno 1541. septem esse sacramenta cum catholicis confessi sunt. Sic enim Bucerus. *Protestantes non grauatim admiserunt septem sacramenta.* Huic vero colloquio interfuisse Calvinum Beza tuus testatur, quamquam illius Bucerus, vt hominis tum obscuri, non meminit. In hunc modum Euangelici vestri de sacramentorum numero consentiunt, postquam spreta ecclesiæ autoritate, erroris potius magistri, quàm veritas discipu-

In fine. cap.
de signis.
Ca. de mini.
& vsu sacra.

Bucer. in
actis collo.
Ratif.


Bezain vita
Caluini.

li esse maluerunt. *Sed septem sacramenta esse nullum ais antiquitatis vestigium reperiri. Quàm multi omni ingenij ac eruditionis laude excellentes viri, hunc sacramentorum numerum, & ex diuinis ipsis codicibus, & ex antiquorum patrum scriptis clarissimè demonstrarunt? quorum argumentis te, si quid hominum expectatione dignum præstare voluisses, respondere consentaneum fuisset: sed quasi nemo inquam mortalium de hac re vel verbum vnum fecisset, valde tu hic petulanter exultas, & quàm non diuinarum modo scripturarum, sed omnis etiam antiquitatis, rudis sis atque ignarus, satis ostendis. Nam, vt de Baptismo, atque eucharistia nihil dicam, ordinem ipse tuus Calvinus, cuius te discipulum non semel in hoc tuo libello gloriaris, pro sacramento agnoscit, resque ex scripturis adeo aperta est, vt à nemine absque summa negari impudentia possit. Noli (inquit Paulus) negligere gratiam Dei quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij. Et rursus propter quam causam admoneo te vt resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum. Patrum hic multorum testimonia recensere nihil opus est, quia Augustinum quantus quantus est tuum esse gloriaris, illo contentus ero. Sacramentum (inquit)*

1. ad Tim. 4.

2. ad Tim. 1.

Ll iij



Lib. 1. contra donat. f. cap. 1. lib. 2. contra epi. parmen. ca. 13.

Acto. 2. Calvin. lib. de vera ecclesia art. for.

Baptismi est quod habet is qui Baptizatur, & sacramentum dandi baptismi est, quod habet qui ordinatur. Sicut autem Baptizatus, si ab unitate recesserit, sacramentum baptismi non amittit, sic etiam ordinatus, si ab unitate recesserit, sacramentum dandi baptismi non amittit. Nulli enim Sacramento iniuria facienda est. Et rursus si nos male facimus, ipsi explicent quomodo sacramentum Baptizati non possit amitti, & sacramentum ordinati possit amitti: quoniam dicunt recedens ab ecclesia baptismum non amittit, ius dandi tamen amittit. Si enim utrumque sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur & illud amittitur? Confirmationis porro sacramentum ex Apostolorum actis adeo clarum est, ut ne à tuo quidem Caluino negari potuerit. Ita enim ille. *Non, inquit, credibile est, nisi Christi mandato manuum impositione vos fuisse Apostolos, huic alterum quoque adnexum est, inane symbolum non fuisse. Pro sacramenta igitur habendum esse conficitur. Ego vero utrumque istorum sacrorum, sed, quod minime praterendum erat, non considerant mediatores nostri, cuius rei scilicet fuerit sacramentum: ex temporali perpetuum imperite faciunt. Quomodo igitur ab immani sacrilegii crimine Caluinum vindicare potes, dum sacramentis ad ecclesiam suam sanctificandam à Christo institutis, nos summa impietate*

te spoliat? Ut enim veteris legis sacramenta non prius desierunt, quam lex ipsa vetus finem acciperet, ita neque novæ legis sacramenta prius desitura sunt, quam Christi regnum, ac ecclesia in terris esse desierit. Hoc æternum Christi sacerdotium, hoc status novi testamenti, hoc ipsa sacramenti ratio requirit ac postulat. Et certè, si quod, ut Calvinus somniat, non perpetuum, sed temporale sacramentum Christus instituisse, qui Apostolorum discipuli erant, & qui tot superioribus seculis in ecclesia Dei floruerunt, multò id melius quam Calvinus intellexissent. At veterum nemo fuit, qui non confirmationem pro sacramento agnosceret, quorum recensendis testimoniis, cum id tam multi iam præstiterint immorari operæpretium non est. Augustini tamen qui tuus quantus quantus est, sententiam silere non possum. Sacramentum (inquit) *Chrismatis in genere visibilibus signorum* sacrosanctum est, sicut ipse baptismus. *Discerne ergo visibile sanctum sacramentum, quod esse in bonis & in malis potest, illis ad premium, illis ad iudicium, ab inuisibili vntione charitatis, quæ propria bonorum est. Et rursus, Nunquid modò quibus imponitur manus, ut accipiant spiritum sanctum, hoc expectatur, ut linguis loquantur? aut quando imposuimus manum*

Cal. lib. 4. instit. c. 19. sect. 28.

Lib. 2. contra heret. per. cap. 104.

Tract. 6. in Ioan.

3, istis infantibus, attendit vnusquisque ve-
 3, strum vt linguis loquerentur? & cum vide-
 3, ret eos linguis non loqui, ita peruerso
 3, corde aliquis vestrum fait, vt diceret, non
 3, acceperunt isti spiritum sanctum. Et paulo
 3, post, si vis nosse quia accepisti spiritum san-
 3, ctum, interroga cortuum, ne forrè cum sa-
 3, cramentum habes, virtutem sacramenti non
 3, habeas. Eusebius quoque tibi testis esse po-
 3, test, Nouatum hæresiarcham omnium pri-
 3, mum hoc sacramentum reieçisse, verum mor-
 3, bo elapsus (inquit de Nouato Cornelius
 Lib. 6. ca. 35. apud Eusebium) neque cætera quibus post
 3, baptismum secundum ecclesię canonem im-
 3, bui oportuerat, acquisiuit, neque domini
 3, sigillo ab Episcopo obsignatus fuit, quo
 3, quidem neuiquam potitus quomodo quæ-
 3, so spiritum sanctum adeptus est? Quare eo
 3, nomine, vt Theodororus scribit, ab omni-
 3, bus pro hæretico numeratus est. Ita enim
 Theod. lib. 3. hære. fab. ille, Nouatiani eos quos baptizant sacro
 chrismate, contra ecclesię morem non vn-
 3, gunt. Extremam vnctionem sacramentum
 esse magna vos quidem contentione nega-
 3, tis Calviniani, quam tamen inter sacramen-
 3, ta esse numerandam ex Iacobi epistola sanè
 Iacob. 5. apertum est. Difertis enim ille verbis, &
 3, visibile signum, & inuisibilem spiritus san-
 3, cti gratiam expressit. Infirmatur (inquit)
 3, quis ex vobis, inducat presbyteros ec-

3, clesię, & orent super eum, vnquentes eum
 oleo in nomine domini, & oratio fidei
 saluabit infirmum, & alleuiabit eum domi-
 3, nus, & si in peccatis fuerit, remittentur ei.
 Quæ verba, tam plana, tam aperta Marti-
 3, num, quintum Euangelistam ita torserunt,
 vt quo se potissimum verteret ignorarit.
 Verum (inquit) habent hic quod in os mihi retun-
 3, dant, nempe quod auctoritate Iacobi Apostoli, hic
 promissio, & signum sit. Ego autem dico, si vsquam
 deliratum est, hoc loco præcipuè deliratum est. Omitto
 enim quod hanc epistolam non esse Apostoli Iacobi,
 nec Apostolico spiritu dignam, multi valde proba-
 3, biliter asserant, licet consuetudine auctoritatem, cu-
 3, iuscunq; sit, obtinuerit, tamen si etiam esset Apo-
 3, stoli Iacobi, dicerem non licere Apostolum, sua au-
 3, thoritate sacramentum instituire, hoc enim ad Chri-
 3, stum solum pertinebat. Talem nimirum Iaco-
 3, bum, Apostolum, qualis ipse Euangelista fuit
 existimabat, qui sua ipsius auctoritate quid-
 3, vis tentare auderet. Eo enim nouus euangelij
 spiritus Lutherum adegit, vt Christi Aposto-
 3, lum iniuria accusare mallet, quàm antiquam
 ecclesię fidem tot seculorum contentione
 confirmaram sequi. Calvinus non minori-
 3, bus sanè angustiis prematur, cum quod Apo-
 3, stolorum ætate sacramentum fuit, postero-
 3, ribus seculis sacramentum fuisse negat. Vnctio-
 3, nem (inquit) quam sanandis ægrotis adhibuerunt
 Apostoli, sicut fatemur fuisse sacramentum, ita

Luth. in ca-
 3, pti. Babyl.
 de extrema
 3, vnct.

Lib. de re-
 3, formâ. eccl.

*negamus ad nos pertinere, quia pro ratione gratia
cui seruebat temporale fuit.* Nos whitakere,
qui doctrinam sequi apostolicā profitemur,
non possumus, quicquid Caluinus dicat, tam
facile abiicere, quod illi pro sacramento ha-
buerunt, qui nobis gloriæ ducimus, neque
plura nos, neque pauciora illis sacramenta
habere. Nam si temporale hoc sacramentū
videri vult, cur non ad quæ vsque tempora
in ecclesia perduravit, & quando in vsu esse
desierit, certa historiarum fide ostendit. Hoc
enim vel maximè præstandum erat, ne quod
semel, esse sacramentum à Christo domino
institutum constat, temerè atque sacrilegè
abiecisse Christiani viderentur. Certè Chry-
sostomi ætate, qui seculis post Christum ali-
quot vixit, sacramenti huius vsum etiam or-
dinarium adhuc fuisse diligenter obseruatū
constat. Sacerdotes (inquit) non solum cum
nos regenerant, sed postea etiam, condonan-
dorum nobis peccatorum facultatem obti-
nent. Infirmatur (inquit Iacobus) apud vos
aliquis, accersat presbyteros ecclesię, & orēt
super eum, vngentes eum oleo. Et Augusti-
ni ætate Prosper. Anima sacramento factis,
(eucharistiam intelligit) & olei vnctione
munita, secunda expectat. Et Innocentius, ea-
dem ætate: Si infirmus aliquis in vobis est,
vocet presbyteros ecclesię, &c. Quod non
est dubium de fidelibus egrotantibus accipi,
vel intelligi debere, qui facto oleo chrisma-

Chrys. lib. 3.
de sacerdo-
rio.
Prosper, li. 2
de prædica-
tione. cap. 29.
Inno. episc.
ad decem.
episc. eugu.
cap. 8.

ris perungi possunt. Et paulò post, Pœnitenti-
bus istud infundi non potest, quia genus est
sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta
negantur, quomodo vnum genus putatur
posse concedi? Hos longo interuallo (vt in-
teriecta tempora non commemorem) se-
quitur est ex nostra Britannia Beda, qui sua
etiam ætate, eandem in ecclesia celebrè fuisse
consuetudinem testatur. Et si viciniore no-
bis tempora requiris, testis erit Bernardus,
non sua tantum ætate sacramentum hoc apud
omnes passim Christianos in vsu fuisse, sed
& eximiam illius vtilitatem atque effica-
ciam insigni Deum miraculo comprobasse.
Nam cum mulier quædam, vt ille refert, sine
hoc sacramento è viuis excessisset, Malachias
Episcopus, quod sua id factum negligentia
putaret, qui sacramentum non citius dede-
rat, non prius à lachrymis temperant, quam
defunctæ vitam à Deo impetrasset. Quid plu-
ra (inquit Bernardus) aperit oculos quæ fue-
rat mortua, & vt solent qui de graui somno
euigilant, fricans sibi manibus frontem &
tempora super lectū se erigit, & agnito Ma-
lachia inclinans, deuota salutat eum, & verso
luctu tu in gaudiū stupor apprehēdit omnes,
& qui viderunt, & qui audierunt. Sed & Ma-
lachias gratias agens benedixit dominum,
& vnxit eam nihilominus, sciens in hoc sa-
cramento remitti peccata, & quod oratio fi-
dei saluet infirmum. Extremæ ergo vnctionis

Beda. in cap.
5. Iacob.

Bern. in vita
Malachie.

sacramentum, si temporale fuit, tandiu certè temporale fuit, donec veniret Calvinus, vt iure optimo cum Tertulliano nobis exclamauit. *Tertul. lib. 4. cōtra. Mar* ne, qui tot annis interuentionem prædicationis tuæ sustinuiti, donec tibi Marcion, (Calvinus) subueniret. Pœnitentiam sacramentum esse, quis nisi diuinarum literarum contemptor & hostis negare audebit? Quorum remiseritis peccata (inquit Christus) remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt, & quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis. Ad quid enim, ait Augustinus, clauēs ecclesiæ datæ sunt, si nemo sua peccata confitetur? Et Martinus ipse Lutherus. *Non est dubium, ait, confessionem peccatorum esse necessariam, & diuinitus mandatā, immo gaudeo occultam confessionem esse in ecclesia Christi, cum sit ipsa afflictis conscientis unicum remedium.* Neque tu ignorare potes Nouatum iam olim ab vniuersa damnatum ecclesiā, quòd vobiscum pœnitentiæ sacramentum negaret: cuius hæresim, præter alios quam plurimos, Ambrosius duobus de pœnitentia libris acerrimè confutauit, & Pacianus Barcilonensis contra Symphorianum, Neque enim Calvinus nunc aliis ecclesiam armis oppugnat, quàm olim Nouatiani, quod qui Pacianum legere volet, facilè intelliget. Non inficior tamen in hac hæresi amplificanda superiores hæreticos à Caluino superatos fuisse.

se: Calvinus enim omnem in remittendis peccatis clauium potestatem summa impietate sustulit: illi verò adhuc clauēs in ecclesiā relinquebant, quibus leuiores sacerdotes peccata remitterent, & si grauiora remittere solius Dei esse existimarent. Sed aiunt (inquit *Ambrosius lib. 1. de pœnit. cap. 2.* Ambrosius) exceptis grauioribus criminibus, relaxare veniam leuioribus. & Paulo post, Sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, & relaxandilicentiam sacerdotibus suis sine vlla exceptione concessit: apud vos verò cum sacerdotes nulli sint, quid mirum si nullum pœnitentiæ sacramentum habetis? Ius enim hoc, vt idem Ambrosius loquitur, solis permissum sacerdotibus est. Rectè igitur ecclesiā (inquit) vindicat quæ veros sacerdotes, habet. Hæresis vindicare non potest quæ sacerdotes Dei non habet. Non vindicatio autem ipsa de se pronunciat, quod cum sacerdotibus nō habeat, ius sibi vindicare nō debeat, sacerdotale. Postremum in sacramentorum numero est Matrimonium, quod ipse Paulus sacramentum appellat. *Ad Ephes. 5.* (inquit) hoc magnum est. Ego autem dico in Christo & in ecclesiā. Cui enim, nisi infideli, dubiū esse potest Christianis cōiugibus ad liberos Christo procreandos dum sancto matrimonij fœdere copulatur, gratiā tribui? quemadmodū Christus, eodē Paulo teste, ecclesiæ cōiungitur, vt eā sanctificet. Quo enim modo, si nihil in se præstātius, quā vos dicitis,

Christianorum coniugia haberent, sacramē-
 ri nomine matrimonium Paulus cohonestaf-
 set, quibus prophanum adeo est quidquid in
 eo cernitur, vt Calvinus vester, cum agricul-
 tura illud, cum Architectura, cum furrina,
 cum tonstrina comparare nō vereatur. Hinc
 vestra coniugia prophana esse vultis, neque
 cum Paulo coniunctionem Christi cum ec-
 clesia, qua eam sanctificat, & insolubili cum
 ea vinculo coniungitur, significare. Nam ne-
 que coniuges, dum matrimonij fœdere iun-
 guntur, Christo sanctificari vultis, & fœdus
 ipsum ac vinculu dissoluitis, non aliter quā
 si ab ecclesia Christus sua separari aliquando
 possit. Qua in re damnatam iam olim Mon-
 tani heresim ab orco reuocastis, quem matri-
 monij soluendi authorem fuisse Theodoretus
 testatur: vt satis Caluini vestri impudentiā
 mirari nequeam, qui neminem antè Gre-
 gorij tempora matrimonium pro sacramen-
 to ait agnouisse. Nam vt de aliis nihil dicam,
 Augustinus certè quem tuum esse toties glo-
 riaris, tam splendidum mendacium facile
 coarguet. Bonum igitur nuptiarum (inquit)
 per omnes gentes, atque per omnes homi-
 nes in causa generandi est, & in fide castitatis,
 quod autem ad populum Dei pertinet, etiam
 in sanctitate sacramenti, per quam nefas est,
 etiam repudio intercedente alteri nubere, dū
 vir eius viuit, nec saltem ipsa causa pariendi.
 Vos vt matrimonia vestra passim dissoluitis,

Cal. lib. 4. c.
 19. sect. 34.

Theod. li. 3.
 heret. fabul.

Cal. lib. 4. c.
 19. sect. 33.
 De bono cō
 iugali c. 24.

ita quam Augustinus prædicat sacramenti
 sanctitatem, nullam agnosceris. Quid quod
 Augustinus ex sacramenti vi atque natura, il-
 liulque cum cæteris ecclesiæ sacramētis ana-
 logia quæstiones plerasque hand leues dissol-
 uir? vt quando ob adulterium coniuges se-
 parantur, si in gratiam postea redeant, nihil
 opus esse vt nouum denuò matrimonium
 contrahatur, quod integrum in illis matri-
 monij sacramentum semper permaneat: quæ-
 admodum si baptizatus quispiam ex ecclesia
 recedat, ad eamque postea reuertatur, bap-
 tizandus denuo non est, quod in eo baptismi
 sacramentum integrum permanferit. At vos,
 si loqui consentaneè vultis, cum separati ob
 adulterium coniuges in gratiam redeunt, no-
 uo necesse est matrimonio iungantur, cum
 prius illud dissolutum esse dicatis. Neque
 enim aliter ad nouas nuptias pro vestro mo-
 re conuolare liceret. Et rursum: quia matri-
 monium sacramentum est, etiam ea re, in-
 quit, non subsequēte, ob quam nuptiæ factæ
 sunt, dissolui non potest. Quemadmodum si
 fiat ordinatio Cleri ad plebem congregan-
 dam, etiam si plebis congregatio non subse-
 quatur, manet tamen in illis ordinatis sacra-
 mentum ordinationis. Hæc sanè tam aperta
 sunt, vt pluribus agere superuacaneum pror-
 sus sit. Sicut ergo vobis, per me licet, profana
 matrimonia omnia, de quibus quā velitis
 humiliter abiectèque sentiatis: ego verò

De bono cō
 iugali c. 24.

Tertull. li. 2.
ad vxor.

Tertulliani sententiam de Christiani matrimonij excellentia non possum non vehementer probare, liberèque cum eo exclamare: vnde sufficiam ad enarrandam fœlicitatem illius matrimonij, quod ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum angeli renunciant, Pater ratum habet. Iam à sacramentorum numero, ad eorum vim ac efficaciam transilis: Ac Baptismum quidem apud vos verum esse Campianus concessit, Iam olim enim ecclesia verum esse hæreticorum baptisma aduersus Donatistas definiuit, Etenim à quocunque tandem conferatur baptismus, ecclesiæ semper est, quæ sola tanquam sponsa filios Christo parit, aliquando quidem per vterum suum, aliquando per vterum ancillarum, vt eleganter contra donatistas Augustinus scripsit. Nihil ergo vobis hoc loco Campianus concessit, in quo veteribus vos hæreticis superiores possitis gloriari. *Sed nos (inquis) baptizamus quæ admodum Christus præcepit, & veteres illas nescio quas sordes abiicimus. Quas tu hic sordes appellas homo sordidissime? sanctissimas nimirum illas ceremonias, quas iam inde ab Apostolorum temporibus Christi ecclesia, quàm latè se per vniuersum terrarum orbem diffudit, summo semper in honore habuit. Quis enim est antiquorum patrum, qui non & earum meminit, & ex iis grauissima interdù, alia fidei dogmata confirmauit? An tu Augustinum*

Augustinum ignoras ex iis qui in baptismo adhibentur exorcismis infantulos in originali peccato nasci contra Donatistas demonstrasse. An Basilium cum de spiritus sancti diuinitate disputaret, Eunomium hæreticum confutasse? an Tertulianum cum de corona militis differeret, eos qui ad scriptum Dei verbum prouocabant coarguisse? Longum esset omnia hic patrum testimonia recensere, vntù præterire Cyrillum Hierosolymitanum non possum, qui, Deus bone! quàm diuersam baptismi administrandi rationem, quam discrepantes in suo catechetico ritus commissis suæ fidei Christianis tradidit, ab iis quos Gebennensi populo Calvinianus ille catechismus præscribit! Primum (inquit Cyrillus) ingressi in porticum domus baptisterij, & stantes, versus occidentem, mandari vobis audistis, vt protensa manu tanquam præsentem Satanae, renunciaretis. Verumtamen audis, quod nunc tu manus, tanquam ad præsentem dicitur, renuncio tibi Satana. Doceris mox & alteram, renunciationis partem addere, & omnibus, tuis operibus. Postea dicis, & omni pompæ illius: dicis præterea, & omni tuo cultui. Cum itaque Satanae renunciaueris, & omne cum illo pactum rescideris, aperitur tibi paradysus Dei, quem ipse ad orientem plantauit. Et huius rei symbolum est, cum ab occasu conuerteris ad ortum, quæ lucis est regio: tum admoneris vt diceres, Credo in pa-

August. lib. 2. de nuptiis & concupiscentia c. 17. Basl. lib. de spir. sancto cap. 27. Tertu. de cor. mil.

Catech. x.

trem, & filium, & spiritum sanctum, & in
 baptisma pœnitentiæ. Et hæc quidem in ex-
 teriori domo gesta sunt, in sequentibus verò
 mysticis instructionibus in sancta sanctorum
 Catech. 2. ingrediemur. Statim igitur vt ingressi estis,
 vestem exuistis, deinde verò iam exuti, exor-
 cizato oleo à summis capillis ad infimos vs-
 que peruncti estis, & participes effecti fructi-
 feræ illius oleæ Iesu Christi. illud ergo exor-
 cizatum oleum, symbolum est pinguedinis
 Christi nobiscum communicatæ, & quod
 omne vestigium diabolicę operationis in
 nobis deletum sit. Nam vt insufflationes
 sanctorum, & nominis Dei inuocatio, tan-
 quam vehementissima quædam flamma vrit
 dæmones, & in fugam conuertit, sic & exor-
 cizatum oleum per orationem, dei que inuo-
 cationem, tantam virtutem consequitur, vt
 non modo ardentia peccatorum vestigia ex-
 putget, verum etiam omnes inuisibiles de-
 mones repellat. Postea deducebimini ad
 sanctum diuini baptismi lauacrum, atque
 tum vnusquisque interrogabatur, an crede-
 ret in nomen patris, & filij, & spiritus sancti.
 Et confessi estis salutarem confessionem, &
 merfi ter in aqua, rursus emersistis, Atque ita
 per hæc symbola triduanam Christi signifi-
 castis sepulturam. Nam vt Saluator noster
 tribus diebus & tribus noctibus fuit in visce-
 ribus terræ, sic & vos prima emersione pri-
 mam Christi sub terra imitabimini diem, &

immersione noctem Sicut enim qui versatur
 in nocte videre non potest, & qui est in die,
 in lumine est, haud aliter in submersione
 tanquam in nocte nihil videbatis, in emer-
 sione contra, tanquam in die, eratis simul
 mortui & generati. Atque ita salutaris aqua,
 & sepulchrum vobis, & mater effecta est.
 Postquam ex aqua sacri lauacri ascendimus,
 datum est chrisma quod imaginem gerit il-
 lius, quo vnctus est Christus. Et corpus qui-
 dem isto visibili vnguento perungitur, ani-
 ma verò sancto viuificóque spiritu sanctifica-
 tur. Ac primum quidem fronti illinitur, vt
 eum abstergat à vobis pudorem, quem pri-
 mus homo transgressor perpetuo circumfe-
 rebat, simulque efficiat vt possitis vultu non
 velato gloriam domini intueri. Deinde vero
 aures vnguntur, vt ad audiendum diuina my-
 steria aures accipiatis, de quibus dicebat
 Isaias, & addidit mihi dominus aures ad au-
 diendum, postea nares, vt diuinum accipien-
 tes vnguentum, dicatis Christi gratus odor
 est Deo in his qui saluantur. Tum verò &
 pectus inungitur, vt induti thoracem iustitiæ
 fortiter aduersus insulcus diaboli resistatis.
 Vt enim saluator post baptismum, & illum
 sancti spiritus aduentum, egressus in prælium
 denicit aduersarium, sic & vos, post sacrum
 baptismum, & chrisma mysticum, induti armis
 sancti spiritus, aduersus oppositam vobis
 potestatem consistitis, & præliamini, dicen-

Catech. 4. res, Omnia possum in eo qui me confortat.
 Denique exutis vestibus antiquis, iis quę
 sunt secundum spiritum albę indutis, per-
 petuò iam in albis incedere oportet. Non
 hoc ideo dicimus, quasi alba te semper vesti-
 menta habere sit necesse, sed quòd his quę
 verè alba, splendida, & spiritualia sunt, vesti-
 ri te oporteat, vt cum Isaia possis dicere,
 Exultet anima mea in domino, induit me
 veste salutis, & tunicam lætitię circumdedit
 mihi. Quò alludit his versibus Christianus
 poëta:

Fortun. in
 lib. hym.

*Fulgentes animas vestris quoque candida signas,
 Et grege de niueo gaudia pastor habet.*

Atque hinc, si ignoras, in hodiernum vs-
 que diem quę resurrectionem domini do-
 minica sequitur, dominica in albis appellari
 solet. Quòd tum Catechumeni vestes albas
 exuerent, vt ex vetustissimo ecclesię hymno
 discimus, qui eo adhuc die in ecclesia cani-

Lib. hymno
 rum. Dyon.
 cap. 2. eccle.
 Hier. orig.
 hom. 12. in
 numeros.
 Tertul. de
 cor. mil.
 Chrysoft.
 hom. de adā
 & Eva Basi.
 de spiritu
 sancto c. 19.
 Lib. 4. cap.
 15. sect. 19.

tur. *Ad cœnam agni prouidi.
 Et stolis albis candidi,
 Post transitum maris rubri,
 Christo canamus principi.*
 Plura de baptisimi ceremoniis si fortè requi-
 ris, Dionysium lege Areopagitam, Tertul-
 lianum, Origenem, Cyprianum, Basilium,
 Chrysoftomum, Augustinum, cæterosque
 patres, qui sitim abundè tuam explebunt.
 Verùm præ se Caluinus omnium antiquo-
 rum Patrum, ac totius ecclesię veteris iudi-

cium contemnit. *Esti. (inquit) me non latet
 quàm vetusta sit huius aduentitię farraginis ori-
 go, vestire tamen mihi & piis omnibus fas
 est, quicquid ad Christi institutionem addere ausi
 sunt homines.* Et paulo post. *Has Satana im-
 posturas inter ipsa euangely exordia receptas
 fuisse ait.* Nos whitakere non tantum no-
 bis tribuimus, vt patribus nostris, ac tota
 veteri ecclesia sapientiores simus, vt quę
 illi tanto studio & diligentia tanquam re-
 ligioni Christianę & diuinis literis maximè
 consentanea seruarunt, pro Satana im-
 posturis habere vnquam possumus, planèque
 nobis persuademus multo dæmonem faci-
 lius vni Ioanni Caluino, quàm toti veteri
 ecclesię imponere potuisse: nisi forte ma-
 iori cum euangelicis vestris familiaritate
 coniunctus, illos ne fœdus initum violaret
 fallere noluit. Hęc de Baptismo. Ad Eu-
 charistiam veniamus. *Si verus (inquis) no-
 bis baptismus est, vera est Eucharistia.* Cum
 panis & vinum vobis eucharistia sint (ne-
 que enim aliam eucharistiam Christum in
 cœna dedisse creditis) vestram quoque vo-
 bis eucharistiam relinquimus. An non re-
 cum whitakere liberaliter agimus? At ve-
 ram eucharistiam, quę corpus ac sangui-
 nem Christi continet, vobis pernegamus.
 Neque vnquam efficies, vt quia verum habe-
 tis baptismum, verã quoque vos eucharistiã

Lib. 4. ca. 15.
 sect. 19.

habere ostendas. Vbi enim laici, in quorum vos numero estis, eucharistiam conficiendi potestatem aliquam à Christo acceperunt? Solis enim ille Apostolis in cœna dixit, hoc facite in meam commemoracionem: quibus sane verbis, quemadmodum tota hæctenus Dei ecclesia credidit, effecit, vt quemadmodum ille eucharistiam consecrauit, Apostoli deinceps eam consecrandi potestatem haberent. Hanc Paulus per manuum impositionem, siue ordinis sacramentum, vt ex actis Apostolorum constat, accepit. Hanc ipse Tito ac Timotheo contulit, quam illi eodem ritu aliis quoque contulerunt: perpetuus denique hic mos à primis ecclesiæ nascentis temporibus, ad nostram vsque ætatem diligentissimè seruatus est, vt nullo vel leuissimo antiquitatis testimonio probare possis, apud alios quàm sacerdotes, hoc est eos qui ab Episcopis ordinis sacramento initiati ac consecrati fuerunt, eucharistiam conficiendi potestatem fuisse. Pulchrè enim cõtra Luciferianos Hieronymus de quodam Hilario diacono, Hilarius (inquit) cum diaconus de ecclesia discesserit, solusque vt putat, turba sit mundi, neque eucharistiam conficere potest, episcopos & presbyteros non habens, & cum iam homo mortuus sit, cum homine pariter interiit & secta, quia post se nullum clericum diaconus po-

Act. 13.

1. ad Tim. 5.
5. ad Titũ 1.

nuit ordinare, ecclesia autem non est quæ non habeat sacerdotem. Hinc Tertullianus veterem hæreticorum morem fuisse scribit, vt etiam laicis sacerdotalia munera iniungerent. Ac vt alia præteream, satis ecclesiæ catholicæ morem illud ostendit, quod in actis Alexádrinæ synodi de Ischyra legitur: de quo Socrates in hunc modum. In ista (inquit) regione Ischyras quidam (sic enim appellatus est) facinus quod multis mortis generibus multandum fuerat aggressus est. Nam cum nunquam sacris fuisset initiatus, presbyteri nomen ipse sibi imposuit, sacerdotisque munera obire ausus est. Et paulo post. Rumorem dissipauit Ischyras, impetum clam in se factum, & nihil non contumeliarum perpeffum, & Macarium in altare insultasse, & mentam domini euertisse, poculum mysticum cõfregisse &c. Ariani, quia nondum eo amentie quo nunc Calviniani, peruenerant, vt tam nefario crimine Macarium onerarent, hunc Ischyram sacerdotem fuisse mentiti sunt: neque enim esse alium accusandi locum intelligebant, cum non Catholicorum modò, sed & hæreticorum consensione constaret, non nisi sacerdotibus Christi corpus conficiendi potestatem esse vllam: Et Donatistæ quia apud Catholicos nulla esse vera sacramenta sibi persuadebant, iisdem in altaribus sa-

De prescrip.

Theod. li. 2.
ca. 8. So. lib.
1. cap. 20.
Synod. Alexand.

Optat. cōtra
Pamenia-
num lib. 6.
Concil. Nic.
can. 14.

crificare noluerunt, in quibus catholici sacerdotes sacrificassent aliquādo: sed altaria, vt testis est inter alios Optatus, vel abradebant, vel euerbebant. Quid plura? Decimus quartus Niceni Concilij canon instar omnium esse debet, vbi diaconis, ne confectam iam eucharistiam populo exhibeant interdicitur, quod illi cum sacerdotes non sint, nullam conficiendæ eucharistiæ potestatem habeant. Si quæ ergo Patribus, si quæ conciliis, si quæ scripturis ipsis fides habenda est, vos cum laici sitis, eucharistiam profectò conficere minimè potestis. Quod & ipsi vltro conceditis, qui præter panem & vinum nihil vos dare profitemini, quod quilibet certè ex vulgo domi etiam suæ vel dare vel accipere potest, neque quidquam possunt ministri vestri, cum sacerdotes non sint, quod Iudæus quilibet, aut Turca non possit. Solo igitur baptismo quem laici, ipsæque adeo mulieres dare possunt, contenti sitis. De quo tamen si pro dignitate sentiretis, æquiori certè animo ferremus. Sed vobis, vt Campianus dixit, non est vnda salutaris, non est canalis gratiæ, non Christi merita in vos deriuat, sed duntaxat est significatio salutis. Atque hoc tu loco mihi ex Calviniano repente catholicus factus videris, *Baptismus* (inquis) *gratiæ est canalis, Christi merita in nos deriuat, neque salutem duntaxat*

*taxat significat, sed etiam præstat atque affert. Etenim in baptismo peccatorum remissionem consequimur, Spiritu sancto donamur. Quid hoc sibi vult whitakere? hic ne Luthero tuo & Caluino nuncium remittis? Minime enim Calvinus in baptismo vel gratiam, vel remissionem peccatorum nobis dari concedit: sed signum tantum, ac veluti sigillū esse quo de collata iā nobis gratia certi efficimur. Ipsum si placet loquentem audiamus. *Baptismus* (inquit) *est symbolum nostræ purgationis, instar signati cuiusdam diplomatis, quo nobis confirmet peccata nostræ sic deleta, ne vnquam in conspectum suum veniant. & Paulo post. In hunc sensum intelligendum est quod à Paulo scribitur, ecclesiam à sponso Christo sanctificatam, ac mundatam lauitro aquæ. Non enim significare voluit ablutioem & salutem nostram aqua perfici, neque hic salutis causam, sed duntaxat talium donorum cognitionem, & certitudinem in hoc sacramento percipi. Et rursus, per Euangelium nobis nostræ ablutiois, & sanctificationis nuncium afferi, per baptismum huiusmodi nuncium obsequari ait. Laudo itaque ingenium tuum, quod Calvinus hic valere iusseris. Nihil enim ineptius, quàm eos qui iam fide de peccatorum remissione ex Dei verbo certi sunt quales esse suos Calvinus, prædicat, sigillo adhuc aliquo aut diplomate egere, quasi vllum esse sigillum verbo dei vel ipsa fide certius possit. Sed vereor equi-**

Lib. 4. cap.
15. sect. 1.

sect. 2.

dem ne in suscepta semel sententia non diu persistas. Quid enim est quod Paulo post addis: *Non confert baptismus gratiam ex opere operato, magicum quiddam hoc est, & pestiferum commentum, ut in aqua ipsa, tanquam in aluo inclusam gratiam existimes.* Tu ut video, whitakere, quid sit sacramenta ex opere operato gratiam conferre planè ignoras, cum nihil hoc sit aliud, quàm quod tua sponte confessus es, sacramenta non signa tantum gratiæ esse, verùm etiam eam efficere ac præstare, esseque instrumenta quædam, ad eum finem diuinitus instituta. Ita enim scripturæ sacræ, ita patres passim loquuntur. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, inquit Paulus, Et viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, & Petrus, quod & vos nunc similis formæ saluos facit baptisima: & aliis penè innumeris locis: quibus omnibus baptismum, non inane, ac ieiunū aliquod nostræ sanctificationis signum esse, perspicuè ostenditur, sed eam simul præstare atque efficere. De patribus nihil dicam, cum tuus ipse Calvinus Patres dum de sacramentorum vi ac efficacia tanta perspicuitate loquuntur, ut ferre non posset, hyperbolica tantum loquutione eos uti voluisse fingat.

Fortè (inquit) miseros istos Sophistas deceperunt, immodica etiam illa sacramentorum encomia, quæ

ad Tit. 3.

ad Ephe. 5.

1. Petri. 3.

de signis nostris apud veteres leguntur: quale est illud Augustini quod veteris legis sacramenta saluatorem tantum promittebant, nostra vero dant salutem, has & similes dicendi figuras cum non animaduertent hyperbolicas esse, & ipsi hyperbolica sua dogmata promulgarent. Hæc tuus stultus & hyperbolicus Magister. Vanum ergo & inane est quod dicis, nos in sacramentis tanquàm in aluo inclusam esse gratiam existimare. Nā vel ipse te Diuus Thomas longè aliud docere poruisset: gratia (inquit) est in sacramentis nouæ legis, non quidem secundum similitudinem speciei, sicut effectus in causâ 3. quæ 62. art. 3. uiuoca, neque etiam secundum aliquam formam propriam, ac permanentem, proportionatam ad talem effectum, sicut sunt effectus in causis, non vniuocis, puta res generatæ in sole, sed secundum quandam instrumentalem virtutem. Vbi vides gratiam in sacramento contineri, non tanquam in aluo, sed tanquam in instrumento, quod neque tu ipse, si tibi constare vis, inficiari potes. Si enim gratia nobis per sacramenta confertur, neque tu, nisi prorsus insanias, primariam in iis præcipuamque causæ rationem possis constituere, instrumenta certè constituas necesse est, in iisque gratiam, ita contineri, cum Diuo Thoma ceterisque scholasticis doctoribus, ut in causis quæ instrumentariæ dicuntur, contineri effectus solent. Cur verò eum loquendi morem in scholis sequamur, ut ex

opere operato gratiam conferre sacramenta dicamus paucis te docebo. Cùm enim Christus ipse sit qui gratiam per sacramenta, veluti per canales quosdam, in mentes nostras deriuat, ea ex opere operato, hoc est, quatenus à Christo ipso, tanquam instrumenta diuinitus instituta, mouentur, gratiam conferre dicimus, quem loquendi morem eo sequimur libentius vt omnem sacramentorum vim ac efficaciam, non à ministri præstantia, neque illius qui sacramenta suscipit, dignitate, sed à Christo ipso, qui per ea operatur, pendere omnes intelligant. Qui verò Calviniani estis nihil Christo in sacramentis, sed fidei, si superis placet, vestræ omnia tribuitis, & quod solum ad totius impietatis fastigium deerat, æterni illius sacerdotij Christi partes vobis quasi præcipuas vendicatis. Quid enim magis ad Christi sacerdotium potuit pertinere, quàm vt genus humanum peccato perditum æternæque mortis reum Deo patri reconciliaret? Quomodo autem perfecta erit reconciliatio, nisi & pretium soluatur, & soluti in nos pretij fructus deriuetur? Pretium certè Christus Deo patri gratissimum, & quod expiandis totius mundi peccatis satis superque erat pro nobis in cruce obtulit, per sacramenta verò illius pretij vim ac efficientiam in nos quoque ipse diffundit, quam sacerdotij ipsius partem vos Christo Calviniani detrahitis, eamque vobis

ipsis impiè arrogatis: vt siue de Christi sanguine, siue regno, siue sacerdotio vobis sermo sit, ieiuna omnia, ac illius maiestate indignissima reddatis. Nihil enim illius nobis sanguinem fuisse profuturum docetis, nisi etiam in anima damnati ac periti hominis supplicium pertulisset. Regnum illius quod omnium regnorum maximum fore, cæteraque omnia suo imperio subiecturum, propheta prædixerunt, tam angustis finibus clauditis, vt ne tuguriolum quidem vnum in quo rot iam anteaecis seculis Christi regnum cõpiceretur, ostendere possitis. Illius vero sacerdotio quantum detrahatis, quis non videt? cùm nihil eum per sacramenta in mentibus nostris efficere contendatis, sed ieiuna tantum, omnisque gratiæ inania nobis signa præbuisse. Sed quæ sequuntur leuitatem atque inconstantiam apertius tuam produnt. Virio vobis Campianus vertit, quòd nihilo pluris baptismum Christi quàm Ioannis faciatis ceremoniam. Quid tu? *Ceremonia eadem, doctrina eadem, gratia eadem fuit.* At nemo vnquam, vt Christi baptismum, ita etiam Ioannis, gratiæ canalem dixit. Baptizabat enim Ioannes in eum qui venturus erat post ipsum in aqua, & non in spiritu sancto. Christus verò in aqua & spiritu sancto, id quod & ex scripturis sacris, & ex omnibus antiquis patribus perspicuum est. Ac vt alios præteream, tuus quantus, quan-

Timoth. 3.

tus est. Augustinus, Non enim, inquit renascebantur qui baptisate Ioannis baptizabantur, a quo ipse Christus baptizatus est, sed quodam præcursorio illius ministerio, qui dicebat, parate viam domino, huic vni in quo renasci poterant parabantur, huius enim Baptismus est, non in aqua tantum sicut fuit Ioannis, verum etiam in spiritu sancto, vt de illo spiritu regeneretur quisquis in Christum credit. Et rursus: baptismus Ioannis non erat baptismus Christi, sed tamen militans Christo, sicut legis veteris sacramenta, præcursorio quodam, & figuratorio fungebantur officio. eandemque aliorum esse patrum sententiam, apertum adeo est, vt ne te ipsum quidem quamuis ignarum latuerit. Hoc est enim quod subiungis. *Quid de Ioannis baptismo veteres iudicant non ignoro, sed quid scriptura doceat, non quid illi suspicentur, attendo.* Bona verba quæso whitakere. & Patres scripturas aliquando vidisse verisimile est. sed quid quæso scriptura docet? An non inter suum & Christi baptisma Ioannes hoc discrimen statuit, quod in aqua quidem ipse, Christus vero in spiritu sancto baptizaret? Qua igitur vos fronte, non aliter Christum in spiritu sancto quam Ioannem baptizasse asseritis? vel quomodo qui baptismo Ioannis iam baptizati erant, Christi rursus baptismo tincti sunt? nisi Paulum forte, qui eos baptizavit Anabaptistam fuisse

De vnico
baptismo
cōtra petil.
cap. 7.

Matth. 3.

se dicatis. Sic enim ille. Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens in *Act. 19.* eum qui venturus esset post ipsum vt crederent, his auditis baptizati sunt in nomine domini Iesu. Quæ scripturæ verba, tam plana, tamque aperta, à proprio ac genuino sensu Caluinus tam sceleratè detorquet, vt ex baptismo impositionem manuum repentiè nobis efficiat. *Baptismi (inquit) nomine significare voluit gratiam spiritus sancti visibiles per impositionem manuum datas.* *Lib. 4. cap. 15. sect. 18.* Hic vester est in explicandis scripturis candor, vt ex quouis quiduis pro arbitrio efficiatis, cum eo ipso in loco baptismus ab impositione manuum clarissimè secernatur. Baptizati sunt, inquit, in nomine Iesu, & cum imposuisset illis manus Paulus, venit spiritus sanctus super eos. Quid apertius? prius enim baptizati sunt, deinde per manuum impositionem spiritum sanctum acceperunt. Ac ne longior sim, si idem vterque baptismus fuit, cur nõ Pauli baptismus, vel Petri dici potuit, quem illi contulerunt, vt Ioannis baptismus quæ ipse contulit? cur vt alia omittam, non in nomine vos Christi venturi, perinde ac Ioannes baptizatis, vt in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, Christi discipuli baptizarunt? Accedente enim verbo ad elementum fit sacramentum. Sed virget fortasse vehementius quod addis: *Si pœnitentia & peccatorum remissione Ioannis baptisma minimè caruit, non video cur tam optere à*

Tra&ta. in
cuan. Ioan.

Christi baptismo alienum existimetur. Quis vnquam à Christi baptismo Ioannis baptisma alienum dixit? An qui tuum amicum fortè non te whitakere ipsum, sed amicum esse tuum dicit, is à te alienum esse illum hominem mox dicere censendus est? *Sed quid est (inquis) quod Patres etiam ipsi quaerunt, cur Christus qui nulla regeneratione opus habuit, ad Ioannis Baptisma, accesserit, nisi illius baptismum ad regenerationem valuisse iudicant?* Non ego hic tibi, sed tuus quantus, quantus est Augustinus respondeat. Qui acceperunt (inquit) baptismum Christi, baptismum Ioannis non quaerunt, qui acceperunt baptismum Ioannis, baptismum Christi quaesuerunt. Ergo Christo suffecit baptismus Ioannis. Quomodo non sufficeret, quando nec ipsi erat necessarius? Illi enim nullum baptisma fuit necessarium, sed ad hortandos nos ad baptisma suum, suscepit baptismum serui. Quæsiuerunt ergo Patres cur ad baptismum Ioannis Christus accederet, quod baptismus ille ad regenerationem præparabat, qua præparatione ceteri quidè mortalium plurimum, Christus verò minime egebat. Neque mirari satis possum, te hominem Calvinianum Ioannis baptismo regenerationem tribuere, quam ne Christi quidem baptismo tuus ille Calvinus tribuendam censuit. De quo non aliter sanè sensit, quàm à Campiano vobis obiectum est. Si habeas, rectè, si careas nihil damni,

damni, crede & saluus eris antequam abluare. Hic tu sanè ea peritia respondes, vt quid demum respondeas vel cõiectura assequi difficile sit. *Non ita loquimur (inquis) vt signis, tamè minime putamus baptismum esse ad salutem ἀπλῶς necessarium, vt qui baptismo non fuerit initiatus, ei sit perpetuo pericundum.* Quid? si sine baptismo salutem infantes assequi æternam possunt, an non vestro iudicio, vt Campianus asseruit, quod baptismo careant nihil illis damni est? Ipsum vero Calvinum audi, *Pii (inquit) omnes agnoscunt baptismum opus habere infantes, non tanquam adiumento ad salutem necessario, sed tanquam sigillo ad obsequendam illis adoptionis gratiam.* Et paulo post. *Sufficit infantibus fidelium, ad salutem sola promissio.* An non hic Calvinus tuus nihil damni infantibus esse dixit, quod baptismo careant? At longè profectò aliter Christus, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non poterit intrare in regnum Dei. Quæ cum Calvinus tam plana, tam perspicua esse videret, vt nullam ipsi euadendi viam relinquerent, eodem infantiæ redactus est, vt contra antiquorum omnium patrum sententiã de baptismo intelligenda negaret. *Falluntur (inquit) qui baptismi hoc loco mentionem fieri putant, quia aquæ nomen audiunt.* Sed eadem probabilitate nullum alium scripturæ locum de baptismo intelligendum esse dicere potuisset, cum nullus eo sit apertior alius. quod si patrum apud

In Antidoto ad art. 1. Pacifici.

Ioan. 3.

Lib. 4. cap. 16. sect. 25.

Epi. 23.

Ioan. 3.

ad Ephes. 2.

te autoritas locum aliquem habet, minime ignoras in eadem omnes fuisse sententia. Atque ut alios prateriam, quos tu pro ludo soles reicere, tuum quantus quantus est Augustinum audi. Quisquis dixerit (inquit) quod in Christo viuificabuntur etiam paruuli, qui sine sacramenti perceptione de vita exeunt, hic profecto, & contra Apostolicam predicationem venit, & totam condemnat ecclesiam. *At Dei (inquis) clementia nullis alligata est sacramentis, quominus sine illis seruari possit quos perire nolit.* Quis Deum sine baptismo paruulos seruari posse negat? Non hic quantum Deus possit, sed quid se velle nobis patefecerit disputamus. Suam vero voluntatem satis declarauit, cum ait: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei. Non enim nos hic voluntatem Dei leuibus ac incertis coniecturis inuestigamus, sed clarissima, ut vides, ipsius Dei verba tenemus: quæ, si Caluinum excipias, nemo vnquam qui se Christianum professus est, aliter intellexit. Cumque omnes omnino homines iræ filios nasci paulus testatur, neque parætum quantacunque sanctitas efficere possit, quin filij iræ nascamur, si nulum huic tanto malo in diuinis literis aliud à baptismo remedium diuinitus datum videmus, quid superest nisi ut qui sine baptismo ex hac vita excedunt, eiusdem in qua nati sunt iræ filii moriantur? Non enim fru-

stra, fremat licet Caluinus, regenerari nos per baptismum, mundari, lauari, renasci, saluos fieri scriptura commemorat: sed ut ante ad Ephes. 5. te baptismum peccatorum fordibus immundis, ac salutis expertes fuisse doceat. Vrges tamen Dei promissionem quæ Abrahamæ facta est. Statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus & seminis tui post te. Promissio quidem whitakere Abrahamæ facta est: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Vos vero quid aliud quàm Deum quod promissit minime præstitisse dicitis, cum Abrahamæ semen, quod instar arenæ maris, & stellarum celi futurum Deus prædixerat, per vniversum orbem defecisse contenditis, donec Lutherus illud propemodum iam extinctum denudè ex katherina Borrha excitaret. Neque minus absurdum est, quod fidelium filios ipso originis iure ad Abrahamæ semen pertinere contendis. Non enim qui filij carnis, hi filij Dei, sed qui filij sunt promissionis æstimantur in semine. Et Abrahamæ dictæ sunt promissiones, & semini eius, non dicit in feminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo qui est Christus. Iidem ergo semen Abrahamæ qui Christi sunt. Abraham ergo cum multorum credentium pater fidei beneficio factus sit, non aliter nos illius semen ac filij, quàm per fidem esse possumus, ut non

quia fidelium filij, sed quia Christo per fidem
 insiti in semine Abrahæ censeamur. Ita
 ad Gal. 4. enim Paulus ipse ratiocinatur: Quicumque
 enim in Christo baptizati estis, Christum
 induistis, si autem vos Christi, ergo semen
 Abrahæ, secundum promissionem hæredes.
 Non enim, vt eleganter Hieronymus scrip-
 sit, nascimur, sed renascimur Christiani. Ete-
 nim si quis non alia de causa semen Abrahæ
 dicendus est, quàm quod fidelibus sit natus
 parentibus, nimium profectò multi ab hac
 benedictione, quæ omnibus gentibus pro-
 missa est, erunt excludendi: quod certè pa-
 radoxum adeo Calvinus probauit, vt mini-
 mè baptizandos infidelium pueros affirma-
 rit. *Sanctos* (inquit) *fidelium filios nasci tradit*
Paulus, & sanè nequaquam illis conueniret bap-
tismus, nisi iam in hac promissione salus eorum in-
clusa esset, ego ero Deus tuus & seminis tui. Non
enim filii Dei per baptismum fiunt, sed quia pro-
misionis beneficio hæredes sunt adoptionis, ideo ad
baptismum eos admittit ecclesi.a. Hæc ille. Quæ
 quisquis secum paulò diligentius perpende-
 rit, perspiciet profecto, Caluino iudice, in-
 fidelium filiis haudquaquam baptismum
 conuenire: quippe quorum salus, vt ille
 loquitur, non est promissione inclusa. Non
 enim illis nisi iam filij promissionis existant,
 sigilli loco baptismus adhiberi vnquam po-
 test, quo tanquam promissionis filij obsignè-
 tur. Iamne cernis whitakere, quorsum hæc

In antidot.
 1. parisi.

Caluini de promissione prodigia spectent?
 Desine igitur tã impiæ ac perniciosæ hæresis
 Bernardum facere assertorem, qui sanè, vt sa-
 cramenti, non priuationem, sed contemptio-
 nem esse exitialem verissimè dixit, ita à vestro
 dogmate maximè semper abhorruit. Non
 enim de infantibus loquitur, sed de iis qui iã
 fide imbuti, ne baptizari possint immatura
 interdum morte præueniuntur, hæc enim de
 causa ad eum Hugo Epistolam scripsit, quod
 nullam huiusmodi hominibus salutis spè esse
 quidem non dubitasset asserere. Scribis ita-
 que (inquit Bernardus) quendam asserere,
 (nescio quem, nam non nominas) ex quo
 primum dictum à domino legitur, nisi quis Bernad. epi.
 renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non ad hugon.
 intrabit in regnum cælorum, ex eo neminem
 absque percepto actualiter visibili sacramē-
 to, vel eius vice, martyrio, vllatenus potuisse
 saluari, sed etsi illud quispiã cum vera fide, &
 contritione cordis expeteret, sed præuentus
 mortis articulo, assequi quod cuperet, non
 valeret, tamen omnino damnari. Quem ipse
 errorè rationibus sanè multis magnisque re-
 fellit. Si quis (inquit) resipuerit, & voluerit, &
 petierit baptizari, sed mortis præoccupatus
 articulo fortè obtinere nequierit, cū non de-
 sit fides recta, spes pia, charitas sincera, propi-
 tius sit mihi Deus, quia ego huic, ob aquam
 solã, si defuerit, nequaquam omnino possum
 desperare salutem, tantū si aquam non con-

temptus, sed sola, vt dixi, prohibeat impossibilitas. Nihil ergo Bernardus aliud, quã quod ante eum Ambros. & alij patres docuerunt, quos eadem ipse epistola citauit. Ita enim in obitu Valentini Ambrosius scriptum reliquit, sed audiui vos dolere, quod non accepit sacramentum baptismatis. Dicite mihi quid aliud in nobis est, nisi voluntas, nisi petitio? Atque hoc votum habuit vt antequam in Italiam venisset initiaretur, & proximè baptizari se à me velle significauit. Et ideo præ cæteris causis me accipiendum putauit. Non habet ergo gratiam quam desiderauit? non habet quam poposcit? & quia poposcit non accepit? & vbi illud est? Iustus quacunque hora morte preuentus fuerit, anima eius in refrigerio erit? Et paulo post, Deum alloquens, Qui habuit (inquit) Spiritum tuum, quomodo non accepit gratiam tuã? aut si quia solenniter non sunt celebrata mysteria, hoc mouet, ergo nec martyres, si catechumeni fuerint, coronantur. Non enim coronantur si non initiantur. Quod si suo abluuntur sanguine, & hunc sua pietas abluit & voluntas. Et Augustinus etiam atque etiam considerans, inuenio non tantum passionem pro nomine Christi, id quod ex baptismo decreat posse supplere, sed etiam fidem conuersionemque cordis, si fortè ad celebrandũ mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non possit. & paulo post: quantum itaque valeat etiam sine visibili sacramento

Lib. 4 contra
donat.
cap. 22

Sap. 4

Ambrosio
tu. Valent.

baptismi, quod ait Apostolus, corde creditur ad iustitiã, ore autem fit confessio ad salutem, in illo latrone declaratum est, sed tunc (inquit) impletur inuisibiliter cum mysteriũ baptismi, non contẽptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. Quid vero Bernardus quẽ citas, de fidelium infantibus qui sine baptismi sacramento ex hac vita excedunt senserit, difertis sanè verbis eadem epistola expressit. Sanè (inquit) infantes, quia hãc prohibente etate non possunt habere fidem, hoc est cordis ad deum conuersionẽ, consequenter nec salutem, si absque baptismi perceptione moriantur. Hęc de Bernardi allato à te testimonio satis sunt, vt academici videant qua tu fide sanctorũ patrum testimoniis nos soleas oppugnare. Sed vt ad id in quo disputatio versatur redeam, si Calvinianis ac Lutheranis nihil sacramenta efficiunt, sed fidei omnia tribuenda sunt, quomodo quæso infantes, qui neque credere, neque per etatem adhuc intelligere possunt, aliquẽ in se sacramentorum fructum experientur? Hoc vero magdeburgenses vestros imo Lutherum etiã ipsum coegisse dixit Campianus, vt abditos ac occultos quosdam fidei motus in infantibus esse dicerent. neque enim vllũ vel illis, vel vobis, refugium aliud supererat. Tu quia tuam hic sententiã apertè explicare non audes, ancipitem lectorem relinquis. Forsitã etiã credunt (inquis) infantes, quãuis hoc non sentiant. Hęc

Magdeburgici
centuri
2. & 3. cap. 4.
Luth. contra
coeleum.

à me dicuntur, non quod ita prorsus esse statuas, sed quo tuum iudicium elicias, Campiane. In iis quæ fide credenda sunt fortè vel forsitàn, locū nō habent whitakere, vt quondam Augustinus dixit, sed apud vos, vt video, fides nulla est, in opinione omnia consistunt. Quin potius clare ac aperte responde. Nā si nulla in infantibus fides est, facellat noui vestri euāgelii dogma, sacramenti vim omnem à suscipientium fide pendere. Verbū enim promissionis quod non nisi fide apprehēditur vt doceris, est verbum sacramēti, sine quo ne esse quidē sacramentū potest. Sed quia tam infanum deliriū defendere puduit, ne te academicis omnibus ridendum exponeres, pharmacū illud cautè scilicet adiecisti, Forsitàn (inquis) credunt. Quomodo enim non te exploderent academici tā turpiter delirantem, nisi fortè tu de illis quos præclaris naturæ dotibus ornatos esse minimè ignoras, minus benè sentias, quam de omnibus olim Augu. quibus vel folius rationis lumen effulsisset? Nā cum eius ætate quidam eodē quo vos errore excæcati credere etiam infantes dixissent, non tantū se hominum ingenii diffidere Aug. respondit, vt in tam infano errore refellendo sibi diutius immorandum duceret. Caue sis igitur whitakere ne hoc te tam absurdum somnium probare academicis posse existimes. Simulas tamen quid de hac re Campianus senserit ex ipso scire velle, cum id minimè sanè ignores: sed quia

tu auribus (quod aiunt) lupum tenes, vt neque palam affirmare audeas, neque negare, quod Lutherus olim de paruulorum fide disertè docuit, simulando satis te academicis facturum putas. Sed falleris whitakere, falleris vehementer: emunctioris illi naris sunt, quàm quibus tam aperta tergiversatione imponas. Lethale verò Campiano vulnus infligere tibi videris, cum cornuto eum dilemmate aggredieris. Cupio, inquis, de fide paruulorum quid ipse sentias cognoscere, gratiam opinor illis concedes: baptismus enim gratiam confert. An fidem non dabis? Ergo id velim doceas, vt me penitus in tuam sententiam pertrahas, esse aliquam gratiam fide antiquiorem. Non te pudet whitakere tam bonæ spei adolescentes quibus infælici sorte magister obtigisti, in tam crassi erroris tenebris perpetuò velle detinere? Quidni enim, vt hoc tuum qualecunque est argumentum, ex Diui Thomæ commentariis clam surripuisti, illius etiam responsum adiungis? vt liberius illi de re tota iudicium ferre possent. Quod ergo tu malitiosè dissimulas, id ego in illorum gratiam non tacebo: Videtur D. 3. p. q. 69. (inquit Diuus Thomas) quod Pueri in baptismo non consequantur gratiam & virtutes. Gratia enim & virtutes non habentur sine fide & charitate, sed fides, inquit Augustinus, consistit in voluntate, cuius vsum pueri non habent, ergo pueri in baptismo non

„ recipiunt gratiam. Agnoscis credo argumen-
 „ tum, quod pro tuo Academicis venditare
 „ voluisti. Responſionem iam audi. Dixerunt
 „ quidam (inquit) antiqui, quod pueris in
 „ baptiſmo non dantur gratia & virtutes: cau-
 „ ſa aurem erroris fuit, quia nescierunt distin-
 „ guere inter habitum & actum, & sic viden-
 „ tes pueros inhabiles ad actus virtutum, cre-
 „ diderunt eos per baptiſmum nullatenus vir-
 „ tutem habere. Sed iſta impotentia operandi
 „ non accidit pueris ex defectu habituum, ſed
 „ ex impedimento corporali: ſicut etiam dor-
 „ mientes, quamuis habeant habitus virtutum,
 „ impediuntur tamen ab actibus propter
 „ ſomnum. Cùm enim pueri in baptiſmo ef-
 „ ficiantur membra Chriſti, neceſſe eſt quod à
 „ capite recipiant influxum gratiæ & virtutis:
 „ deinde, quia alio qui non peruenirent ad vi-
 „ tam æternam: quia, vt dicitur ad Romanos,
 „ gratia Dei vita æterna: Hæc tibi, whitakere,
 „ bona fide reſponſio proferenda fuerat, ac ſi
 „ quid abſurdi contineret, reſellenda. Sed qui
 „ tam præclare de baptiſmo antea ſentiebas, vt
 „ canalem gratiæ eum diceres, nunc in paruu-
 „ lis neque gratiam, neque fidem, neque vllum
 „ aliud ſpiritus ſancti donum, per tuum hunc
 „ canalem influere exiſtimas. Exaruiſſe tibi cre-
 „ do in paruulis canalem tuum, quibus ne cõ-
 „ ferendum quidem baptiſmum ſenties, ſi Lu-
 „ theri vis eſſe diſcipulus: quem veriſſimè Cã-
 „ pianus dixiſſe, ait, *Niſi credat infans nequicquam*

lauatur. Tu Lutherum licet omni qua potes
 arte defendas, nihil tamen aliud quam late-
 rem lauas. Ita enim aperte ille ſenſit. *Neque*
negamus (inquit) *paruulos eſſe baptizandos, nec*
aſſerimus eos accipere baptiſmum ſine fide, ſed dici-
mus eos ad baptiſmum credere per vim verbi, alio-
quin mera & intolerabilia eſſent mendacia, quan-
do baptizans querit à paruulo an credat, non bapti-
zaturus niſi vice eius reſpondeatur credo. Vt quid
interrogat an credat, ſi certum eſt eos non credere,
vt Cocleus contendit? Quin aſſerimus paruulos non
eſſe proſus baptizandos, ſi verum eſt eos in baptiſmo
non credere. Ex quibus, cùm eſſent vel ipſa lu-
 ce clariora, ſuam Anabaptiſtæ herèſim hau-
 ferunt. Nam cùm paruulos minimè credere,
 iure optimo ſibi perſuaſum haberent, ne in
 tam magna, ac grauiã, quæ Lutherus incom-
 moda enumerauit inciderèt, eos ad baptiſmi
 ſacramentum admittendos haud eſſe iudica-
 runt. Et vos etiam Caluiniani, quomodo hic
 poteſtis nõ valde dubij atque ancipites eſſe?
 Si non credunt, horrenda ſecum ac intolerabi-
 lia, Luthero teſte, eorum baptiſmus adfert
 mendacia. Credant verò an non credant, te
 etiam iudice, incertum eſt: Huc enim tuum
 illud (forſitan) ſpectabat. Quomodo ergo
 paruulos baptizatis, ſi Luthero creditis, quin
 vosmetipſos tot ſaltem mendaciorum peri-
 culo exponatis? vndique hic anguſtiæ pre-
 munt, quibus aliter nunquam vos expedie-
 tis, quàm ſi Anabaptiſtarum defendatis ſen-

In lib. cõtra
Cocleum.

tentiam: vt rectè Campianus dixerit opus esse Diribitore Balthazaro Pacimontano, qui vbi Lutheri cautelam agnouit, paruulos nisi credant, baptizandos non esse, cum illis fidem affingere non posset, baptizandos minimè esse audacter decreuit. Tu verò cum Anabaptistis nihil vobis negotij esse asseris. Nos (inquit) *Anabaptistas & tanquam hereticos argumentis reuincimus, & tanquam homines seditiosos, ac perniciosos e nostris rebus publicis expellimus.* Equidem non ignoro, quàm vos acriter Calviniani cum Anabaptistis configatis, sed quibus quæso armis, cum de paruulorum agitur baptismo, eos expugnatis? An non ad ecclesiæ traditionem vester ipse Apostolus Ioannes Calvinus confugit? Quod nõ fatis firma sibi ex scripturis ad reuincendos Anabaptistas argumenta occurrere videret. Nullus (inquit) *est scriptor tam vetustus qui non eius originem (de baptismo paruulorum locquitur) ad Apostolorum seculum pro ceritõ referat.* Nullum enim apertum ille scripturæ locum neque profert, neque proferre omnino potest, quo baptizandos esse paruulos ostèdat, præsertim cum illud Christi apud Ioannem: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, nihil ad baptismum spectare contendant, sibi que omninò persuadeat, nullo scripturæ testimonio probari posse baptismum paruulis esse necessarium. Hæc enim penè sola causa fuit, cur Augustinus olim, cæteri-

Cal. lib. 4.
c. 16. sect. 8.

Ioan. 3.

que patres, baptizandos esse infantes docuerint. Sed risum mihi whitakere excitas, cum Anabaptistas tanquam seditiosos homines ex rebus publicis vestris expulisse vos dicis. Vos scilicet Calviniani tranquillitatem ac pacem rerum publicarum, in quibus euangelium vestrum obtinuit, tanto studio sectamini? Non enim miraculis crescit vel creuit aliquando hoc vestrum euangelium, sed armis & *διὰ θαυμάτων ἀλλὰ διὰ ἔιφθς.* Quod sanè Lutherus qui primus inter nostri temporis Euangelistas fuit, maxime sibi gloriæ duxit, Tu (inquit) *quereris quod per euangelium nostrum mundus tumultuatur, Responderetur, Deo gratias, hoc volui fieri, & ò miserum me, si non fierent talia. Si enim in pace susciperetur, tunc non esset verum euangelium.* O pacificum hominè! O euangelicum! Christus suos Apostolos nudos esse, & inermes voluit, verus nimirum Salomon, qui non armis sibi ecclesiam, sed Pace erat ædificaturus, Lutherus Apostolos suos, qui quintum hoc euangelium orbi annuntiarent, nullo non armorum genere egregiè instructos misit, quibus tanquam *παροπλία* quadam contra omnia catholicorum argumenta sese possent tueri. Pudeat te igitur Anabaptistis id vitio vertere, in quo innumeris illos partibus tui superant. Sed hæc missa faciamus. Et cætera quæ adhuc super sunt noui huius euangelij paradoxa examinemus, quorum illud sanè ex mystica Luthe-

Lutherus in
c. 10. Matth.

Luth. sermo
de matrimo-
nio.

ri ac recondita Theologia depromptum est. *Si non vult vxor aut non possit, veniat ancilla.* Hoc tu cum non possis à Luthero scriptum negare, excusare te saltem posse existimas. *Non hoc consilij* (inquis) *marito Lutherus dedit, vt mox ancillam sumeret.* Lepidè fanè dedit ille quidem consilium vt sumeret, sed non mox. nonne ista te portenta defendere pudet whitakere? *Dixit verò Lutherus* (inquis) *quando vxor pertinax & obstinata induci nullo modo potest vt debitum benevolentia viro persoluat, eam repudiet, & in vicem vasti Hester surroget.* Vbi quæso legisti whitakere, iustam hanc, ac legitimam vxoris repudiandæ causam esse, vt omittam vxore etiam legitimè repudiata, aliam duci non posse. Luthero fortasse, tanquam quinto cuidam euangelistæ, licuit nouam hanc euangelicam legem orbi Christiano hæcenus inauditam obrudere. Quam tamen neque tu ipse probare audes. *Nam Lutheri* (inquis) *in hoc genere diuortij sententiam minimè defendo.* Quid ergo Luthero patrocinaris: cur non potius id illi bene poto inter pocula imprudentius excidisse, vt alia quam plurima, ingenuè fateris? Ita enim paucis rem totam confecisses. Sed quia in Caluini te verba, non Lutheri iurasse video, non te latet Gebennensis vestræ Synagogæ decretum esse, vt si annum vir integrum ab vxore abfuerit, illaque rem ad senatum derulerit, nisi ante quadragesimum ille diem redierit, alteri

illa viro nubere impunè possit. Quod vestrū Senatusconsultum, nulla vnquam scriptura, nullum concilium, nulli patres docuerunt. Non hic referam ceteras matrimonij dissoluedi causas, quas orbi christiano antea inauditas pro vestri euangelij libertate inexistis, ipsumque parentem vestrum Lutherum singulari audacia superastis. Ille enim sibi tantum tribuere non est ausus, vt causas diuortiorum omnes explicaret. *Ego fanè* (inquit) *contra omnes statuere nihil possum, quam nihil magis optem esse definitum, cum nihil magis me & multos mecum vexet hodie.* Sola auctoritate Papæ, aut Episcoporum, hic definiri nihil volo: sed si duo eruditi, & boni viri in nomine Christi consentirent, eorum ego iudicia, præferrem etiam concilio. Duo scilicet boni hi viri Caluinus & Beza fuerunt, quorum ego tibi de diuortii edicta plusquàm prætorica supra recensui, quæ cum tam absurda, tamque à Dei verbo, perpetuæque ecclesiæ consuetudine aliena sint, quid tu nobis in hunc modum insultas? *Apud vos* (inquis) *causæ diuortiorum sunt infinitæ. vt in tanta diuortiorum licentia mirum sit vllum coniugium valuisse.* Ignoras videlicet solam apud nos diuortij causam esse alterius coniugum adulterium, quam ex Christi ore didicimus. *Quicumque* (inquit) *dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæcharur, & qui dimissam duxerit, mæcharur. Eiusdem*

In li. de ca-
pti. babi.

Mat. 19.

Clem. epist.
5.Lib. 11. cō-
tra faul.
cap. 2.

generis est, *Quod his Lutheri dogmatibus absur-*
diora à Clemente Romano pontifice scripta ais. Cō-
munis vsus omniū que sunt in hoc mūdo om-
nibus esse hominibus debuit, sed per iniqui-
tatem alius hoc suum esse dixit, alius aliud:
, & sic inter mortales facta est diuisio. Deni-
, que Græcorum quidam sapientissimus, hæc
, ita sciens esse, ait communia debere esse ami-
, corum omnia, in omnibus autem sunt sine
dubio & coniuges. Est hoc whitakere, in
more positum apud vos, vt quoties ex Cle-
mētis epistolis vestram aliquam refellimus
hæresim, supposititia esse omnia clametis. Si
quid verò occurrat quod vel per summam
calumniam aduersum nos possit detorque-
ri, mox genuinum Clementis librum agnos-
citis: idemque tibi in probandis, vel reiciē-
dis veterum scriptorū libris vsu venit, quod
de Manichæis olim Augustinus scripsit. *Inde*
probo hoc illius esse, illud non esse, quia hoc pro me
sonat, illud contra me. Nam quod de commu-
nibus hoc quem citas loco coniugibus dici-
tur, si vel vetera consuluisses exemplaria, vel
totius epistolæ seriem perpendisses, nō fuisset
profectò difficile corruptum esse hunc Cle-
mentis locum iudicare. In verustissimis enim
Vaticanæ, & Florentinæ bibliothecæ libris
nulla horum verborum, ne leuissima quidem
vestigia inueniuntur: vt multi oculati testes
affirmare possunt, & tu ipse cum voles, pote-
ris inspicere. Hanc verò qua nos hic vtimur
certissi-

certissimam regulam, si quando de fide exē-
plarum quæstio veritur, Augustinus docet,
vt recentioribus codicibus verustiores sem-
per præferantur. Huic verò errori occasio-
nem dedit illorum perfidia, qui eiusdē Cle-
mentis recognitionum libros iam olim cor-
ruperunt; in quorum decimo hæc ab illis
verba impudenter inserta sunt: atque inde in
epistolam, cuius pars altera ex libro sumpta
est, à sciolo aliquo, vel deprauatore, vt libris
epistola responderet, translata, vt omittam
illud de vxorum communitate, ad rem de
qua agitur in epistola, ne pertinere quidem,
immo sensum epistolæ perturbare, vt qui su-
blatis his verbis longè planior efficiatur. Ne-
que Nicolaitam fuisse Clementem, quis-
quam hætenus vel leuissimè est suspicatus:
qualem tamen fuisse eum oportuit, si ex sua
hoc sententiā dixisset. Sed scripserit hæc Cle-
mens, quæ tu ab eo scripta esse vis. Quis non
videt Platonis illum testimonio ad commu-
nis vitæ præstantiam declarandam vti, non
vt ea prober omnia quæ ille de communi vi-
ta asseruit, sed vt communem vitam ne phi-
losophorum quidē iudicio à natura abhor-
rere ostendat. Neque enim ignorauit Cle-
mens, quod postea à Tertulliano eleganter
est scriptum, omnia indiscreta sunt apud
nos præter vxores. Aliud est Lutheri para-
doxum. *Res vxoria tam est cuique ne-*
cessaria, quam esca, potus, somnus. Quid
gali.

Tertull. in
apolog.Lu. in li. de
vita coniu-
gali.

Tertull. lib.
de Mono-
gamia.

Hier. lib. 1.
cōtra Ioni.

tu ? *Inbet* (inquis) *Apostolus vt vnusquisque vxorem suam habeat. Quod sanè neque paradoxum defendere est, neque negare: & tibi iam olim Tertullianus respondit. Ostendit, inquit, fuisse qui in matrimonio à fide deprehensi verebantur, ne non liceret iis matrimonio suo exinde vti, quia in carnem sanctâ Christi credidissent, ob quos dixit Paulus, Vnusquisque vxorem suam habeat. Ac iisdem ferè verbis Hieronymus Corinthij per literas quæsiuerunt vtrum post fidem Christi cœlibes esse deberent, & continentia causa vxores quas habebant dimittere. Vnusquisque, inquit Paulus, vxorem suam habeat, nō dixit, ducat vxorem, ne libidini fræna laxaret, sed habeat, & sua vtatur, quam habebat antequam crederet. Qui sanè tum Christiani, si tecum ac cum Luthero tuo sensissent, tam necessariam esse rem vxoriam, quàm cibum, vel somnum, non adeo mentis inopes fuissent, vt Paulum apostolū, num à re vxoria esset temperandum, potius consuluissent, quàm num deinceps à cibo & somno abstinendum. Nouum itaque hoc vestrum euangelium primi illi Christiani nondum didicerant, quia euangelium secundum Martinum Lutherum minimè legerant. Quanquā quid ego de Christianis loquor, Philosophi ipsi gentiles risu potius ac sibilu Epicureum hoc dogma excipiendum, quàm rationibus confutandum iudicarent: quod sanè vna*

omnium mortalium vox, vnus gentium atque populorum consensus, satis iam olim superque damnauit. Sed vos non iisdem fortasse legibus, quibus mortalium ceteri, nati estis, ardentiores nimirum ad libidinem facces quintum hoc vobis euangelium iniecit. Illud verò mihi velim respondeas, vt Augustini, aduersum te argumento vtar. Si cuius vxor longo fortè difficilique morbo laborer, num illi tu tam diu à cibo potuque temperandum putes, donec ex morbo conualescat, an aliam fortè vxorem ducendam: ac mercatores, si quando in peregrinas proficiscantur regiones, vel ieiuni & insomnes post multos, non dico menses, sed & annos interdum domum redibunt, vel noua in locis singulis, vbi cibo somnoque indigebunt, vxor erit ducenda? Ad cetera pergamus. *Matrimonium virginitate multò præstantius est*; inquit Lutherus, *Eam Christus, eam Paulus hominibus Christianis dissuaserunt.* An non hoc Paradoxo assert. ar. 16. Iouinianum, què merito Hieronymus Epicurum Christianorum dixit, longissimè superastis? Ille enim Augustino teste matrimonium virginitati æquabat tantum, eoque nomine tanquam hæreticus à Romana ecclesia, vt refert Hieronymus, damnatus est, vos etiam anteponitis. *Virginitati* (inquis) *coniugium ἀπὸ λώε, sæpe numero præstat.* Hoc cene pro tua autoritate, vt pleraque alia, concedi vis? An argumento aliquo ex diuinis

Hier. epist.
ad Ripariū.

literis, aut antiqui scriptoris testimonio, probandum fumis? Sed nihil, vt video occurrit: nulli enim ante Martinum Lutherum id vnquam in mentem venit. Neque enim Basilides, quem luxuriæ magistrum & turpissimorum complexuum Hieronymus appellauit. Neque Iouinianus, in quem ille, tanquam in Euphorbum, transformatus est, eo vnquam amentia deuenit. Quis enim nõ videt suaprè id natura excellentius esse, quod ex se magis arduum est ac difficile: & ad quod nemo, sine labore maximo, ac sudore peruenire potest? Quid verò virginitate difficilius? Quid sublimius? qua supra mortalem quodammodo naturam quis euehitur, vt angelis etiam Dei in hac vita similis reddatur? In illa die, inquit Christus, neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei. Stulti profectò ac amentes fuerunt, quotquot Deo hactenus suam virginitatem consecrarunt, si coniugium ea præstantius, deoque gratius credidissent. At Christus non omnes sane virgines fatuas, sed quasdam fuisse prudentes testatur, vos esse vultis fatuas omnes, vt verissimum esse experiar quod iam olim ab Hieronymo scriptum est, difficile esse hæreticum inuenire qui diligit castitatem. Atque vt hæc omitam, non mecum hoc loco, sed cum Paulo tibi negotium est. Qui matrimonio, inquit, iungit virginem suam, benefacit, &

Hier. lib. 2. contra Iouin.

Matth. 22.

Matth. 22.

Matth. 25.

Hier. in ca. 9. Osee.

qui non iungit melius facit. Quid his verbis Prioris ad apertius, quid planius? Nisi quod nihil esse Cor. 7. tam apertum potest, vt à vestris calumniis tutum esse possit. *Iis, inquis, qui possunt castitatem virginalem perpetuò conseruare, virginitas expetenda est, non omnino, sed propter molestias, quæ matrimonium plerunque consequuntur.* Quid aliud olim Hieronymo, ac priscis ecclesiæ patribus à Iouiniano responsum fuit? Quod te vel solus docere tuus quantus quãtus est Aug. de sancta virg. Augustinus potuisset. Nos (inquit ille) secundum scripturarum sanctarum fidem, san- cap. 21. namque doctrinam, nec peccatum dicimus esse nuptias, & earum tamen bonum non August. de solum infra virginalem, verum etiam vidua- sanct. virg. lem continentiam constituimus, præsentem- cap. 21. que necessitatem coniugatorum: non quidem solum ad vitam æternam, verum etiam, ad excellentem gloriam, ac honorem qui per- per- petuæ continentia referuatur, impedire eorum- merita dicimus. Et rursus. Nunc iam De sanct. scripturarum diuinarum euidentissimis testi- vir. cap. 22. moniis clarius appareat, non propter præsentem huius sæculi vitam, sed propter futuram, quæ in regno calorum promittitur, perpetuam continentiam diligendam. Hæc tuus quantus quantus est Augustinus de virginitatis præstantia non affirmat tantum, vt tu soles, sed variis etiam diuinarum literarum testimoniis toto illo de sancta virgini-

tate libro confirmat : vt quòd virgo à Paulo sancta dicatur corpore & spiritu, non quidem propter huius seculi vitam, quid enim ineptius? sed propter vitam æternam, quòd Christus Eunuchos quosdam esse dicat, qui se castrauerunt propter regnum cælorum.

» Quid (inquit) veracius, quid lucidius dici potest? Christus dicit, veritas dicit, virtus & sapientia Dei dicit, eos qui proposito se ab vxore ducenda continuerunt, castrare se ipsos propter regnum cælorum, & contra, humana vanitas impia temeritate contendit eos qui hoc faciunt præsentem tantummodo necessitatem molestiarum coniugalium deuitare, in regno cælorum quicquam plus cæteris non habere. Et rursus. De quibus autem spadonibus loquitur Deus per Isaiam prophetam, quibus se dicit daturum in domo sua, & in muro suo, locum nominatum, meliorem multò quàm filiorum atque filiarum, nisi de iis qui seipso castrant propter regnum cælorum? non illis quidem quibus ipsum virile membrum debilitatur vt generare non possint, neque enim vxores animi virtute, sed carnis necessitate non ducunt, neque tanta dementia quiscquam est contrarius veritati, vt in carne factos eunuchos, meliorem quàm coniugatos locum in domo Dei habere credat, & pio proposito continentes, corpus vsque

Cap. 24. lib.
de sanct.
virgin.

ad contemptas nuptias castigantes, castigantes seipso, non in corpore, sed in ipsa concupiscentiæ radice castrantes, cælestem, & angelicam vitam in terrena mortalitate meditantes, coniugarorum meritis pares esse contendat. Cætera iam tua argumenta expendamus. *Apud vos (inquis) virginitas ornata est, matrimonium abiectum.* Sequeris & hic Iouiniani vestigia, qui, vt Hieronymus testis est, catholicos Manichæos appellabat, quod virginitatem coniugio præferrent. Quomodo vero matrimonium, quod adeo sanctum esse volumus, vt etiam sacramentum sit, abiectum esse nobis potest? Atque vt ad conuitia tibi nihil respondeam: illud præterire non possum, quod tam perfrieta fronte Paulum virginitatem dissuasisse asseris, cum ille & eximias nobis virginitatis laudes, & quàm graues sæpe molestias coniugium adferre soleat disertis verbis non alio fine expresserit, quàm vt virginitatem quibus posset modis nobis persuaderet. Volo autem (inquit) omnes homines esse sicut me ipsum: ipse verò vel virgo fuit, vel certè cælibè egit vitam. Dico autem non nuptis, & viduis, bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego. Ineptum vero est, eum idcirco virginitatem dissuasisse, quod iis qui continere nollent, coniugium indulserit, quo tu solo

Hic. 1. c. 6. tra
Iouin.

1. Cor. 7.

argumento vteris, non aliter profectò quàm si tibi quispiam virginitatem aliquando persuadere voluisset, sed cum se nihil proficere animaduerteter, quod fræna libidini laxare decreuisses, coniugium tibi potius ineundum diceret, quàm vt impura te libidine contaminares. An is tibi ἀπλῶς vt tuo verbo vtat, vel coniugium præcipere, vel virginitatem dissuadere iudicaret? Qua ergo tu fronte, vel Paulum, vel quòd magis blasphemum est, Christum ipsum virginitatem dissuasisse audes asserere? quàm rectè quondam Aristoteles, qualis quisque est, talis ei finis videtur. vobis enim quibus libido pro beatitudine est, omnia quantumuis sancta, quantumuis honesta, intemperantiam spirare ac libidinem perpetuò videntur, vtque virginitatem ex animo & cœlibatuum odistis, ita nihil vnquam, vestro iudicio, quod ad virginitatis laudem spectat, in sacris literis occurrit: Neque aliud vobis superesse video, quàm vt ad Manichæorum castra conuoleris: de quibus olim Augustinus, Soletis, ait, vos cum catholicarum virginum multitudo vobis producit, dicere, etiam mula virgo est. Causam si vultis, nō ex me, sed ex Euāgelista vestro Luthero discite, quia totos vos gulæ, crapulæ & otio, tanquam Epicuri porcos consecratis, *Hoc Casti-*

August. de
moribus
Manicheo-
rum cap 13.

tatis (inquit) opus, vt victoriam obtineat, & in vigore permaneat, agit nos ad multa opera bona, ad ieiunia, & temperantiam, contra gulam, & ebrietatem, ad vigilias & matutinam surrectionem, contra pigritiam, & immoderatum somnum, ad laborem & fatigationem, contra otium. Nam comedere potare, multum dormire, desiderare, & otari, sunt arma impudicitiae, quibus castitas statim superatur. Rursus. *Diuus Apostolus ieiunium, vigilias, labores, diuinam nominat armaturam quæ impudicitiam in ordinem redigitur, & domatur.* Hanc sanè armaturam bonis ipse auspiciis, in gratiam katherinæ Borræ primus abiecit, vt tanquam euangelij sui præco vobis ad omnem luxum, atque impudicitiam classicum caneret, & nō verbo modo, sed & exemplo etiam vos doceret, Iouiniano sanè in hac parte superior, qui vt Augustinus testis est, & si virginitatem sanctimonialium, & continentiam sexus virilis in sanctis eligentibus coelibem vitam, coniugiorum castorum atque fidelium meritis edæquabat: ita vt quædam virgines sacre in vrbe Roma, in qua hæc dicebat, eo audito nupsisse dicantur: non tamen ipse vel habebat, vel habere volebat vxorem, quod non propter aliquod apud Deum meritum in regno vitæ perpetuo profuturum, sed propter præsentem prodesset necessitatem ne homo coniucales patiarur molestias, disputabat. At lutherus nullas non molestias

In explica-
tione præ-
cepti. 6.

In hæresi-
bus ad quod
vult Deum
heresi viti-
ma.

Hier. con-
erz vigilant.de sancta
vag. ca. 27.

experiri maluit quàm katherina sua Borrha
 carere, cuius vos impudicitiam gnauius, vt
 discipulos decet, sequimini: nulli cœlibi, vt
 hieronymus scripsit, pudicitia credentes: Sed
 nunquam tamen (quicquid agatis) suam
 virginitati palmam eripietis. Pergite itaque
 sancti Dei pueri ac puellæ (vt inquit Diuus
 Augustinus) mares & fœminæ, cœlibes & in-
 nuptæ, pergite perseueranter in finem, lauda-
 te dominum dulcius, quem cogitatis vbe-
 rius, sperate fœlicius, cui seruitis instantius,
 amate ardentius, cui placetis attentius, lum-
 bis succinctis, & lucernis ardentibus, expecta-
 te dominum quando veniet à nuptiis: vos
 afferetis ad nuptias agni canticum nouum,
 quod cantabitis in cytharis vestris (hoc est
 in cordibus dicatis laudibus) non vtique ta-
 le, quale cantat vniuersa terra, cui dicitur,
 Cantate domino canticum nouum, cantate
 domino vniuersa terra: sed tale quale nemo
 poterit dicere, nisi vos. Sic enim vos vidit, in
 Apocalypsi quidam præ ceteris dilectus agno,
 qui discubere super pectus eius solitus erat,
 & bibebat & eructabat mirabilia, super cœ-
 lestia dei verba. Ipse vos vidit duodecies duo-
 dena millia sanctorum Cytharædorum, illi-
 batæ virginitatis in corpore, inuiolatæ veri-
 tatis in corde, & quia sequimini agnum quo-
 cunque ierit, scripsit ille de vobis. Quo ire
 putamus hunc agnum, quo nemo eum sequi

vel audeat, vel valeat, nisi vos? Quo puta-
 mus eum ire, in quos saluus & pratus? Vbi
 (credo) sunt gramina, gaudia, non gaudia
 huius seculi vana, insania mendacis, nec gau-
 dia qualia in ipso regno dei ceteris non vir-
 ginibus erunt, sed à ceterorum omnium gau-
 diorum forte distincta, gaudium virginum
 Christi, de Christo, in Christo, cum Chri-
 sto, post Christum, per Christum, propter
 Christum, gaudia propria virginum Christi.
 Non sunt eadem non virginum, quamuis
 Christi, nam sunt alia aliis, sed nullis talia.
 Ite in hæc, & sequimini agnum, quia & agni
 caro vtrique virgo. Sed ecce ille agnus gradi-
 tur itinere virginali, quomodo post eum
 ibunt qui id amiserunt, quod nullo modo
 recipiunt? Vos ergo, vos ire post eum, virgi-
 nes eius, vos illuc ite post eum, quia propter
 hoc bonum vnum, quocunque ierit sequi-
 mini eum, ad quodlibet enim aliud sanctita-
 tis donum, quo eum sequantur hortari pos-
 sumus coniugatos, præter hoc, quod irre-
 parabiliter amiserunt. Vos igitur sequimini
 eum, tenendo perseueranter quod vouistis,
 ardentem facite cum potestis, ne virginitatis
 bonum à vobis pereat, cui facere nihil pote-
 stis vt redeat. Videbit vos cætera multitudo
 fidelium, quæ agnum ad hoc sequi non po-
 test, videbit, nec inuidebit, & collatado vo-
 bis, quod in se nō habet, habebit in vobis. Nā
 & illud canticum nouum, proprium vestrum

Cap. 28.

dicere non poterit, audire autem poterit, & delectari vestro tam excellenti bono. Sed vos qui & dicetis, & audietis, quia & hoc quod dixeris, à vobis, audietis, foelicius exultabitis iucundiusque regnabitis, de maiore tamen vestro gaudio nullus mœror erit, quibus hoc deerit. Agnus quippe ille, quem vos quocunque irerit sequimini, nec eos deseret, qui eum, quo vos, non valent sequi. Omnipotentem agnum loquimur. Et paulo post. Presumite itaque fide, roboramini, permanete, qui voueris ac redditis domino Deo vestro vota perpetuæ continentia, nō propter præsens seculū, sed propter regnum cælorum. Id quod reliquum est sentina huius vestrae ex-
 Luth. ser. de hauriamus, *Quanto sceleratior est tanto vicinior*
 piscat. petri. *gratie es. Quid hoc paradoxo* *Deo de ore*
pop? quod tamē eadē, vt video, probabilitate
 qua cætera te defensurum putas. An non igitur tibi diabolus ipse vel maximē vicinus gratia videtur, nisi eò forte Lutherus sceleratior? Et quid hoc quæso aliud est, quàm vt si dicas, quo quisque à Britannia recedit longius, eo Britannia vicinior est? Neque enim est aliud sceleratū esse quā à gratia recedere. Hæc certè vel Academicis ipsis *ναειδ οεα* videbuntur, nisi tu nouum aliquod, more tuo, emplastrum adhibeas. *Nihil* (inquis) *aliud voluit Lutherus, quàm quo quisque improbius in vita amicta extitit, si verè scelerum pœnitent, sere vt cum vberior gratia complectatur?* Vbi quæ-

so didicisti sceleratum vocari hominem qui scelerū suorū pœnitentiaducitur? vt Lutherus is sceleratoir cœfendus sit, qui post improbiorem vitam, ad pœnitentiæ remedia accedit. Vt vobis, qui dicitis bonū malum, & malum bonum. Tu cum vt Lutherum defendas penitentem sceleratum dicitis, quomodo hæc imprecationem euades? Aliud sequitur Lutheri Paradoxum. *Omnes actiones bonæ sunt peccata: Deo iudice mortifera, Deo propitio, leuiuscula.* Tu verò Dixit, inquis, hoc Lutherus, & verè dixit. Non verè ergo dixit Paulus, solus es ab vxore, noli quætere vxorem, si autem acceperis vxorem, non peccasti. Non verè dixit Petrus, quapropter, fratres, magis fatagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis, hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Non verè Ioannes, in hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli, si nullam opus sit quod peccatum non sit. Neque rectè, Paulus opera bona cum argento, auro & lapidibus pretiosis comparauit: ad extremum, non rectè nos prophete, non Apostoli ad bona opera hortari fuissent, si peccata esse omnia credidissent. Dicite verò Calviniani, si actiones quantumuis bonæ peccata sunt, an non dum fide vos iustificari creditis, ipsi peccatis? nam & fides illa vestra opus est, cum Christus dicat, hoc est opus Dei vt credatis, in eum quē misit ille. Quis vero non miretur tantam vos

Luth. affer.
32. arct.

1. cor. 7

2. Petri. 2.

cum peccatis amicitiam iniisse, vt cum cæteris obesse omnibus soleant, vobis adeo prosint vt peccatorum remissionem, iustitiam, regnum denique celorum, non nisi peccatis adipisci possitis. *Sed in omni actione (inquis) quantumvis excelleme aliquid inest quod ipsam actionem penitus corrumpat, deoque odiosam reddat.* Quod si ita est whitakere, nulla iam actio, vel excellens, vel bona esse vnquam potest. Quomodo enim quod deo odiosum, quod supplicio dignum æterno, bonum vel excellens iudicari vnquã poterit? Quid quod natura ipsa nõ fert bonam esse actionem aliquã, in qua inest vitij aliquid, quod ipsam penitus corrumpat, vt neque integrum esse hominem dicimus, si membro aliquo orbatus sit. Pulchre enim Dionysius, bonum esse ex integra causa, malum verò ex vno quouis defectu. Si quid ergo vobis credimus, facessat deinceps ex rebus humanis boni omnis malique discrimen: & quoties bonorũ operum vlla in diuinis literis mentio reperitur, nihil aliud quã peccata intelligamus. Neque prophetæ deinceps, neque Apostoli, neque Christus ipse, illud effugiet, Væ qui dicitis bonũ malum, & malum bonum. Confirmas tamen paradoxum hoc. *Nam postquam Deus nos totos in Christo complexus est, quæ sunt in nobis inchoata maculisque nonnullis conspersa, ei tamen placent, vt integra ac pura, quia personas ipsas intuetur, nõ operum dignitatem meritumque explorat.*

quid hic monstri audio? peccata iã etiam placere Deo possunt, quia vos qui peccatis, Caluiniani estis? Si ita se res habet whitakere, in omnem vos intemperantiam, omnem ingluuiem pecudum instar, proiicite, neque vlla deinceps peccata, quantumvis execranda pertimescite. Preclare enim vobiscum agitur quorum etiam peccata deo placent, cui aliorum ne bona quidem opera placere posse docetis. Quid ergo interest, aliorum ne bona diripiatis, an vestra largiamini? sobriè, piè, ac iustè viuatis in hoc seculo, an ventri & iis quæ sub ventre sunt Epicureo more seruiatis, omnique vos scelerum genere flagitiosè polluaris? Nam tamen si peccata hæc sunt, tamen quia vestras Deus personas intuetur, quarum illa dignitati nihil obsunt (si enim obessent, quolibet sane peccato de vestra dignitate actũ esset) quæ in vobis peccata sunt, Deo perinde placent, vt tuis verbis vtar, ac si integra ac pura essent, ac illi qui summè bonus est, malum ita vestrum placebit, vt æterna etiam mercede illud remuneretur. Verum hoc te fallit whitakere, quod minimè intelligas à personæ dignitate suam omnes actiones nostras dignitatem atque præstantiam accipere, qua mercede apud Deum aliqua, præmioque digna censeantur: quam nobis dignitatem noui gratia testamenti præstat, ^{1. IOAN. 3.} qua in filios Dei ac hæredes adoptamur. Est enim hæc gratia semen dei, quod mentibus ille no-

stris indidit, quod non peccatorum sordes, ac spinas (quid enim Deo indignius) sed fructus in nobis vitæ æternæ producit: est fons aque, non ad imum inferni gurgitem decurrentis, sed salientis in vitam æternam, ex quo quæ manant opera æternæ vitæ præmio digna redduntur. Ambulabunt (inquit scriptura) mecum in albis, quia digni sunt. Et paulus paratam sibi coronam iustitiæ non dubitavit, quam non misericors solum pater, sed & iustus iudex redderet, palamque Deum pronunciat iniustum non esse, vt obliuiscatur operis nostri, cum vos Calviniani, nihil operibus vestris ex æterna Dei iustitia præter sempiternum deberi supplicium doceatis, quod equidem non grauare concessero: longè enim alia Pauli, quam vestra sunt opera, cum vitam ille suis æternam deberi Dei spiritu afflatus pronunciarit, vos Caluini euthusiasimo perciti, vestris operibus non nisi æterna deberi supplicia credatis. Aliud est Paradoxum vestrum. *Nemo malum suapte voluntate, cogitat.* Tu pro Luthero respondes. *Nulli (inquis) Deus cogitationem malam iniicit, nullius voluntatem ad vitium impellit.* Satis whitakere iam antea vestrum de causa peccati paradoxum confutavi, vt quicquam repetere nihil sit necesse. Alterum enim ex duobus fateri oportet, vel, quod catholici docemus, Deum non velle, sed permittere tantum peccata, vel certè si peccata vult, homines ad malè agendum


Apocal. 3.

Luth. de ser.
uo arbitrio.

agendum impellere quod Calvinus tuus dicitur Luther. ser. de Moyse: fertis sane verbis profiteretur. Quid illud? *Decalogus nihil ad Christianos.* paradoxum profectò Lutheri ingenio dignum, quod tu ita defendis, vt quid demum tibi velis nemo hominum intelligat. *Quia (inquis) maledictus qui non permanet in omnibus que scripta sunt in libro legis, vt faciat ea: Christus conditionem nobis aliam multo faciliorem proponit: Crede & saluus eris, hoc nouo fœdere vetus abrogatur, vt quisquis Evangelio crediderit, legis conditione soluetur.* Quare decalogus ad Christianos, si tibi credimus, minimè pertinebit. Quomodo ergo Christus quærenti quid faciendo vitam æternam possideret, respondit, Serua mandata, Quod si nihil ad Christianos decalogus, neque fures sanè, neque adulteri omnino peccabunt. *Qua enim quis lege minimè tenetur, quidquid contra eam faciat, peccatum certè nullum admittit.* Atque si in antiquo illo fœdere, quod tu abrogatum dicis, decalogus quoque totus continetur, non magis qui decalogum non seruat delinquet, quam qui ex Mosaicæ legis præscripto minime Deo sacrificat: imo, vt amplius quid dicam, ne sine peccato quidem, eoque grauissimo, seruari iam decalogus posset, vt neque antiquæ legis ceremoniæ repeti. *Sed decalogus (inquis) conditio dura est, & cui nunquam possit ab homine quoquam satisfieri, maledictus vero est qui non permanet in omnibus que scripta sunt*

Luce. 18.

PP



Matth. 11.

1. Ioan. 2.

Hier. ad da-
masum.De natura
& gratia.
cap. 43.De gratia &
lib. arb. cap.
16.

Deutro. 27.

ad Gal. 3.

in libro legis, vt faciat ea. Alia ergo est, vt vi-
deo, Christi ac Apostolorum doctrina, alia
verò Caluini. Christus iugum suum leuare
esse, ac onus leue, Caluinus grauius quàm vt
ab homine quoquam ferri possit. Et Ioan-
nes: qui dicit se nosse Deum, & mandata eius
non custodit, mendax est, & in hoc veritas
non est: vos Calviniani & Deum nosse, &
mandata eius minimè seruare profitemini,
neque tamen mendaces haberi vultis. Quid
plura? Idem sanè Apostolus spiritu sancto
afflatus, Dei mandata grauiora non esse pronun-
ciauit, quæ vos etiam impossibilia dicere au-
deris. Quanto rectius Hieronymus, & quan-
to Christi, ac Apostolorum doctrinæ con-
gruentius. Execramur blasphemiam eorum,
qui dicunt impossibile aliquid homini esse à
Deo præceptum. Et Augustinus, Non igitur
Deus impossibilia iubet, sed iubendo admo-
net, & facere quod possis, & petere quod
non possis. Et alio loco, Magnum aliquid re-
lagiani se scire putant, quando dicunt, non
iuberet Deus, quod sciret non posse ab ho-
mine fieri: quis hoc nesciat? Sed ideo iubet
aliqua quæ non possumus, vt nouerimus quid
ab illo petere debeamus: ipsa enim est fides
quæ orando impetrat, quod lex imperat. *Et*
maledictum pronunciat Moyses eum, qui non per-
manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis,
vt faciat ea. Ex quo loco Paulus, *Quicumque ex ope-*
ribus legis sunt sub maledicto sunt: sub hoc ergo ma-

ledicto perpetuo erimus, si ad nos decalogus pertinet.
Sed neque Moysen tu, neque profectò Pau-
lum intelligis. Non enim Moyses (vt Calui-
nus tuus turpiter hallucinatur) execrationem
illam ad minima quæque legis præcepta re-
tulit, sed ad ea tantum, quæ ipse illo loco
enumerarat: quæ non leuia certè peccata, sed
grauissima erant flagitia. Cum enim pleraque
nefanda crimina, maledictionem intermina-
tus prohibuisset: vt maledictus qui dormit cū
omni iumento, cum sorore sua, cum socru
sua, & alia id genus: tandem maledictus (in-
quit) qui non permanet in sermonibus legis
huius, nec eos opere perficit. Hac verò hu-
iusmodi esse quis negat, ob quæ merito quis
diuinam maledictionem incurrat? & si non
pari omnes conditione, sed pro sui quisque
criminis grauitate, vt eruditè Hieronymus
obseruauit. *Sed quomodo, inquis, Paulus ait qui-*
cunque sub operibus legis sunt, sub maledicto sunt, si
nos legem explendo hanc maledictionem possumus eui-
tare? Dicam vno verbo, quia non ex lege, sed
ex gratia Christi legem implemus. Cum enim
lex neque gratiã, neque charitatem conferat,
sine qua seruari non potest: quicumque ex le-
ge iustificari volunt, legis maledictionem in-
currant necesse est. Quæ res in causa fuit, cur
Iudeos Paulus, qui naturæ viribus confisi, si-
ne fide & gratia Christi seruare se legem pos-
se credebant, sub maledicto esse pronuncia-
rit. Verùm quia quod præstare lex non po-

Lib. 3. cap.
17. sect. 9.

Gal. 3.

Rom. 8.

tuit, Christi gratia præstat, nos per gratiam à maledictione legis liberamur: per hanc enim vires accipimus, quibus legem impleamus, quas ab ipsa lege accipere minimè potuimus. Atque hoc sibi Paulum voluisse disertissima ipsius verba testantur. Lex (inquit) spiritus vitæ Christi Iesu liberavit me à lege peccati & mortis. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, deus filium suum mittens, in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne: vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Vos verò Caluiniani adeo estis Christi gratiæ ingrati, nihil vt illi amplius, quàm legi tribuatis, & quod legi impossibile fuit, neque per gratiam fieri posse, Paulo reclamante, dicatis. Sed nouam adhuc Theologiam audiamus. *Liberamur* (inquis) *execratione legis, sed non obedientia.* Hæc eadem qua cætera tua, lege coherent. Nam si legis obedientia Christiani teneantur, cui, te iudice, obedire non possunt, quomodo obsecro legis execratione liberantur, cum qui legem non seruent, legis maledictionem incurrant? Nam & Christus ipse in eos qui legi non obedierunt, maledictionis sententiam in illa die pronuntiabit. *Ite maledicti in ignem æternū, Esuriui enim & non dedistis mihi manducare, sitiui & non dedistis mihi potum, & cat.* Liberamur qui-

Matth. 25.

dem à legis execratione, Nam Christus (vt Paulus ait) de maledicto nos redemit, quia sua nobis morte gratiam, qua legem seruemus promeruit. Vos vero homines exleges, neque legem seruare, neque legis execrationi obnoxij esse vultis. Et tamen, quod omnium maximè mirum est, à legis obedientia vos minimè liberos esse clamatis. Quam vero tibi ipsi hoc loco præclare consentias, equidem non intelligo. *Christus conditionem* (inquis) *nobis aliam multo faciliorem proponit, Crede & saluus eris: hoc nouo scdere vetus abrogatur, vt quisquis euangelio crediderit, legis conditione soluat.* Vbi legis nomine nihil tu aliud quam decalogi intelligere præcepta potes. Non enim hic de ceremoniis, neque de veteris legis iudiciis agitur. Christus ergo nos decalogi obediētia, vt paulo antea asseruisti, nō soluit, & tamen hoc nouo fœdere, crede & saluus eris, decalogus abrogatur. Si abrogatur whitakere, quomodo non eius obedientia liberamur? Hoc sanè est quod de vobis

Lib. 2. cap. 7

olim Iræneus scripsit, hæreticos dum scripturas aptant suis opinionibus, vt in prouerbio est, ex arena resticulas necere. Sed iam nouū hoc tuum fœdus quale sit videamus, Crede & saluus eris. Si nihil à vobis aliud, quam vt credatis, Deus exigit, & vos ipsi certissime credere perpetuo affirmatis, legem profecto impletis, in cuius obseruatione cum vera Christiani hominis iustitia consistat,

non iam imputatiua, vt olim, sed vera atque inhaerenti iustitia iusti eritis, quod tantopere auerfari soletis. Sed mihi crede whitakere, vestrum hoc, non Christi fœdus est, nouum profectò, & Christianis auribus insolens, cuius in diuinis literis ne vestigium quidem vllum apparet. Quem enim nobis euangelistæ locum profers, ad tuum fœdus nihil pertinet: Non enim Christus apud Marcum ait, Crede & saluus eris, sed qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. At qui baptizantur totius illi quidem decalogi obseruandi bonam à deo voluntatem acceperunt, quem & in posterum per Christi gratiam obseruare constituunt. Multo igitur quàm tu rectius Augustinus? Quis enim dicat non debere obseruare Christianos, vt vni Deo religionis obsequio seruiatur, vt idolum non colatur, vt nomen domini non accipiat in vanum, vt parentes honorentur, ne adulteria, homicidia, furta, falsa testimonia perpetrentur, ne vxor, ne omnino res vlla concupiscatur aliena, quis est tam impius qui dicat se ista legis non custodire præcepta, quia est ipse Christianus, nec sub lege, sed sub gratia constitutus. Illud iam sequitur, *Opera nostra Deus nequaquam curat.* Hoc vobis inter cætera euangelicorum *παράδοξα* Cæpianus obiecit. Quid tu? *Opera* (inquis) *nostra curat quidè Deus, & que si recta sunt, præmiis ornatur, si contraria, penis digna iudicatur.* Hoc cæne est

Mar. 14.

Au. lib. 3. ad
Bon. cap. 4.Luth. lib. de
cap. vii. ba-
l. i. cap.
de eueh.

Lutherū defendere? Ille deū opera nostra nō curare dixit, tu præmiis etiā ornare: sed prudenter sanè addisti, si recta sunt: Nam si quæ tibi fides habenda est, recta non sunt, nisi simul recta prauaque esse possint. Recordare enim quid paulo antea dixeris. *In omni hominis actione, quantumuis eccellente, inest aliquid vitii, quod ipsam actionem penitus corrumpat, deoque odiosam reddat.* Si actiones hominum omnes, quantumuis excellentes, corruptæ, deoque odiosæ sunt, rectæ esse quomodo possunt? quid ergo superest nisi vt (te iudice) deus non aliter opera vestra curet, quàm vt æternis ea suppliciis digna iudicet? *Verum in nobis* (inquis) *iustificandis nullam omnino dominus operum nostrorum rationem habet.* Quid mirum, si omnia penitus sunt corrupta, deoque odio-
Iacob. 2.
sa? In iis tamen qui verè iustificantur, magnā sanè operum rationem habet. Abraham enim ex operibus iustificatus fuit, & (vt Ioannes 1. Ioan. 3. ait.) qui facit iustitiam iustus est, sicut & ille iustus est. Quemadmodum enim peccatum iniquitatem Ioannes appellat: omnis (in- 1. Ioan. 3. quit) qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum iniquitas est: ita & bona opera iustitiam: Si ergo ab iniquitate homo iniquus, siue peccator dicatur, an non, si Ioanni credimus, à iustitia quam facit iustus dicitur? Et quid clarius quam quod de Phinces Psalm. 105. legimus, opus ipsi suum in iustitiam reputatum? *Scriptura* (inquis) *iustum ex fide viuere te-*

Abac. 2.

statu. Quis id negat? verum tu neque prophetae sensum, neque Pauli haec verba citantis mentem intelligis. Abacuk sanè ad constantiam populum hortabatur: Apparebit (inquit) in finem, & non mentietur; iustus autem in fide sua viuet. Vbi non ideo quempiam propheta iustum esse dicit, quia credit, sed fore vt is qui iustus est, ex fide sua viuat, id est sua se fide sustentet, neque despondeat animum, etiam si morà Messias fecerit: quod eodem loco idem propheta dixit. Si morem fecerit expecta eum. Et Paulus, vt sine hac fide neminè iustificari posse ostèderet, ad Gal. scribens, quoniam autem (inquit) in lege nemo iustificatur apud Deum manifestum est, quia iustus ex fide viuut, lex autem non est ex fide: id est, interprete Augustino, lex non implorat gratiam, & adiutorium facienti, sicut fides implorat. Lex enim iubere potest, maledicere, comminari: adiuuare vt fiat quod iubetur, non potest. Non ergo ex lege iubente (vt Augustinus ait) sed ex fide adiuuantem gratiam implorante, iustus viuet. dicimus (inquit) lege fieri, vt Deus quid fieri velit audiatur, gratia vero fieri, vt legi obediatur. Et alio loco. Lex non sperat in Deum, non petit iustitiam à Deo, non credit in eum, qui iustificat impium. Vides ergo quo sensu iustus nò ex lege, sed ex fide viuat? Neque satis leuitatem vestram mirari possum, quòd non hunc locum in quo tantum

Sermo. 15.
de verbis.
Apost. Gal. 3.

Còtra duas
epist. pel. li.
3. cap. 1.

praesidij ponitis diligentius expendatis. Cum enim vel vestra sententia hominem ex fide viuere, sit iustificari ex fide, quod animae vita iustitia sit, efficitur profectò vt absurdum æque sit, aliena iustitia iustum esse quèpiam, atque aliena vita viuere. Non enim frustrà propheta dixit, Iustus ex fide sua, non aliena viuet. Paradoxum aliud. *Soli rectè participant cæna dominica, qui tristes, afflictas, perturbatas, confusas, erraticas apportant conscientias.* Hoc tu quoque Lutheri paradoxum vehementer probas. *Ita quidem est* (inquis.) Vbi est ergo fides illa vestra, quæ & certos vos de peccatorum remissione facit, & ancipites omnes cogitationum fluctus sedat? aut quomodo cum tanta tranquillitate confusas & erraticas habere conscientias potestis? Sed ne summo iure tecum certare videar, vestras quidem confusas esse & erraticas conscientias non dubito, quia cænam quoque non nisi peripateticorum more, inambulantes cœnant, alij sedentes, stantes alij. Sed mihi hanc confusionem pluribus describere verbis non est animus, habeatis certè, per me liceat, erraticas conscientias. At Christi Apostoli, & alij viri sancti, cum seipso, vt Paulus iubet, summa cura ac diligentia probassent, & quæ Christus praescripsit peccatorum remedia, adhibuissent, nullius sibi sceleris conscij, tranquillis animis accedebant:

De cap. ba.
byl. cap. de
euch.

1. ad Cor. 13.

Hom. 60.
ad Rox. An-
tioch.

neque ignorabant quàm graue illis pericu-
lum immineret, qui ad tam tremenda myste-
ria aliter accederent, quàmque grauiter in
eos Deus animaduertere soleret: ad eò vt pri-
mis illis nascentis ecclesiæ temporibus, non
nisi post exomologesin, & plenam pro pec-
catis satisfactionem, ad eucharistiæ sacramen-
tum lapsi admitterentur: & ex antiquissimis
Græcorum liturgiis discimus, in more fuisse,
vt diaconus elata voce pronùciaret *τὰ ἄγια*
τῶν ἁγίων, vt non erratica, ac confusa con-
scientia, sed sancta & munda, ad tam sancta
mysteria accedendum esse significaret. Quo
enim (vt eleganter Chrysoström) solari
radio non splendidiotem manū esse oportet,
» carnem hanc diuidentem: os quod igne spi-
» rituali repletur, linguā quæ tremendo nimis
» sanguine rubescit, imo & in quòtidiano ec-
» clesiæ sacrificio ob eam causam, vt idem
Chrysoström testis est, nos licet adhuc mor-
» tales, ad Dei laudes concinendas angelis &
» archangelis inserimus, vt quanta animorum
» puritate, & innocentia ad hæc tam sancta,
» tam diuina mysteria accedere debeamus,
» omnes intelligant. Postquam enim, inquit,
» sacerdos angelorum meminit, archangelorū
» Thronorum, & dominationum, & Cheru-
» bim, & Ceraphim, mox addit, cum quibus &
» nostras voces vt admitti iubeas deprecamur,
» Sed huius paradoxo Coronidem audiamus.
» *Qui maxime* (inquit) *peccatorum suorum sensu &*

dolore afficiuntur, iis ille cibus celestis semper esse
solet saluberrimus. At vbi quæso legisti pœni-
tentiam ac dolorem propter peccata, con-
scientiam erraticam facere? cum hæc sit tri-
stitia secundum Deum, quæ pœnitentiam in
salutem stabilem operatur. Nam (vt rectè
obseruauit Chrysoström) quæ ob aliarum
rerum iacturam percipitur tristitia, rem se-
mel amissam nunquam restituit. Neque enim
parentum lachrimæ filios ad vitam reuoca-
re possunt: at quæ secundum Deum est tristi-
tia, qua quis ex animo amissam per peccatū
Dei gratiam dolet, ipsam gratiam denuo re-
stituit. Neque poruisset profectò erraticas
vestras conscientias verbis clarioribus refel-
lere Paulus, quam cum hanc tristitiam, non
vt tu, conscientiam erraticam, sed salutem
stabilem operari dixit. *Sed nunquid aliud est?*
(inquis.) Equidem iam pridem optassem ni-
hil te amplius nugarum effutiuisse, in quibus
refellendis bonas ego horas collocarem: sed
tamen aliud adhuc est: *Confitenda sunt crimina*
cui libet (inquit Lutherus.) Quod tu parado-
xum ita defendis. *Quidni* (inquis) *alij aliis pec-*
cata possimus confiteri? Plurimum sanè Luthere-
rani tibi, homini præsertim Calviniano, de-
bent, quòd tam strenuè Lutheri paradoxa
defendas, qui vt pœnitentiam (quam sacra-
mentum esse fatetur) a captiuitate vt ille lo-
quitur *babylonica* liberaret, in hæc verba
scripsit. *Quare ego principes istos Babylonis, &*

2. Cor. 6.

Chrysostr. in
hunc lo-
cum.Lutheri de
captiuitate
babylonica

*Episcopos Bethauen monerem, sibi temperent à re-
seruandis casibus quibuscunque. Deinde de occultis
audiendæ confessionis facultatem permittant liber-
rimam omnibus fratribus & sororibus. Dignam
certè Luthero sententiam. Hoc nimirum de
vestri similibus hæreticis eleganter olim
Tertullianus scripsit. Cùm extollimur, &
inflamur aduersus clerum, tunc omnes vnium
sumus, tunc omnes sacerdotes, quia sacerdo-
tes nos Deo & patri fecit. Sed vbi quæso
omnes fratres & sorores clauis regni celo-
rum, ac potestatem remittendi ac retinendi
peccata à Christo acceperunt? Hoc enim erat
Luthero tuo imprimis probandum. Verum
cùm scripturam sacram & antiquorum om-
nium ecclesiæ patrum sententiam contra-
riam esse perspiceret, prudenter sanè, id sibi
silentio prætereundum iudicauit. Quis enim
ignorat Nouatianos, quòd potestatem hanc
penes sacerdotes esse negarent, ab vniuersa
ecclesià ià olim fuisse damnatos? Quis igno-
rat veterem hunc ecclesiæ morem fuisse, què
Tertullianus describit, vt pœnitentes nõ nisi
presbyteris aduolueretur? Hinc Ambrosius,
Potestas ligandi ac soluendi solis sacerdoti-
bus concessa est. Hinc Hieronymus, vt in ve-
teri lege soli sacerdotes inter lepram ac le-
pram discernabant, ita in noua lege, clauis
illi regni cælorum, quibus peccata remittan-
tur, soli acceperunt. Hinc magnus ille Leo,
Christus ecclesiæ præpositis hanc potesta-*

Tertull. de
monoga-
mia.

Tertull. lib.
de pœn.

Lib. 1. de pe-
ni. cap. 2.
in 16. Mat-
thæi.

Exempla
bona.

tem dedit, vt confitentibus pœnitentiæ sa-
tisfactionem imponerent. Hinc Chryso- Chrysoft. li.
mus, sacerdotum potestatem regiæ antecel- 3. de sacerd.
lere dixit, quòd hi non nisi corpora, illi
animos ligandi atque soluendi potestate
vterentur. Quid plura? omnium semper à
primis ecclesiæ temporibus in hanc vsque
ætatem catholicorum, hæc sententia fuit. Ne-
que tu ex omni antiquitate vel vnū proferre
exemplum potes, vbi foror aliqua hoc pœ-
nitentiæ sacramentum legitimè admini-
strasse legatur. de mulieribus quidem hæreti-
cis verum esse quod Tertullianus scripsit
non ignoro. Ipsæ (inquit) mulieres hæreti- Tertull. de
cæ quam procaces, quæ audent docere, con- prescripte
tendere, exorcismos agere. Sed quæ sibi vn- heret.
quam hanc clauium potestatem arrogare sit
ausa puto fuisse neminem. Neque sibi
mirari possum, qui ne civilis quidem regni
administrandi ius mulieribus cõceditis, qua
illis authoritate clauis regni cælorum tri-
buere audeatis? An non Knoxius ille, qui
quintum hoc vestrū Pistolicum euangeliū in
Scotiã nostrã primus inuexit, suo illo famoso
libello quem vulgari idiomate (*The blast of
the trumpet*) inscripsit, duas illas optimas ac
prudētissimas scēminas, Marias, alterã Scotiæ
reginã, Angliæ alterã, regnis suis deturbare,
atq; eicere vtriq; gēti suasisit? Quod & cū dei
verbo, & cū ipsa naturæ lege pugnare dice-
ret, vt in virū mulier ius aliquod vel imperiū

haberet. Videre tamē mihi videor, quid causę Lutheri fuerit, cur clauēs regni cęlorū sororibus tribuerit, intelligebat vir prudens, nisi vna cum hęresi katherinam Borram repudiaret, nunquam sanē futurum, vt Episcopi & sacerdotes, qui potestatem hanc per manuum impositionem, iuxta perpetuum ecclesię morem receperunt, illi regnum cęlorum aperirent. Itaque nouo ipse, & prudenti, vt videbarur, consilio, ne perpetuò cęlorum regno excluderetur, pro sua, quam ad quintum hoc euangelium promulgandum accepit, autoritate, sorori suę katherinę Borre clauēs dedit, vt illa saltem regnum ipsi cęlorum vel ioco aperiret. Nam & hoc aliud est Lutheri paradoxum. *Quicumque te absoluerit sine ioco, sit, sine serio, modo credideris, absolutus*

In assert. ar. 12. & 13. *eris.* Quod mirum sanē quā tibi arrideat. *Quisquis (inquis) peccata sibi remissa credit, cum ipsa fides absoluit, sine ioco, sine serio fuerit absolutus.* Verum ego hic esse experior, quod ab Augustino scriptum aliquando est, nusquam sic non inuenio quod dicam, quā vbi res de qua dicitur, manifestior est, quā omne quod dicitur. Quid enim apertius esse potest, quā neminem sacramentum conferre, qui illius conferendi ne voluntatem quidem vllam habet? Si quis enim te aqua lauaret, etiam in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, non eo quidem animo, vt baptizaret, sed vt animi gratia te totum madefaceret, vel

**Aug. lib. 1.
de pecc. mer.
cap. 21.**

cetē sordibus mundaret, ab eone te baptizatum censeas? aut si aliud maus exemplum familiare: si quis equum tibi suum ioco dedisset, num mox illum verē tuum esse diceres? Non ita es (opinior) rerum humanarum expertus. Quid ergo stultius, quā qui ioco se à peccatis soluere ait, verē eum ac serio absoluere, qui ioco alteri equum se suum dare profiteretur, non verē tamen, nec serio dare? Sciunt profecto vel mediocriter in theologia versati, humanas omnes actiones naturam suam ac formam à proprio & vt dici solet, interno fine accipere, quare quod ioco quis facit, quia non eo fine facere censetur, in quem actio suapte natura tendit, sed quem ipse potius qui ioco agit, sibi propositum habet, minimē talis actionis, sed ioci potius naturam retinere censetur. Hęc tu Scholasticę theologię rudis, si nondum fortē intelligis, exemplo clariora efficiam. Si quis alteri incio equum ioco surripat, num tu eum verē furem appellabis, quamuis furtum omnes rei alienę incio domino vsurpationem definiant? minimē opinor. Quid ita? quia nō eo rem alienam animo ille surripuit vt sibi velut suam vendicaret, in quem sanē finem rei alienę incio domino vsurpatio vi sua referri solet, sed vt risum forrassē aliis moueret, vel dominum de re sua, velut amissā, anxium redderet. Vides ergo whitakere, quæ ioco fiunt actiones, naturam suam formam-

que amittere, quam sanè alioquin habuissent. Quis ergo, nisi mentis inops, absolutionem quæ ioco datur, veram esse absolutionem, ac non potius merum iocum dixerit? Quid enim, vt hoc te exemplo vrgeam, Si Martinus Lutherus ioco tantum incestum illud connubium cum katherina Borrhina contraxisset, num tibi verè illius vxor videretur? & si ea coram iudice causa esset agenda, possetque Lutherus testibus omni exceptione maioribus probare id se non nisi ioco fecisse, quid existimas iudices decretuos? Occultum verò venenum vestrum vbi lateat non ignoro, tu nihil in absolutione momenti esse existimas, sed à fide remissionem omnem peccatorum pendere. Quid ergo frustra laboras? quid desperatam Lutheri tui causam adhuc defendis? Ille enim absolui vult peccatorem, quia pœnitentiam esse sacramentum credit, etsi, siue à fratre, siue à sorore, siue serio, siue ioco absoluat, nihil referre stultè existimat, tu neque à fratre, neque à sorore, neque serio, neque ioco absolui vis: Et tamen te Lutheri defensore simulat. Nos whitakere cum catholica credimus ecclesia sacerdotes non peccatorum modo remissionem per euangelium nobis annunciare, sed tanquam iudices etiam à peccatis reos absoluere. Huc enim clauium potestas spectat. Etenim quis vquam sanè mētis claues edium cuiquam da-

tas

tas existimet, vt ostia ille aperta esse ostendat, ac non potius vt illa aperiat? Eleganter sanè Hieronimus: Absit (inquit) vt de his quicquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacre conficiunt, qui claues regni cœlorum habentes quodammodo ante iudicij diem iudicant. Et Chrysostronus sacerdotum potestatem regiam maiorem esse ostendit, quod hæc intra huius mundi ambitum contineatur, illa verò ad cælum, ipsumque supremi iudicis tribunal vsque pertingat. Quæcunque enim (inquit) hic à sacerdotibus geruntur, ea Deus supernè rata habet, & serui sententiam domini sententia confirmat. Et Hilarius, Beatus cæli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium præiudicaria autoritas fit in cælo, vt quæcunque in terris vel ligata, vel soluta sunt, eiusdem statuti conditionem obtineant & in cælo. Sensit hoc sanè magnus ille, verèque religiosus imperator Theodosius, quando in hæc verba Ambrosium est alloquutus. Oro vt mihi soluas vincula, & proponas tibi ante oculos clementiam illius qui est dominus omnium, & ne mihi occludas ianuam, quam ille omnibus quos peccatorum suorum pœniteat patefecit. Ac ne pluribus veterum scripturarum testimoniis vtar, cum præter fidem sigillo quodam opus esse velis, quo peccatorum remissio quæ ante baptismum commi-

Hier. ad Heliodorum.

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

Hilar. in ca. 16. Matth.

Theod. lib. 5. histor. cap. 17.

simus, in conscientis nostris quodammodo obligetur, cur non etiam & sigillum aliud conceditis, quo & fides remissionis peccatorum, quæ post baptismum fiunt in conscientis nostris obligetur? Neque enim minus certos nos esse de illorum peccatorum remissione par est, quæ accepto iam baptismo commisimus, quam de iis quæ ante baptismum admisimus. Stultum enim ac amentitiæ plenum est, baptismi tantum recordatione opus esse, vt Calvinus delirat, vt quæcunque postea peccata commisimus remittantur, cum baptismo non futurorum, sed præteritorum veniam peccatorum consequamur. Quorsum enim ad extremum vsque vitæ terminum, baptismum tam multi, quorum tu numero magnum illum Constantinū falso ascribis, distulerunt, si futura perinde ac præterita peccata baptismum deleri existimassent? Quomodo tot, tam sancti, tam docti ecclesiæ patres, qui illis seculis vixerunt, non eos, quod vos nunc traditis, docuissent, baptismum non ad præterita modo, sed ad futura etiam remittenda peccata valere? quid facturi sunt infantes, qui baptizati ne sint, an non, recordari haudquaquam possunt? Deuisset certe Calvinus in eorum saltem gratiam, nouum aliquod sigillum reliquisse. Sed quid ego his immoror, cum festinare te velle videam, & ego quoque ineptiarum tuarum pertæsus, festinem libenter. *Legere*

Caluin. lib.
4. cap. 15.
sect. 4.

preces horarias non est sacerdotum sed laicorum, inquit post pocula Lutherus. Quis enim hoc sobrius diceret? Tu vt hoc paradoxū melius defendas, plaustris illud conuitorum, tanquam propugnaculis quibusdam communiuisti, vt nemo prius responsionē tuam attingere posset, quam hæc omnia discicisset: falleris whitakere, nos hæc facile omnia transiliemus, vt quid tandem respondeas expendamus. *Horæ vestrae canonicae* (inquis) *Christiano propter infinitam superstitionem prorsus indignæ sunt*. Siccine Luthero whitakere patrocinaris? Ille tantum non sacerdotum, sed laicorū esse dixit preces horarias legere, tu neque laicoram, neque sacerdotum, verumque in vobis esse experimur quod à Paulo scriptū est, hæreticos semper in peius proficere. At quod eas preces superstitione nescio qua ita inquinatas esse ais, vt homine Christiano indignæ sint, tuum certè conuitiandi studium prodis, cum nihil neque ostendas, neque ostendere possis, in quo vel leuissimam superstitionis suspicionem deprehendas, nisi tibi fortè psalmos in Dei laudem canere, peccatorum remissionem, diuinā gratiam, ceteraque ad corporum atque animorum salutem necessaria à Deo postulare, scripturas vtriusque testamenti sacras legere, summaque fidei nostræ, ac religionis mysteria, hac nobis lectione ob oculos ponere, aliæque id genus sacre exercitationes, superstitionis videantur. Sed illud

2. ad Tim. 3.

tibi credo moleitum est, precationes nostras certis ita temporum interuallis distingui, vt nullum ferè noctis aut diei sit spatium, quo non in ecclesiis nostris diuinæ laudes resonent. Quomodo enim id ferre poteritis, qui euāgelicos vos & morum nostrorum ceniores profitemini, dum totas ipsi noctes in faminarum complexibus ducitis, dum ad medios inde dormitis dies: & cum tandem ex sedis vestris voluptaribus emergitis, in ludis iocisque quod diei reliquum est veri Epicuri discipuli consumitis? Cùm monachi præfertim, & tot religiosorum greges, quos omni vos conuitorū genere perpetuò insectamini, nocte etiam media ad concinendas Deo laudes surgant, quas stans diei horis religiose persequi non desistunt. Quis enim catholicus nocturnos ecclesie psalm. ignorat? quis hymnos illos verè Ambrosianos ipso ecclesie vsu tam diuturno celeberrimos, quibus hominū animi ad Deum per temporum interualla laudandum mirificè inflammantur? Atque, vt à nocte exordiar, quid illa oratione sanctius?

*Somno reserctis artibus,
Spreto cubili surgimus,
Nobis pater canentibus,
Adesse te deposcimus,
Te lingua primum concinat,
Te mentis ardor ambiat,
Vt actuum sequentium,
Tu sancte sis exordium, &c.*

Hanc tu diuinis in rebus diligētiam, si supersticiosam putas, Dauidem quoque regem sanctissimum superstitionis argue. Sic enim ille consuluit. In noctibus extolite manus vestras in sancta, & benedicite dominum. Neque consuluit modò, sed & ipse se facere solitum palam professus est. Media (inquit) nocte surgebam ad confitendum tibi, super iudicia iustificationis tuæ. Ac rursus, memor fui nocte nominis tui domine: denique, Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrimis stratum meum rogabo. Nocturnis vero precibus, laudes quæ vocantur, Dauidis etiam exemplo sub auroram succedunt. Nam & ille, præuenerunt (inquit) oculi mei diluculo, vt meditarer eloquia tua, quo sane tempore ecclesia, ipso pene laudum initio canit.

*Aeterne rerum conditor,
Noctem diemque qui regis,
Et temporum das tempora,
Vt alleues fastidium, &c.*

Quem hymnū neque tuus ille quantus quantus est Augustinus, Ambrosij esse ignorauit. Aug. lib. x. Memini (inquit) me dixisse in quodam loco retract. cap. de beato Petro, quod in eo tanquam petra²¹ fundata sit ecclesia, qui sensus catur etiam in ore multorum in versibus Ambrosij, vbi de gallo gallinaceo ait, hoc ipsa petra ecclesie canente culpā diluit. Quæ huius esse hymni verba constat. Quid laudibus Deo persolutis? Nimirum nō ita multò post, veluti cum sole

redeunt, vnde & prima nomen accepit, quod
& Ambrosianus ille hymnus abundè testatur.

Iam lucis orto sidere,

Deum precemur supplices,

Vt in diurnis actibus

Nos seruet à nocentibus.

Mox tertia à solis ortu hora, diuinam denuò
gratiam supplices hoc hymno implorant.

Nunc sancte nobis spiritus,

Vnum patri cum filio,

Dignare promptus ingeri,

Nestro refusus petitori.

Sexta verò quæ in meridiem incidit, Deum
rursus sic inuocant.

Rektor potens verax Deus,

Qui temperas rerum vices,

Splendore mare instruis,

Et ignibus meridiem, &c.

Tertia deinde à meridie hora, illi nonam ap-
pellant: sic precantur,

Lagire clarum vespere,

Quo vita nusquam decidat,

Sed prænium mortis sacra,

Percunis inisset gloria.

Quo ex ritu illud apud nos vsus obtinuit, vt
prandij horam corrupto vocabulo vulgus
hominù non appellent, quod olim non ni-
si semel quotidie, illa ferè hora cibum sume-
rent. Ad vesperam deinde, vespertinas Deo
preces canebant, tandèmq; ipso solis veluti
occafus, vt diurnos labores precibus quoque

concluderent, completorium, quod vocant,
addere consueuerunt, vt ex illo discimus hym-
no, quem, in hodiernũ vsque diem, vt cæte-
ros quorũ supra memini ecclesia cõseruauit.

Te lucis ante terminum,

Rerum creator poscimus,

Vt in diurnis actibus,

Nos serues à nocentibus.

Quã verò vetustus hic mos fuerit, quo nul-
lum pene diei tempus sine laudibus elabi ec-
clesia sinebat, satis indicat quod in apostolo-
rum actis legimus, Petrum & Ioannem ascē-
disse in templum ad horam orationis nonam:
& quod philo Iudeus Christianorum mores,
qui tum Alexandria agebant describens re-
fert. Et Tertulia. in apologetico. Nam & ipsi
gẽtiles antelucanos Christianorum hymnos
minime ignorabant. Quã vero eleganter
Cyprianus, quã erudite, quid in hac horarum
distinctione mysterij lateat, nobis explicauit! Cypri. in
explicatio-
ne orat.
do.

Oramus (inquit) deum nocte, vt nos filios lu-
cis, & non tenebrarum esse significemus, qui-
bus nunquam occidit sol iustitiæ. Manè orã-
dum est, vt resurrectio domini matutina ora-
tione celebretur, quod olim spiritus sanctus
designabat in Psal. quoniam ad te orabo ma-
ne, domine exaudies vocem meam. Oramus Psalm. 5.
hora tertia, nam super discipulos hora tertia
descendit spiritus sanctus. Et hora sexta do-
minus crucifixus est. Ad nonã peccata nostra
fanguine suo abluit, & victoriã suã passione

perfecit. Recedente item sole ac die cessante, necessario rursus orandum est. Nā quia Christus sol verus, & dies est verus, sole ac die seculi recedente, quando oramus ac petimus vt lux super nos denuo veniat, Christi precamur aduentum, lucis æternæ gratiam præbiturum. Et Hieronymus præter psalmoium ordinem, quod tibi hora tertia, sexta, & nona ad vesperum, & media nocte, & mane, semper est exercendum, statue quot horis sanctam Scripturam ediscere debeas. dies me deficeret, si quæ de concinendis Deo laudibus veteres ecclesiæ patres literis commendauerunt, velim commemorare. Cur igitur, vt cum optato loquar, fraudatis Caluiniani aures Dei? clausistis ora omnium Christianarū gentium, indixistis silentium populis vniuersis, deum per momenta laudare cupientibus. Igitur si & deus debitas suas laudes expectat, & vt sonent spiritus sanctus hortatur, & totus orbis quod solet paratus est reddere, ne fraudetur Deus, etiam vos ipsi laudate cum omnibus, aut quia nolulistis esse cum omnibus, soli conticescite. Vltimum est paradoxum inter ea quæ Campianus enumerat. (Nā & alia numerare plurima potuisset quæ vel inuiti aliquādo audietis) *Christiani liberi sunt à statutis hominum, tu, liberi (inquis) sunt Christiani non vt nullis legibus obtemperent, sibi que semper viuam, sed vt conscientias mentesque suas legum humanarum religione liberatas esse intelligant.*

Hier. ad De
instr.

Si Christiani humanis legibus obtemperare tenentur, quomodo humanarum legum religione liberatas habent conscientias? Neque enim non peccare quis potest, si quod facere debet, non faciat. Quis verò miretur, humanas vos leges contemneret, qui salua humanarum legum authoritate quintum vestrum euangelium Christiano orbi obtrudere nunquam potuissetis? Sed vt ad scripturas te reuocem, humana certè, non non diuina lex fuit, quam rulerunt Apostoli, vt à sanguine & suffocato Christiani abstinerent, & tamen hanc legem à spiritu sancto latam fuisse non dubitarunt. Visum est (inquiunt) spiritui sancto & nobis: & ad Romanos, omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas nisi à Deo. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt ipsi sibi damnationem acquirunt. Et paulo post: Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Quomodo verò damnationis sententiam incurrunt, qui humanis legibus nō obtemperant, si nulla earum religione cōscientiæ tanguntur? Quomodo Paulus non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam humanis nos legibus obtemperare iubet? Et Petrus subiectos nos esse omni humanæ creaturæ, quia sic (inquit) est voluntas Dei. Si enim voluntas Dei est, conscientias certè nostras, velis nolis whirakere,

A. C. 15.

ad Rom. 13.

1. Petri 2.

religione obstringit: Nisi ab ipsa etiam Dei voluntate liberatas quoque conscientias esse vestras dicatis: non quasi liberi, sed vt idem
 1. Pet. 2. Petrus loquitur, quali velamen habentes malitiæ libertatem: Hoc certè est honesto libertatis euangelicæ nomine improbitatem vestram, qua nullis parere humanis legibus meditamini, obtegere. Vel dicite, si potestis, quid sit libertatem tanquam velamen habere malitiæ, si hoc nõ est. Nolo in re tam aperta pluribus vt argumentis. Quam enim vos legum omnium ac legitimorum magistratum sitis amantes, vester ipse patriarcha Lutherus tam luculenter expressit, nihil vt addi à quoquam posse videatur. *Ideo (inquit) Christus noster est dominus, vt tales homines ex nobis faciat, qualis ipse est. Et sicut ferre non potest se legibus obligari & vinciri, sed legum dominus esse vult, ita per baptismum liberi facti sumus, vt liberè dicere possimus, De nulla lege quicquam scio: sed nec scire volo. In eo enim statu in quo Christiani sumus, nostra & omnium hominum opera cessant, atque etiam omnes leges. Ac iam tandem ex turbido hoc vestrorum paradoxorum cœno querimus, quæ tu dum vel defendere, vel à vestro esse euangelio aliena ostendere niteris, nihil certe aliud quàm vetera illa, nouis aliis, & hæcenus inauditis cumulas: quod nulli dubium fore confido qui hanc tuarum calumniarum confutationem perlegerit. At*

Luthe. ser.
de oue per-
dita.

ego (inquis) si vellem paulisper perscrutari, quid de Dei prouidentia, de prædestinatione, de Christi persona, ac officio, de peccato originis, de lege, de iustitia, de sacramentis, de purgatorio, de pontifice Romano, de reliquis in religione maximis controuersis vestri affirmarunt, quot plaustra paradoxos implerem, quibus nihil horribilius dici potest aut cogitari. Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. Nunquam ego whitakere quenquam vidi mortaliū qui plura se posse gloriarerur, præstaret tamen quàm tu pauciora, si plaustra hæc tua iam paradoxos compleuisses, nõ tãtam tibi ipsi inanis iactationis, summæque in hac causa egestatis notam, ieiuna hac & ridicula respõsione inuississes. *Sed alias (inquis) de hisce rebus spero dabitur dicendi occasio.* Bene speras profectò, whitakere, iam enim satis magnam tibi, ni fallor, occasionem dedimus. Audacter igitur quidquid habes paradoxorum, quidquid à tuis vndequaue symmiftis potes emendicare, ad nos primo quoque tempore remitte, rem tibi cum hominibus haud ingratis fore senties. Dabimus enim operam, vt in hoc officij genere abundè vobis respõdeamus, & quæ multos adhuc latent alia vestra paradoxa, orbi notissima faciamus. Verum hunc te laborem non prius subiturum puto, quàm vobis cum Lutheranis, Zuinglianis, & Puritanis conueniat, cuius rei video te optimam etiam spem animo concepisse. *Et quidem (inquis) speramus vt hac contro-*

uerſi: que inter nos eſt conſtituta, coniunctis animis, ſtudiſque communem hoſtem aggrediamur. Longas ergo, vt video nobis inducias dabit. Bellum enim tam *δορυδον* tantaque animorum contentione geritis, vt qua demum ratione pacem aliquando futuram poſſis ſperare ignorem. Niſi fortasſe quia fœminarum more, non armis, ſed conuitiis pugnat. Hinc Beza tuus Heſuſium aſinum vocat calcitronem, nebulonem, Sycophantam, Caluinum quo in hac maledicendi palæſtra, neminem ego euangelicum hominem exercitatio- rem noui, quot cõuitorum plauſtra in weſtphalum congeſſerit, qui eum aliquando legit ignorare non poteſt. At quibus Lutherani viciffim encomiis Zuinglianos, & Zuingliani Lutheranos exornent nemo ignorat. Lutherus in libro cuius titulus eſt, *Defenſio verborum cœnæ*, accipite & comedite, hoc eſt corpus meum: *Obſtabo Deum & totum mundum* (inquit) *quod cum ſacramentariis non ſentiam, neque vnquam ſenſi, neque in æternum, Deo volente, ſenſurus ſum, meâſque manus velim mundaſ ab omni iſtorum ſanguine, quorum animas hoc veneno à Chriſto abigunt, ſeducunt & mactant, ſum enim innocens, & quod in me fuit, reſtiti graui- ter & fideliter.* Vides itaque quam exiguam vobis ineundæ aliquando concordie ſpem Lutherus, propheta ſcilicet veſter fecerit. Sed vt ſopitis tandem aliquando diſſidiis dextras iungatis, Lutherumque, Caluinum

Lib. contra
weſtphaliũ.

Zuinglium, O Ecolampadiũ, ceterosque omnes hereſum, cum veterum tum recentiorum authores ab orco reuocetis, Catholicam tamen eccleſiam nulla vnquam arte, nullis viribus ſuperabitis, cuius nos mœnibus ac propugnaculis tuti, nihil eſt whitakere cur tuas illas minas pertimeſcamus.

NONA RATIO.



Citum eſt, inter cæcos luſcum re-
gnare poſſe Apud rudes valet ſa-
pe fucata diſputatio, quam ſchola
Philoſophorum exhibet. Multa
peccat aduerſarius in hoc genere: ſed qua-
rur fallacis plerumque conſuitur, quas in
Academia malim, quam in triuio retexere.

IX.
Sophiſmata

Primum vitium, *Skiamachia* eſt, quæ auræ ſciamachia
& umbras magno conatu diuerberat. Hoc i. Cor. 7.
pacto: Contra cœlibes iuratos & votos in
caſtimoniam, quod nuptiæ bonæ ſint, virgi-
nitas melior: afferuntur ſcripturæ loquentes
honorificè de coniugio. Quem feriunt? Cõ-
tra meritum hominis Chriſtiani, tinctam
Chriſti ſanguine, alioqui nullum, promun-
tur teſtimonia, quibus iubemur, nec naturæ,
nec legi, ſed ſanguini Chriſti fidere. Quem
refellunt? In eos qui colunt cœlites, vt famu-
los Chriſti maximè gratioſos, citantur inte-
græ pagellæ quæ vetant colere multos Deos.
Vbinam ſunt? Huiusmodi argumentis quæ

apud hæreticos infinita reperio, nobis esse detrimento non poterunt, vobis esse fastidio poterunt.

Logomachia.

Aliud vitium *Logomachia* est quæ, sensa deferens, loquaciter cum verbo litigat. *Inuenias mihi Missam*, inquit, *aut Purgatorium in scripturis*. Quid ergo? *Trinitas, Homo-ousios, Persona*, nunquam sunt in Bibliis, quia voces istæ non sunt? Affine est huic peccato, literarum aucupium, quum neglecta consuetudine & mente loquentium, quæ vita vocabuli est, aduersus elementa contenditur. Nempe sic aiunt: *Presbyter, nihil est Græcis aliud nisi senior. Sacramentum, quoduis mysterium.*

1. part. quæst.
13. art. 2. ad
2. arg.

Cæterum acutè D. Thomas, vt omnia: In vocibus, inquit, videndum non tam ex quo, quàm ad quid, sumantur.

Homonymia.
a Apoc. 5. v.
10.

Tertium, *Homonymia* est, longè latèque patens. Vt: *Quorsum ordo sacerdotum, cum Ioannes a omnes nos vocauerit sacerdotes?* Etiam hoc addidit. *Regnabimus super terram. Quorsum ergo Reges?* Item: *Propheta celebrat ieiunium spiritale hoc est, ab inueteratis criminibus abstinentiam. Valeat ergo ciborum delectus & diuini præscriptio.* Siccine? Igitur insanierunt Moyses, Dauid, Helias, Baptistes, Apostoli, qui biduo, triduo, vel hebdomadis in ediam terminarunt, quæ quidem, vt à crimine, debebat esse perpetua. Hoc quale sit iam vidistis. Propero.

Circulatio. Quartum his adiicitur, Circulatio, In hûc

modum: Da mihi notas, inquam, Ecclesiæ. *Verbum Dei & purissima Sacramenta.* Hæcine sunt apud vos? *Quis dubitet?* Ego verò pernego. *Consule verbum Dei.* Iam consului, minisque vobis, quàm antè, faueo. *Ab, tamen planum est.* Proba mihi. *Quia nos ne latum quidem nugum disc edimus à verbo Dei.* Vbi est acumen tuum? semperne capies pro argumento, illud ipsum quod ponitur in quaestione? *Quoties hoc iam inculco? Num tu euigilas? Num faces admouendæ sunt? Dico, à te perperam exponi verbum Dei: testes habeo quindécim atates: sta sententiæ, non meæ, non tuæ, sed harum omnium. Stabo sententiæ verbi Dei: Iaan. 3. v. 8. Spiritus ubi vult, spirat.* Eccum. quos gyros, quas rotas fabricat? Hic nugator, tot verborum atque sophismatum Architectus, nescio cui formidolosus esse queat, molestus erit fortasse. Molestiam vestra prudètia subleuabit, formidinem res eripuit,

ET si grauitè, & iniquo animo, hereticos à Campiano appellari vestrę sęctę homines pateris, tamen nihil illis hoc nomine rectius conuenire, non modò hæreses quas tuentur plurimę ostendunt, sed illa etiam ipsarum hæreseon *παράδοξα* absurdissima, de quibus superiori capite diximus, clarissimè demonstrant. Cùm igitur hereticis omnibus commune sit pro veritate mendaciũ colere, illadque captiõibus quibusdam, atque fallaciis, imperitis hominibus persuadere, frustra tu quidem hic conaris whitakere Sophistarum nomen à te, tuique similibus depellere. Quandiu enim hæresim defenditis, aliud esse quàm sophistę nequaquam potestis. Sunt enim, vt Augustinus ait, quę appellantur sophismata, falsę conclusiones rationum, & plerumque ita veras imitantes, vt non solum tardos, sed & ingeniosos etiam, minus diligenter attentos decipiant: Cùmque verę sint connexiones, non solum verarum, sed etiam falsarum sententiarum, facile est veritatem connexionum, etiam in scholis illis discere, quę præter ecclesiasticum sunt, sententiarum autem veritas in sanctis libris ecclesiasticis inuestiganda est. Quid ergo mirum, si vos *παράδοξα* illa vestra, & hæresum portenta, sophismatis tan-

Aug. lib. 2.
de doctr.
Christ. c. 31.

tum

tum defendere Campianus asseruit, cum veritatem in ecclesia discere contemnatis? Tu verò, cum huius criminis suspitione Calvinianos pro viribus liberare deberes, ad communem conuitorum locum valde tibi familiarem diuertis, & monachos omnes, ac venerandos religiosorum hominum cætus perulenter insectaris. Quibus equidem nihil mea, vel cuiusquam defensione, aduersus vestra mendacia opus esse existimo. Etenim vt nihil hic de summa instituti monastici sanctitate loquar, prodire certè ex monachorum familiis innumeri, hac nostra ætate, tam fortes ac strenui vestrarum hæresum expugnatores, tamque pij, ac fideles ecclesię catholicę defensores, vt quidquid in illos, à vobis dicitur, non nisi ab iniquissimo odio, atque inuidia profectum intelligatur. Iam quod Scholasticam theologiam multis verbis exagitas, & à luthero, Caluinoque edoctus, Sophisticam falso appellas, minus equidem miror. Scitum est enim fallacias vestras, ac sophismata, illos cum acutissimè videre, tum aliis facillimè ostendere, & argumentis firmissimis confutare, qui Scholastica theologia quam optimè exculti sunt. *Postquam (inquis) ex ecclesiis veram Theologiam sustulistis, & tanquam ab hominum oculis lucem remouistis tum demum in scholis Sophismata iactare coepistis.* Certè si eam esse veram Theologiam

R r

fatendum est, quam ex Gebennensi lacu, aut academica whittembergēsi, allatam in scholis venditare soletis, eam nos ex ecclesiis nunquam sustulimus. Quomodo enim ex ecclesiis abstuliffemus, quod in iis nunquam fuit, aut quæ fuit aliquando, non dico ecclesia, sed vel minima Europæ, Asiæ, aut Africæ academia, quæ Gebennensis huius theologiæ mentionem fieri vllam audiuit? Hic tamen quid te vrat intelligo: Iuuentutem nimirum in hac theologiæ scholasticæ palæstra, diligenter exercemus, quam vos sectæ vestræ inimicam esse, planèque perniciosam sepe estis experti, quippe cuius athlete, captiones vestras, adhibita veritatis luce facile & ipsi euadunt, & alios euadere docant, & à mendaciis vestris sophermatum fucum, quo velut purpura simiæ, ornantur, abstergunt, ne hominū ea mentibus calidè insinuetis: ac vos ipsos denique, quoties inter disputandum digressionibus vestris argumentorum vim effugere, atque à re proposita, ad aliam transilire soletis, ad disputationis campum reuocant, neque vltro citroque vagari sinunt. Non immeritò igitur Scholasticæ Theologiæ peritos odistis quorum vim ac differendi rationem ferre non potestis, quin vestrorum dogmatum absurditas luce clarius conspiciatur: eam enim illi scientiam didicerunt, qua fides saluberrima, vt Augustinus loquitur, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutri-

Aug. li. 14.
de trinit.
cap. 1.

tur, defenditur, roboratur. Qua scientia non polent fideles plurimi, quamuis polleant ipsa fide plurimum. Aliud enim est scire tantummodo, quid homo credere debeat, propter adipiscendam vitam beatam: aliud autem scire quemadmodum hoc ipsum, & piis opituletur, & contra impios defendatur. Quod cum Scholasticam nobis theologiam præstare experiētia ipsa compertū satis atque exploratū habeamus, plurima mihi hoc loco de præclarissimæ illius exercitationis utilitate, atque præstantia essent dicenda, nisi inchoatam persequi disputationem, & te nullo iam ordine currentem, quocūque abieris, insequi res ipsa iuberet. Luber ergo tibi whitakere ante quā ad ea respōdeas, quæ Cāpianus obiecit, pauca de nostris, vt ais, notissimis paralogismis, & sophermaticis elēchis degustare, vt sophermaticæ vtri nostræ sint verius nominandi, ipsa schola, atque academia diiudicet. Ego vero vt pergās vehementer rogo, neque hos ipsos quos appellas iudices, Scholam inquam philosophorum, & theologorum academiam, planè recuso, quantumuis tecum iniquis legibus decertaturus. Cāpianus enim ea ipsa argumenta, in quibus omne præsidium causæ vestræ, & firmamentum collocatis, nihil aliud esse quàm mera sophermata clarissimè demonstravit: vt facile qui tuam hanc responsionem legere voluerint, animaduertent: Tu vero in iis paralogismis, ex quibus

R r ij

inuidiam nobis apud imperitos conflare niteris, ea ne attingere quidem argumenta ausus es, quibus fidei nostræ dogmata confirmamus, sed ea tantum in medium quasi ridenda proponis, quæ vni interdum, aut alteri, re iam de quâ agebatur satis superque probata, exciderunt, non tam ad vllius rei confirmationem, quam vt similitudine aliqua, vel allegoria, rem eam illustrarent, hominûque mentibus & firmitus, & suauius infigerent. Neque enim ingeniis omnibus, eadem docendæ veritatis ratio, conuenire putanda est, quod vel ipsa duce natura philosophi cognouerunt. Quamobrem nemini mirum videri debet, si accuratam illam, omnibusque numeris absolutam docendi rationem, maiores nostri sapientissimi homines non semper obseruarunt, quibus non perpetuo, cum præfractis, ac pertinacibus ingeniis, qualia nunc vestra esse omnes intelligunt, sed cum hominibus plerumque rectè, ac liberaliter educatis, suaque sponte ad veritatem propèsis, negotium fuit. Meminisse certè debueras illius beati Augustini sententiæ: quisquis in scripturis aliud sentit quàm ille qui scripsit, si tamen charitatem ædificet, ita fallitur, ac si quis errore deferens viam, eo tamen per agrum pergat, quo etiam via illa perducit. Corrigenus est tamen, & quanto sit vtilius viam non deserere demonstrandum est, ne consuetudine deuiandi, etiam in transuer-

Arist. 3.
Metaph.

Li. 1. de do.
Christ. cap.
36.

sum, aut peruersum ire cogatur. Ita si quis esset catholicus, qui ad confirmanda fidei dogmata, ommissis solidis rationum momentis, quibus veritas nititur, nihil præter infirmas quasdam coniecturas, aut allegorias, quamuis pias afferret, monendus sanè, ac prudenter corrigendus esset huiusmodi, ne quem ex ipsa consuetudine errorem, quasi imberberet, ac firmissimam catholicæ fidei veritatem, non nisi leuibus huiusmodi firmamentis nixam putaret. Neque vero hoc differendi, vel potius, res alioquin satis certas declaradi, atque illustrandi genus, ex vlla hominû imperitia natum videri debet, sed ex ipsa potius veritatis luce, ac fecunditate: quæ tanta est, vt ad rem eandem, si non accuratè demonstrandam, at certè illustrandam, plurima sepe argumenta sua nobis sponte suppeditet. Adeo enim veritas sibi ipsa consentit, vt quæcûque vera sunt, quadam quasi communione coniuncta, atque colligata, sese mutuo illustrare videantur. Postremo vt accidisse hoc ex catholicorum quorundam ignorantia concederemus, nihil esset tamen whitakere, cur ita reliquis omnibus insultares, nihil cur te victoria potiturum tam superbè iactitates: Iam enim olim, ab Irenæo tibi pro nobis est abundè responsum. Qui relinquunt (inquit) sanctam ecclesiam, imperitiam sanctorum presbyterorum arguunt, non contèplantes, quanto pluris sit idiota religiosus.

Iren. lib. 5.
c. 20.

blasphemo ac impudente sophista. tales sunt
 39 heretici, qui se plus aliquid præter veritatem
 39 inuenisse existimant. Ac possem equidem iure
 optimo, vnica hac responsione, paralogis-
 mis omnibus quos nobis tribuis (si tamen
 omnes paralogismi essent) responsum esse as-
 ferere. Sed ne quid sit, in quo vel vllam ca-
 lumnix occasionem reperias, quam potero
 de singulis, clarissimè, breuissimèque dicam.
 Ac primum quidem quod ex Innocentio se-
 cundo, contra presbyterorum nuptias affers,
 nullam nostram Sophisticen, sed singularem
 tuam ignorantiam arguit, qui quo demum
 argumento pontifex vtatur, planè non intel-
 ligas. *Innocentius papa secundus (inquis) aduer-*
Proposisti sus istas nuptias hoc modo diminitus concludit. Qui
in carne sunt Deo placere non possunt, omnia munda
mundis, coinquinatis autem, & infidelibus nihil
mundum. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, do-
minus Deus vester. Ergo sacerdotibus vxores non
sunt ducenda. Quæ istæc est inscitia? Innocen-
 tius enim cum sacerdotibus, iuxta apostoli-
 cos canones, perpetuamque ecclesie confue-
 rudinem, ab vxoribus esse abstinendum non
 ignoraret, de quibusdam interrogatus, qui
 sanctissimam hanc legem, planèque saluta-
 rem ecclesie, nefariè violarant, quibus
 essent ecclesiasticis pœnis, pro tanti criminis
 grauitate coercendi? De his (inquit) mani-
 festa est diuinarum legum disciplina, & bea-
 tæ recordationis Syricij episcopi monita cui-

dentia emanarunt. Ex quibus verbis, totaque
 illius canonis serie, perspicuum est illud pon-
 tificem pro comperto habere cœlibatus le-
 gem, à sacerdotibus sua sponte susceptâ fuis-
 se, quam qui scæda libidine superati seruare
 nollent, quid mirum si in carne eos esse, ideo-
 que placere Deo non posse dixerit? Quod si
 tibi sophisticum esse, ac paralogismum, nes-
 cio quem sapere videatur, eodem sane iure,
 & apostolum Paulum sophisticam appellaris, *1. Timot. 5.*
 quod viduas dixerit damnationem habere,
 quia primam fidem irritam fecerunt. Aliud
 deinde Sophisma scilicet nostrum ita propo-
 nis. *Quod Paulus coniugibus permittit, seorsum vt*
possint ad tempus cubitare, quo ieiuniis precibus-
que commodius vacent, ex eo colligit pontifex, hoc
ipsum sacerdotibus, multò magis esse faciendum, quo
tenere.
rum est perpetuò precari, atque illud iuge sacrificiũ
offerre. Quod verò hic vel leuissimum para-
 logismi signum esse potest? quodue firmitus
 à quoquam argumento proponi? Etenim si
 orationi laici, vt par est vacare, nisi ab vxo-
 rum sese commercio abstineant paulo iudice
 nequeût, an non tibi consentaneum videtur,
 vt quibus orationi, sacrisque aliis ecclesie fun-
 ctionibus perpetuo vacare ex officio incum-
 bit, sibi penitus ab vxoribus temperent? Ante
 omnia enim vt Origenes testis est, sacerdos *Orig. hom.*
 qui diuinis assistit altaribus, castitate debet *4. in Leuit.*
 accingi. Hoc si est sophisticam agere, hierony-
 mus etiam sophisticam fuit, dum eodem argu-

Hier. lib. 1.
contra Iou.Amb. lib. 1.
off. cap. 50.in hæref.
catharDisc. 28. c.
cœcurnimus

mento Iouinianum parentem vestrum vrgeret. Si laicis imperatur, inquit, vt propter orationem, abstineat ab vxorum coitu, quid de episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis, populique peccatis, illibatas Deo oblaturus est victimas? Fuit & Ambrosius, cum ait. Inoffensum autem exhibendum, & immaculatum ministerium, nec vlllo coniugali coitu violandum cognoscitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiã ab ipso consortio coniugali sacri ministerij gratiam recepistis. Epiphanius etiam sophistarum numero erit acribendus. Sic enim ille. Etenim re vera, non recipiebat sancta Dei vocatio, post Christi aduentum, eos qui à primis nuptiis, ipsorum vxore defuncta, secundis seclè nuptiis copularant. Videlicet propter excellentiam honoris, & sacerdotij. Atque hæc sancta Dei ecclesia, summa cum diligentia inconcussa obseruat. Quid plura? si nos hic sophistæ sumus, patres quoque ecclesiæ vetustissimos, sanctissimosque, eodẽ nobiscum crimine inuoluas necesse est, à quibus hanc nos didicisse Sophisticen vides. Postremum de cœlibatu sophisma nostrum ita recenses. *Cum sacerdotes templum domini spiritusque sacrarium esse debeant, non oportet cubilibus, & impudicitis inservire.* Quod ego cur tibi sophisma videatur, causam nullam præter odium continentiæ video. Nisi enim tam altas, in animis vestris radices, hoc

vitium egisset, vt quidquid à scæda voluptate, ad dignam christiano homine castimoniam, traducere vos posse credatis, mox Sophisticen sapere clameris, nullum hic vquam paralogismum, nullam captiõnem latere quereremini. Quid enim in his verbis non castum, quid non honestum, non sanctum, non diuinis literis, patrũque omnium sententiis maximè consentaneum? Equidem nõ ignoro, honorabile esse connubium in iis omnibus, qui, vt supra ex patribus retuli, pauloque post reperam, suorum corporum potestatem habent, nec se perpetuo continentia vinculo Deo deuouerunt. Verum sacerdotes, qui spreta sanctissimi voti religione, voluptati succumbunt, vt post carnis concupiscentias abeant, cubilibus seruire, & impudicitis rectissimè pontifex dixit, quod tantò in illis est sceleratius, quantò maiorem ceteris hominibus vitæ integritatem seruare eos decet, qui templum domini, spiritusque sacrarium esse debent: Quo sanè argumento, quod tibi sophisma videtur, Tertullianus olim acutissimus vsus est in re non dissimili, vt digamos ostenderet a sacris ordinibus merito arceri. Aram, inquit, Dei mundam pro-
Tertul. lib. 1. ad vxorẽ.
poni oportet. Tota illa ecclesia candida de sanctitate describitur. Sacerdotium viduitatis, & celebratum est apud nationes, pro diaboli scilicet æmulatione. Regem seculi, pontificem maximum rursus nubere nefas,

est. Quantum Deo sanctitas placet, cum illa
 etiam inimicus affectat? non utique ut ali-
 cuius boni affinis, sed ut Dei domini placita
 cum contumelia affectat? Sed de vestro hoc
 voluptario dogmate alias. Nunc alium quem
 nobis obiicis, paralogisimum expendamus.
Singulis gregibus singuli pastores præsumunt, ergo pa-
pan oportet omnibus ecclesiis dominari. Atque hu-
 ius nobis paralogisimi Hardingum Dorman-
 num, aliosque nescio quos authores pro-
 fers. Quorum ego neminẽ eo usum aliquan-
 do fuisse sat scio, immò neque vllum scripto-
 rem catholicum. Quis enim tam rudis est,
 quis tam ignarus, qui dominari pontificem
 ecclesiis debere putet, cum se ipse seruũ esse
 seruorum dei palam profiteatur? Nec imme-
 rito. Non enim ignorat præclaram anteces-
 soris, cuiusdam sui sententiam. Neque do-
 minantes in clero, sed forma facti gregis ex
 animo. Verum ex vno singulorum gregum
 pastore, vnũ quoque vniuersæ ecclesiæ præ-
 esse pastorem debere, catholici illi doctissi-
 me collegerunt. Vbi tantum abest, ut para-
 logisimum tu aliquem ostenderẽ queas, ut
 nulla esse demonstratio maior possit. Etenim
 si non minus ex plurimis gregibus, in vnum
 coeuntibus vna quædam vniuersalis ecclesia
 efficitur, quam ex multis hominibus conuo-
 catis ecclesia particularis coalescit. Confen-
 taneum profectò est, ut quemadmodũ par-
 ticularis ecclesia vna esse non dicitur, nisi que

1. Petri, 5.

vni pareat pastori, ita neque vniuersalis, nisi
 suum quoque pastorem vnum habeat, eccle-
 sia dici vna queat. Neque vllò vnquam whi-
 takere argumento efficies, singulis ecclesiis
 non nisi singulos esse pastores præficiendos:
 quin eodem, toti quoque ecclesiæ suum esse
 concedendum pastorem, vel inuitus fateri
 cogaris. Est enim illud vestrum perfugium
 sanè vanissimum: vniuersalis ecclesiæ Chri-
 stum esse pastorem, ut alio nihil sit opus, cum
 & singularũ quoque ecclesiarum, pastorem
 esse Christum nemo ignoret, quas tamen id-
 circo suo quamque pastore esse priuandas,
 ne vos ipsi quidem dicere audetis. Iam quod
 primos huius argumenti authores, Hardin-
 gum Dormannum aliosque nostræ ætatis
 scriptores, appellas, vel impostorem te esse,
 vel certè in veterum authorum monumentis
 nouum planè ostendis. Apud quos nihil pe-
 nẽ frequentius occurrit, cum de ecclesiæ vni-
 tate loquuntur, quam ad eam conseruandam
 vnus esse pastoris curam planè necessariam.
 Inter duodecim (inquit Hieronymus) vnus
 eligitur, ut capite constituro, schismatis tol-
 latur occasio. Et Cyprianus. Vt vnitatem
 manifestaret (Christus) vnã cathedram
 constituit: & vnitatis eiusdem originem, ab
 vno incipientem, sua autoritate disposuit.
 Et Irenæus. Ad hanc enim ecclesiam (de Ro-
 mana loquitur) propter potentiolem prin-
 cipalitem, necesse est omnem conuenire,

Hier. cont.
 Iouin.

Cy. de vnit.
 ecclesiæ.

Iren. lib. 3.
 c. 3.

ecclesiam. Quid plura? An non eandem tu (nisi forte Puritanus repente euasisti) disserendi rationē, cum tuis illis collegis sequeris, dum ministris pluribus, vnum episcopum, episcopis archiepiscopum, archiepiscopis denique primatem: ac tandem omnibus, non ministris modò, sed & episcopis, archiepiscopis, primatibus, vnam Angliæ Reginam præficias, quæ totius vestræ ecclesiæ caput existat. Neque aliter profectò vnam esse ecclesiam posse Anglicanam existimas, nisi ministrorum vniuersa colluies, vni vestræ Reginæ tanquam capiti adhærescat. Quid igitur? Gebennensis ecclesia, & Anglicana vna esse non poterunt, nisi vnum in terris caput habeant? vel certè si poterunt: neque singulæ apud vos ecclesiæ, vt iure sibi vnitatis nomen vendicent, vnum habeant pastorem erit necesse, vel denique longè aliter, ecclesiæ omnes Anglicanæ, vnam efficiant ecclesiam, quam Anglicana ac Gebennensis, quas vni non parere capiti certum est. Firmissima est igitur catholicorum ratiocinatio. Si vna dici ecclesia quælibet, nisi vnum habeat pastorem, non possit: Neque tota certè ecclesia catholica, nisi vni in terris capiti, ac pastori obtemperet, vna iure vocabitur. Cuius quidem argumenti vim si nondum satis intelligis, multis ego exemplis tibi faciliè explanarem, nisi me Caluini tui acumen scilicet maximum deterreret: qui argumenta huiusmo-

di ex aliarum rerum similitudine petita irridet. *Apes* (inquit ille) *non ex toto orbe cõfluunt, vt regem summum eligant: suis aluearibus contenti sunt reges singuli. Itaque in grubus vnaqueque ceterua proprium regem habet.* Sed animaduertere egregius disputator debebat, non ex pluribus alueariis, vnum confici, vt ex ecclesiis omnibus vna, efficitur vniuersalis ecclesia. Alius iam paralogismus sequitur. *Petro Christus dixit, Pascere oues meas, ergo Petrus est summus, ac princeps pastor ecclesiæ.* Quem tu hic paralogismum inueneris equidem haud scio. Neque enim clarioribus Christus, atque apertioribus verbis principem, vt vocas, ac pastorem ecclesiæ Petrum constituere potuisset. Nam si, quemadmodum & Patres hunc locum explanarunt, & tota contextus series, locique circumstantiæ aperte indicat, non alia de causa, Christus à beato Petro, nū ipsum plus cæteris amaret, est percontatus, quàm vt suarum illi ouium curam committeret: móxque audito Petri tam constanti, plenòque amoris respõso, Christus addidit, pascere agnos meos: efficitur profectò, cum de maiori Petrum amore interrogaret, maiore illi quoque in pascendis ouibus, auctoritatem tribuere Christum voluisse, adeoque ecclesiæ totius suæ caput, ac fundamentum eum constituere, quod se facturum, iam antea promiserat. Et quidem si apostolos, Christi oues fuisse negare nemo potest, eorum etiam pa-

Lib. 4. cap. 6. sect. 8.

Matth. 16.

storem Petrum, ac caput fuisse consentaneū est. Sed vos sat scio, ipsos potius apostolos, ouium Christi numero eximetis, quàm vt iis Perrum fuisse præfectum, ac pastorem à domino constitutum largiamini: quippe quibus nihil esse iucundius potest, quàm sublato omni ordine, quem ascensurus in cælum, Christus etiam inter Apostolos esse voluit, ἀναρχῶν quandam inducere, vt ecclesias singulas, singuli conuocarent apostoli, quæ nullo inter se vnitatis, nullo societatis vinculo iungerentur. Sed ne solos hic nos sophistas putes, eodem certè sophismate, summam

Orig. in ca. 6. ad. Rom. Origenes ecclesiæ auctoritatem Petro diuinitus fuisse concessam concludit. Petro (in-

quit) cum summa rerum, de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum, velut terram

fundaretur ecclesia, nullius confessio virtutis alterius, nisi charitatis exigitur. Eodè Chry-

Chrysof. li. 2. de sacerdot.

sofomus, qui de hac Christi interrogatione, Petrique responsione in hunc modum scribit. Interrogat discipulum magister, num ab

eo ametur, vt nos doceat, quantæ sit sibi curæ gregis huius præfectura, pauloque post

addit. Christum sanguinem fudisse suum, vt oues sibi acquireret, quarum curam cum

Gregor. lib. 4. epist. 32.

Petro, cum Petri successoribus committat. Eodem denique Gregorius ille magnus, cum ait. Cunctis enim euangelium

scientibus liquet, quod voce dominica, sancto & omnium apostolorum Petro principi

apostolo, totius ecclesiæ cura commissa est, ipsi quippe dicitur, pascite oues meas. Atque vt finem aliquando faciam, eodem cum cæteris patribus, sophismate Bernardum vt nihil puduit: cum ad Eugenium in hæc verba scriberet. Habent illi (episcopos intelligit alios) assignatos sibi greges, singuli singulos: tibi vniuersi crediti, vni vnus. Nec modò ouium, sed & pastorum, tu vnus omnium pastor. Vnde id probem quæris? Ex verbo domini. Cui enim, non dico episcoporum, sed & apostolorum, absolutè, & indiscrètè, totæ commissæ sunt oues? Si me amas Petre, pascite oues meas. Hi nimirum ceterique patres, quos enumerare prolixitas veret, Sophistæ omnes fuere, solus verò σὸς Guilielmus whitakerus. Sed illud forte Sophisma, apertius est quàm vt defendi à quoquam possit. *Fecit dominus duo magna luminaria, Solem ac Lunam, ergo Papa imperatorem, splendore, ac magnitudine superat.* Quæ pontificis verba dum profers, nihil in te esse ingenij video whitakere, candoris etiam minus. Non enim hoc quasi argumento pontifex, dignitatem pontificiam imperatoris præferre nititur: Sed cum firmissimis illud rationibus iam præstitisset, explicanda veluti rei gratia, solis illa lunæque similitudine vsus est, eaque perquam idonea. Nosse (inquit) debueras, quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cæli, luminare maius, vt præficeret

Lib. 2. ad Eugen.

De maior. & obed. ca. solita.

diei, & luminare minus, vt præesset nocti. Vtrumque magnum, sed alterum maius. Ad firmamentum igitur cæli, hoc est vniuersalis ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria, id est duas instituit dignitates, quæ sunt pontificalis autoritas, & regalis potestas. Sed illa quæ præest diebus, id est spiritualibus maior est, quæ verò carnalibus minor, vt quæta est inter Solem & Lunam, tanta inter pontificem & reges differentia cognoscatur. Quid hac similitudine elegantius? quid ad id quod de agebatur accommodatius? Cum & imperium ipsum Romanorum suscepta Christi fide, non secus ac solis luce, splendorem Lunæ creuisse, historiæ referant, & sancti ecclesiæ patres non tacuerint. Nam & Nazianzenus, prudenter regioque planè animò considerasse Constantium imperatorem ait, cum christianorum rebus, Romanorum res simul creuisse, simulque cum Christi aduentu, imperium fuisse ingressum, cum nondum prius hoc euicisset, vt in vnius principatum planè deueniret. Quin & solis instar latius pontificis quam Imperatoris autoritas manauit. Gratia, inquit Prosper, Christiana non contenta est eosdem limites habere quos Roma, multosque iam populorum sceptro illa subdidit, quos armis suis ista non domuit. Quæ tamen per apostolici sacerdotij principatum, amplior facta est arce religionis, quam solio potestatis. Quod idem & eleganti

Naz. orat. 1.
in Iul.

Prosper lib.
2. de vocat.
gent.

eleganti certè carmine expressit.

*Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris,
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet.*

Et Leo pontifex de ingenti illo beneficio verba faciens, quod Romæ Deus, per Petri & Pauli prædicationem concessit: Isti sunt (inquit) qui te ad hanc gloriam prouexerunt, vt gens sancta, populus electus, ciuitas sacerdotalis & regia, per sacram beati Petri sedem, caput orbis effecta, latius præsideres religione diuina, quàm dominatione terrena. Quamuis enim multis aucta victoriis, ius imperij tui, terra marique protuleris, minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit. Hæc tu atque huiusmodi alia, apud optimos quosque authores passim obuia si Paulo tecum attentius considerasses, non tam temerè opinor, aptissimam similitudinem, paralogismi nomine appellasses. Insignis verò tua est, in alio paralogismo impudentia. *Hic sunt duo gladij, ergo Papa virumque gladium gestare debet.* Tuus enim hic est, quem fingis, non catholicorum differendi mos. Nos ex hoc diuinæ scripturæ loco, nihil aliud colligimus quàm quod olim Bernardus expressit, qui certè longè quàm tu doctius ratiocinatur. Quid tu denuo (inquit) vsurpare gladium tentes, quem semel iussus es ponere in vaginam. Quem tamen qui tuum negat, non sa-

In carm. cæ
tra ingratos

In serm. de
anniuers.
assump. suq.

Ber. lib. 4.
ad Eugen.

- Ioan. 18. tis mihi videtur, attendere verbum domini,
 „ dicentis sic, Conuerte gladium tuum in va-
 „ ginam. Tuus ergo & iple, tuo forsitan nutu,
 „ & si non tua manu euaginandus. Alioquin si
 „ nullo modo, ad te pertineret & is: dicentibus
 Luc. 22. apostolis, Ecce duo gladij hic, non respon-
 „ disse dominus, Satis est, sed, Nimis est. Vter-
 „ que ergo ecclesiæ, & spiritalis scilicet gla-
 „ dius, & materialis. Sed is quidem pro eccle-
 „ sia, ille verò & ab ecclesia exerendus est. Ille
 „ sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nu-
 „ tum sacerdotis, & iussum imperatoris. In quâ
 Aug. epist. 48. sententiam & Augustinus. Seruiunt reges
 Christo (inquit) leges ferendo pro Christo.
 Epist. 50. Et rursus. Quod enim dicunt qui leges iustas
 „ constitui nolunt, non petisse à regibus terræ
 „ apostolos talia: non considerant aliud fuisse,
 „ tum tempus, & omnia suis temporibus agi.
 „ Paulòque post. Quomodo ergo reges ser-
 „ uiunt domino, in timore, nisi ea quæ contra
 „ iussa domini fiunt, religiosa seueritate pro-
 „ hibendo, atque plectendo, aliter enim seruit
 „ quia homo est, aliter quia & rex est. Quia
 „ homo est, ei etiam seruit viuendo fideliter,
 „ quia verò etiam rex est, seruit leges iusta præ-
 „ cipientes, & contraria prohibentes, conue-
 „ niente vigore sanciendo, sicut seruiuit Eze-
 4. Reg. 18. & 22. chias, Lucos & templa idolorum, & illa ex-
 „ cella, quæ contra præcepta Dei fuerant ex-
 „ tructa destruendo: sicut seruiuit Iosias, & ta-
 Ionæ. 3. lia ipse faciendo: sicut seruiuit Rex Niniuita-

rum, ad placandum dominum compellendo: „
 sicut seruiuit Nabuchodonosor, de quo iam Daniel 4.
 diximus, omnes in regno suo positos, à blas- „
 phemando Deo, lege terribili prohibendo. „
 Denique, vt hunc locum cum eodem Augu- „
 stino concludam: Sacerdotes, ab imperatori- „
 bus christianis, auxilium petunt, non tam sui „
 vlciscendi causa, quàm tuendæ ecclesiæ sibi „
 creditæ. Quantum enim lex illa Theodosij „
 de mulcta hæreticis irrogāda, vt de seuerio- „
 ribus aliis nihil dicam, catholicæ ecclesiæ „
 profuerit rei exitus abundè declarauit. Cùm „
 igitur vtroque gladio ecclesia eo quo dixi- „
 mus modo vtatur, quis tam mentis omnis, „
 ac rationis est expers, qui ad hanc rem osten- „
 dedam illa euangelij verba: Ecce duo gladij „
 hic, rectissimè à Bernardo aliisque vsurpari „
 neget? Vt taceam hoc loco, vtrumque vos „
 gladium reginæ vestræ, nullo neque iure, ne- „
 que verèis historiæ exemplo, sed perniciosis- „
 sima adulatione concessisse. Quis enim ali- „
 quando spiritalis gladij functionem, mulieri „
 tributam audiuit, cui nec loqui in ecclesia „
 Paulus permisit? Eleganter sanè Chryso- „
 stomus. Cùm de ecclesia Dei credenda huic, Chryso- „
 st. ii. vel illi, tam multarum animarum cura agi- 2. de sacer- „
 tur, vniuersa quidem muliebris natura, fun- „
 ctionis istius moli, ac magnitudini cedat „
 oportet. Nec iniuria profectò, cùm ne ipsis „
 quidem regibus ac imperatoribus, ecclesia- „
 sticas sibi functiones vsurpare licuerit.

33. Ambrosius imperatorem monuit. Noli te
 grauare, Imperator, (inquit) vt putes te in ea
 quæ diuina sunt, imperiale aliquod ius habe-
 re. Noli te extollere, sed si vis diutius impe-
 rare, esto Deo subditus. Scriptum est, quæ
 Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. Ad imperato-
 rem palatia pertinent, ad sacerdotem eccle-
 siæ: publicorum tibi mœnium ius cõmissum
 est, non sacrorum. Neque minus eleganter
 Nazianzenus. τοῖς βασιλεῦσιν ἔθελον εἶναι,
 παρὰ τοῦ πᾶσι εἰς τὸ ἡμέτερον. Idemque opti-
 mi quique imperatores ac reges summa sem-
 per religione obseruarunt, vt ex celeberrimo
 Constantini imperatoris, in Synodo Ni-
 cœna exemplo, innumerisque aliis constat.
 Addis deinde paralogisimum alium. *Non est
 seruus supra magistrum suum, ergo nulli fas est Pa-
 pam accusare, aut reprehendere.* Nullumne ali-
 quãdo calumniandi finem facies whitakere?
 Quis enim catholicus vel scripsit vnquã, vel
 docuit, summum à nemine pontificem posse
 reprehendi, cùm Petrum ipsum à Paulo re-
 prehensum fuisse omnes intelligãt? Pius verò
 Romanus pōtifex, longè quàm tu fingis alio
 sensu hæc euangelij verba vsurpauit. Non
 enim de Romano ille Pontifice, sed de om-
 nibus omnino episcopis loquitur, quos cum
 à suis accusari ouibus, meritò posse negat,
 illorum tantummodo audaciam coereret,
 qui sceleribus ipsi, licet plurimis onusti,

In orat. de
 Patre.

Ad Gal. 2.

pastores tamen suos, atque episcopos, vel
 ex sola suspitione accusare non vereban-
 tur. Quod nefas esse pontifex sapienter re-
 spondit, cum non sit discipulus supra magi-
 strum, nec ob solam suspitionem accusari
 se ab episcopis, vel laici ipsi equo animo pa-
 tiantur. Esset autem & discipulus supra ma-
 gistrum, & supra pastorem ouis, si quod epi-
 scopis subditi in se licere nolunt, id sibi in
 illos fas esse existimarent. Merito igitur,
 pius pontifex reprobare ait oportere eorum,
 redargutiones, qui in recta fide suspecti sunt.
 Et paulo post: omnem huiusmodi suspicio-
 nem expellendam esse potius, quàm appro-
 bandam, vel recipendam decernit. Ex qui-
 bus illud sanè perspicuum est, non ideo
 pontificem subditis accusandi episcopi fa-
 cultatem negasse, quod non sit discipulus
 supra magistrum, vt tu inuidiosè criminaris,
 sed quod iniquum planè sit, minimeque fe-
 rendum, vt pastorem, aut episcopum, ex sub-
 ditis aliquis nulla vitæ ac morum integritate
 spectatus, suspitionibus nescio quibus, pro
 suo arbitrio oneret. Tu verò si in ea esse sen-
 tentia catholicos putas, nulli vt credant in-
 ferioris notæ homini licere episcopum accu-
 sare, toto, quod dicitur cælo aberras. Quo
 errore vel solus te diuus Thomas, si eum cõ-
 suluisses, facile liberasset. Subditi (inquit) 2. q. 78.
 p̄latos suos accusare prohibentur, qui
 non affectione charitatis, sed sua prauitate,

- vitam eorum diffamare, & reprehendere
 D. Th. 2. 2. quærunt, vel etiam, si subditi accusare vo-
 q. 78. art. 1. lentes, fuerint criminosi: alioquin si fuerint
 „ aliàs idonei ad accusandum, licet subditis,
 „ ex charitate suos prælatos accusare. Et qui-
 dem si ecclesiasticas sanctiones, legere vel va-
 casset tibi, vel certè libuisset, ignorare haud
 posses, episcopos non accusari modò, verum
 etiam damnari aliquando posse, maior licet
 2. q. 4. & 7. in eorum causis, quàm inferiorum hominum
 numerus testium, iure requiratur. Quod tibi
 si forte mirum videatur, recordare obsecro,
 prohibere apostolum, ne aduersus presbyte-
 rum accusatio vlla, nisi sub duobus vel tribus
 1. Timot. 5. testibus admittatur, cum in aliis, vel vnus
 sufficiat: De Romano verò pontifice, quem
 hic tu potissimum videris velle perstringere,
 idem tibi hoc loco responsum puta, quod
 centum illi, & octoginta episcopi Marcello
 olim Romano pontifici responderunt. Qui
 cum profusis lachrymis, cilicio indutus,
 scelus ipse suum magno cum animi dolore
 aperuisset, hoc ab episcoporù cœtu audiuit.
 „ Tuo te ore, non nostro iudicio iudica. Nam
 „ prima sedes, à nemine iudicatur. Petrù quo-
 „ que propter eandem animi infirmitatem, de-
 „ liquisse, & à Deo similibus lachrymis veni-
 „ nam impetrasse clamarunt. Atque hæc de
 pontifice dicta sufficere poterant, nisi tu im-
 placabili in eum ira, atque odio, qui sectæ
 vestræ genius est, furere pergeres. Addis

igitur pro Paralogismo alio. *Christus precat-
 tus est, vt Petri fides non deficeret: ergo Papa er-
 rare non potest.* Quid verò hic sophisticum
 whitakere, quid non firmissima ratiocina-
 tione conclusum inuenies? Cum enim ascē-
 surus in cælum Christus, ecclesiæ suæ caput,
 suumque in terris vicarium Petrum consti-
 tuerit, quid aliud illa ad patrē oratione eū pe-
 tuisse credibile est, quàm vt sui fides vicarij
 nullo vnquam tempore deficeret? Quæ enim
 esset ecclesiæ Christi stabilitas, quod robur,
 quæ constantia, si tam infirmo niteretur fun-
 damento, quod quolibet hæresum vento,
 quolibet turbine, concuti, atque eueri pos-
 set? Aut quis vnquam vir prudens, domum si-
 bi ædificaturus quam in multos duraturam
 annos speraret, tam parum esset de fundamē-
 to sollicitus? Nisi ergo minus rectè Christū
 ecclesiæ suæ consuluisse, nec illius firmitatem
 prorsus curasse dicamus, quo nihil dici ab-
 surdus, nihil magis impium cogitari potest,
 non Petro tantum, sed omnibus omnino Pe-
 tri successoribus, suis nimirum vicariis, fidei
 illum stabilitatem à patre impetrasse fatea-
 mur, nullumque hîc paralogismū, sed aper-
 tam demonstrationem agnoscamus. Pro Pe-
 tro Christus, vt vicario in terris suo, patrem
 rogauit, vt non deficeret fides eius, neque ro-
 gauit modò, sed pro sua etiam reuerentiâ, à
 patre est exauditus: Christi igitur vicarius, in

fide errare non potest. Cuius certè demonstrationis vim, & prisci illi ecclesiæ patres, satis perspexerunt, qui ab hac fidei Petra, ecclesiæ ipsius in fide constantiam pèdere, ac firmitatem minimè dubitarunt. Saluator cum pro se, & Petro, didrachmam dari iubet, (inquit Augustinus) pro omnibus soluisse videtur, quia sicut in saluatore erant omnes causæ magisterij, ita & post saluatore, in Petro omnes continentur. Ac paulo post, Rogans enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur. Semper enim in prapostito populus, aut corripitur, aut laudatur. Et Cypr. epist. 55. Post ista, adhuc insuper pseudo episcopo sibi ab hæreticis constituto, nauigare audent, & ad Petri cathedram, atque ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est, schismaticas, & profanas literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides, apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum. Neque minus disertè Leo. Specialis à domino Petri cura suscipitur, inquit, & pro fide Petri, propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. Bernardi verò clarissima est his verbis expressa sententia. Oportet ad vestrum referri apostolatam, pericula quæque, & scandala emergentia in regno Dei, præsertim quæ de fide cõtingunt.

Aug. lib. q.
ver. & noui
test. q. 75.

Cypr. epist.
55.

Serm. 3. in
anniuers.
assumpt.

Bern. epist.
190.

Dignum namque arbitror, ibi resarciri damnata fidei, vbi non potest fides sentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est, Ego pro te rogavi Petre, vt non deficiat fides tua: Ergo quod sequitur, à petri successore exigitur. Et tu conuersus, confirma fratres tuos. Quæ sanè Christi verba si nihil ad Petri successores pertinere, persuasum sibi patres aliquando habuissent, non tam crebro, tamque diligenter, ex variis Christiani orbis partibus, Romanipontificis, de grauissimis rebus sententiã quaerissent: Quod eos fecisse vel illa nobis Hieronymi verba ostendunt, quibus se in Chartis ecclesiasticis Damasum Romanæ vrbis episcopum, iuuisse ait, vt orientis, atque occidentis Synodicis consultationibus responderet. A pontifice iam ad priuatas, quas vocas, missas transis, & mirificum nobis paralogismum proponis. *Populus* (inquis) *ad cœnam dominicam raro, & negligenter accedit. Ergo sacerdos potest priuatas missas celebrare.* Quo loco vt omittam, quod supra satis ostendi, missam nobis priuatam esse omnino nullam, illud tibi tantum respondeo, quod & supra attigisse videor: nihil esse iniquius, nihil ab omni ratione alienum magis, quàm vt tam sanctum hoc, tamque excellens missæ sacrificium, quod ab ortu solis, vsque ad occasum propheta Deo offerendum prædixit, minus frequenter ecclesia offerat, tantâque spõ-

Hieron. in
epist. ad Ge
rouiam.

Mal. i.

si sui obliuione tangatur, vt tam expressam mortis illius memoriam intermitterat, ac tam salutari huius sacrificij fructu priuaretur, quòd populus, quacunq; tandem de causa, à sacrosancta corporis, & sanguinis Christi cõmunionẽ abstineat. Quod & tu ipse profecto nõ grauatè fatereris, neque vllum hic sophisma videres, si vel Malachiaẽ prophetaẽ crederes, vel verum hoc sacrificium, illiusque fructum esse vllum agnosceres: quod vtrumque catholica semper ecclesia constanter credidit. Ac vt satis iam multa de hac re tibi etiam supra respondiisse videor, ita alterum illum paralogismum, quem nobis tuo more tribuis silentio possem prætermittere. *Christus solos Apostolos adhibuit ad cœnam: ergo soli sacerdotes debent integrum sacramentum percipere: populum altera tantum parte, contentum esse oportet.* Communionem enim sub altera sacramenti specie, non modo Christi instituto minime repugnare, sed sapientissimè ab ecclesia, variis de causis esse institutam ostendi. Verum hic tu mihi adeo delirare videris, vt nisi vtranque sacramenti speciem populus sumat, integrum ab eo sacramentum sumi, non existimes: cuius certè erroris, regium pudere professorem merito deberet. Non enim diuisus est in sacramento Christus, vt vel corpus sine sanguine, vel sanguis sine corpore, sub vtrauis sumi specie possit. neque vero ad catholicum, sub altera tantum specie,

communicandi morem, à vestris calumniis asserendum, ita ratiocinamur, vt tu malitiosè admodum fingis. Sed tantum ex hoc Christi facto, quo suum ipse sanguinem sub vini specie, apostolis dedit, Christianis omnibus, illius sumendi præceptum esse aliquod à Christo datum, rectè à vobis colligi negamus. non enim exemplis, vt est apud Iurisperitum, sed legibus iudicandum est. Nullum ergo nos hic paralogismum facimus, sed à vobis factum refellimus: Quid enim magis esse sophisticum potest, quàm quia Christus in cœna vltima dixit, Bibite ex hoc omnes, Christianis omnibus præceptum affirmare, vt ex calice bibant? quod tamen maximi vos argumenti loco ducitis. Etenim cùm solos apostolos Christo hæc dicenti adfuisse, ne ipsi quidem Calviniani negare possitis, qua quæso fronte, quod illis à Christo dictum est, ad omnes omnino dictum esse contenditis? Illis ergo verbis, Bibite ex hoc omnes, nullo præcepto Christianos omnes ad calicem percipiendum Christus astrinxit, quemadmodum nec vetuit sanè, ne calicem perciperent, sed hoc ecclesie iudicio, pro varia temporum, ac personarum ratione disponendum reliquit. Cuius rei, & in typico illo legis mosaicæ sacrificio, vmbra præcessisse aliquam cernimus. Nam tametsi præceptum erat, vt ex agno typico omnes vescerentur, nullum tamen vini tunc sumendi, qui Christi sangui-

Matth. 26.

nis figura erat, præceptum à deo datum fuisse perspicuum est, sed cuique vel vinum sumere, vel à vino abstinere licuisse: nisi forte, grauitè in hoc agni typici ritu peccasse Rechabitas dicamus, quos abstemios fuisse, & tamen ipsius Dei voce laudatos scimus. Sed de hac re nimium fortasse multa diximus, præsertim tam plana atque perspicua, vt nisi ab impudentissimis hominibus negari non possit. Non enim abs re Lucas Christum, porrecto ià apostolis corpore suo dixisse refert, Hoc facite in meam commemorationem: quod ad corporis, cum oblationem, tum distributionem pertinebat, vt omnes nimirum Christiani corpus sibi dominicum sumendum intelligerent: de sanguine nihil à Christo huiusmodi dictum expressit. Quin & Paulus ipse cum sacrosanctæ Eucharistiæ institutionem commemorat, ita Christum esse loquutum refert, hoc facite quotiescunque bibetis, in meam commemorationem: vt intelligerent nimirum Corinthij, nullo se sumendi calicis præcepto teneri, sed vt eum quoties sumerent, non profano more, sed ad mortis Christi recordationem perciperent. Iam quod de precibus ecclesiasticis, latina tantum, græca, vel hebraica lingua recitandis calumniaris, adeo perspicue falsum est, vt ne responsione quidem indigere videatur. Quis enim catholicum vllum sic aliquando differentem audiuit? *Titulus quem cruci Pilatus*

1. COR. 2.

affixit, Hebraicè, Græcè, Latinè inscriptus est, ergo preces ecclesiasticæ, nullo sermone, nisi vel Hebraicè, vel Græco, vel Latino, recitandæ sunt. Quod tu tamen nobis affingis. Verum cum non rationibus modo grauissimis, sed perpetuo, etiam totius ecclesiæ vsu catholici ostendant, publicas ecclesiæ preces non barbaro cuiusuis prouinciæ idiomate, sed iis tantum linguis quæ cæteras antiquitate, celebritate, ac dignitate longissimè antecellunt: eas esse hebraicam, græcam, ac latinam, ex ipsa crucis Christi inscriptione probant. Cui enim dubium esse potest, non vacasse mysterio, triplicem hanc crucis Christi inscriptionem, tanta præsertim diligentia in diuinis ipsis litteris expressam? Aut quis non facillè intelligat, satis eo facto significatum fuisse, illis potissimum linguis, crucis trophæum, in gentibus maxime illustrandum, adeoque has linguas, summo apud omnes populos in honore ac pretio habendas, quod vel ipse te euentus rei docere potuisset, nisi animum haberes entusiasmo nescio quo ita occæcatum, vt nulla, ne in profundissimis quidem scripturæ locis, latere mysteria videas. Longè profectò rectius Augustinus, ex eadem hac crucis Christi inscriptione, contra Arianos retinendum esse nomen *ὁμοῦσιον* probat. Aug. epist. 178. Ac deinde, sciendum est (inquit) Amen & halleluia, quod nec latino, nec barbaro licet in suam linguam transferre, hebræo cunctas

gentes vocabulo decantare. Non enim in Africa, aut in cuncta barbaria, sed in Syria vel Græcia, ubi & ipsa caro voluit de virgine nasci dominica, decuit, vel oportuit, verba fidei compendiosè firmare. denique non latino, non barbaro stylo, venerandus ille ^{MOY} *ses*, non propheta, non apostoli, non ipsi euangelistæ, sed aut hebræo aut Græco scripturas eloquio dominicas firmauerunt, quas postea viri probati, ac disertissimi, in omnibus periti linguis, de hebræo primitus in Græco, de Græco in Latino stylo edisserere cum labore nimio maturarunt. Et suprâ communem ecclesiæ Christi morem argumenti loco contra Arianos, ad probandam vocem *ὁμοούσιον* affert, quod misericordia a Deo vel hebraica, vel Græca, vel latina denique lingua petatur. Ergo hæc misericordia, inquit, ab ipso vno Deo, Patre, & filio, & Spiritu sancto, lingua debet hebræa, vel Græca, & ipsa ad postremum postulari Latina, non autem Barbara. Cernis opinor whitakere, præcipuas Augustino linguas videri, in quibus crucis Christi inscriptio, diuino sanè consilio affixa est. Ad alium igitur paralogismum veniamus. Non

Matth. 7.

oportet quod sanctum est dare canibus, ergo populus à scripturis legendis, prohiberi debet. Quo loco nullius ego alterius paralogismum, quàm tuum agnosco. Non enim nos populum, à sacrarum literarum lectione arcendum dicimus: & si non passim omnibus, ac sine dis-

crimine, sacrosancta illa diuinarum scripturarum mysteria, committenda iudicamus. Christian. Est enim hoc saluberrimum Aug. consilium, ^{cap. 33.} vt fidei simplicitate & sinceritate lactati, nutriamur in Christo: & dū parui sumus, maiorū cibos non appetamus. Quibusdam enim, ^{1. Cor. 3. ad} apostolo teste, lacte opus est, aliis solido cibo: ^{Hebr. 5.} & Christus ipse, aliis quidem aperte, aliis nō ^{10a. 16.} nisi in parabolis, loquutus est. Quod si Chrysostomum in illud Christi Scribentem legis. Nolite dare sanctum canibus, neque mit- ^{Chrysost. in} ratis Margaritas vestras ante porcos, non ^{cap. 7.} ignorares profectò, porcorum, canūque ^{Matth.} nomine, carnales homines, animales, atque hæreticos esse intelligendos, quibus ille cum sublimia fidei Christianæ mysteria, nefas esse aperire affirmet, quanto minus scripturas sanctas iisdem nullo discrimine tradendas cēseret? Nec immeritò profectò scripturam sacerdotalem librum Ambrosius ap- ^{Amb. lib. 2.} pellauit. Non enim ignorabat, sacerdotis ^{ad gratianū.} esse ex sacris literis, quantum cuique vtile est, rudi præsertim, atque sensus minus adhuc exercitatos habenti, decerpere, & quasi delibare, ob eamque causam pastores atque doctores ecclesiæ in canticis canticorū dentes à spiritu sancto vocari Aug. scriptum reliquit. ^{Aug. lib. 3.} Mādunt enim rudioribus Christianis, veluti ^{de doct.} pueris salutaris doctrinæ cibum, & cuique ^{Christ. ca. 3.} eam quam vires ferant mensuram distribuūt ^{Lucæ. 11.} Fideles nimirum dispensatores, & pruden-

res quos cōstituit dominus super familiā suā, vt det illis in tempore tritici mensuram. Sed iam ad Eucharistiam redis, & paralogismum scilicet nostrum, tam vobis omnibus inuisum proponis. *Hoc est corpus meum: ergo panis in corpus Christi conuertitur.* Quis vero hic paralogismus est? aut quæ firmiter esse, ac solidior ratiocinatio potest. Etenim si quod apostolis Christus dedit, suum ipsius corpus fuisse ipse testatur, panis certè esse non potuit, ex quo illud necessario efficitur, panem illum quem Christus in manus sumpsit, diuinorum verborum vi, & efficientia, in illius corpus transmutatum fuisse? Accipite (inquit Christus) & comedite, *Quid tandem hoc,* (totam nimirum quam manibus tenebat substantiam demonstrans), est corpus meum. Quid his verbis apertius dici potuit quæ eodem quo nos iam sensu, catholica Christi ecclesia perpetuo intellexit. Neque satis mirari possum in mentem tibi non venisse, in quam absurdam Lutherus, quamque prodigiosam hæresim, ex huius rationis ignorantia, incidit. nā eum verum Christi corpus in eucharistia esse crederet, ne transubstantiationē, quæ ex eo necessario sequitur, admittere, cogeretur, *Non modò credo* (inquit) *corpus Christi esse in pane, sed & panem esse corpus Christi.* Quid obsecro stultius: quā disparatorum, vt dialectici appellant, alterum dici de altero: ac si quis lignum esse lapidem, aut

Luther. de
capt. babil.

murem

murem elephantum diceret. Vidit hoc certè Caluinustus, vidit & Beza, qui eodem argumento, quod tu paralogismū appellas, Lutheranos vehemēter presserunt. Neque enim aliter, Christi corpus proprie sumi, in iis verbis posse ostenderunt, hoc est corpus meum, nisi transubstantiatio concedatur. Quamobrem vel tuis ipsis magistris iudicibus, non paralogismus hic; sed demonstratio clarissima est. Illa Christi verba, *Hoc est corpus meū,* absque vlla figura in proprio sensu natiuoque, verissima sunt, ergo panis in Christi corpus transmutari fatendum est. Quia vero adorandam esse eucharistiā Caluiniani negatis, aliū deinceps, eiusdem sanè generis paralogismum recenset. *Adorate scabellum pedum eius: ergo sacramentum adorandum est.* Qui si paralogismus est, non à nobis sanè inuentus, sed à beato Ambrosio, & tuo quantus quantus est, In psal. 8 Augustino vsurpatus est. Ambo enim scabelli nomine, Christi in eucharistia carnē intellexerunt. Neque quidquam sanè probabilius vos ipsi afferis. Nam quod de testamenti arca estis commenti, quis huic doctissimorum patrum tam piæ, tanquam catholicæ interpretationi, nō dico anteponat, sed vel æquādum vel etiam conferendum putet? Quis verò tantam Galuinianorum ignorantiam, non admiretur, qui eucharistiæ adorationē ex hoc loco non sine paralogismo colligi affirmant posse, Arcā verò adorandā, absque vilo para-

T t

logismo sibi videntur concludere, perinde ac si testamenti arca adoranda potius, quã Christi corpus in eucharistia esset. Inuadis deinde Pighium, scriptorẽ catholicam, illique Sophisma hoc tribuis. *Deus non est θεος πολλῆς πτης, ergo neminem designat ad vitam æternam, nisi meritorum ratione.* Cui viro post plurima eaque firmissima argumenta, quibus impiã illam blasphemãque Caluini vestri, de causa reprobationis sententiam, abundẽ confutauit, id ipsum quod tu ais excidisse nihil moramur. Tantum enim abest, vt *θεος πολλῆς πτης* catholici Deũ esse concedant, etiam si vllis absque meritis, ad æternam homines vitam prædestinet, vt in catholicorum academiis, celeberrima sit, omniumque penẽ calculis probata sententia, meritorum præscientiã prædestinationis causam non esse. Et tu si diuum Thomam legisses, huius quẽ affers paralogismi solutionem, facile vidisses. Neque propter hoc (inquit) est inæqualitas apud deũ si inæqualia non inæqualibus præparat, hoc enim esset contra iustitiæ rationem, si prædestinationis effectus ex debito redderetur, & nõ daretur ex gratia. In his enim quæ ex gratia datur, potest quis pro libito suo dare, plus vel minus absque præiudicio iustitiæ: Est & hic paralogismus tuo whitakere iudicio valde ridiculus. *Vngi æros Iacobus iubet, ergo nobis nunc æri perungedi sunt.* Sed vt tibi, tuisque paralogismus sit, præcis certe ecclesię patribus,

D. ch. 1. p. q.
23. art. 5.

vt supra ostẽdimus, non fuit, & nos whitakere istos patrum paralogismos, Caluini Bezaque Syllogismis, libenter præferimus. Sed cũ supra, de huius sacramenti antiquitate, perpetuaq; in ecclesia obseruatione dixerim quod ad tuam imperitiam ostendendã satis esse poterat, illud tantum hoc loco addemus. Si qui aduersa nunc valetudine affliguntur, non minus cum corporis, tũ animę sanitate opus habent, quã cum hæc olim Iacobus scriberet, æquumne tibi videri potest vt tã saluari remedio nulla alia de causa priuẽtur, quã quod luthero, aut Caluino nõ satis arrideat? De altero etiã paralogismo, vt vocas, nihil est cur hic plura commemorem. *Sacramentum hoc magnum est, ergo matrimonium est sacramentũ.* Ad matrimonium enim hæc Pauli verba p̄prie, verẽque pertinere abundẽ iã docui. Quod quidẽ si sacramenti nomine cohonestare apostolus non dubitauit, velim mihi apud se academici diligenter expendãt, quo tu nos iure sophistas appelles, qui quod ex apostolo didicimus, docere alios non dubitamus, simulque illud animaduertant, summis vos in cælum laudibus matrimonium tollere, quoties nefandẽ libidini parrocinari, & incestas monachorum sacerdotumque nuptias defendere libet, cũ vero, vel de mysteriorum sublimitate, quẽ Paulo teste, significat, vel de ipsa quam Christianis coniugibus exhibet gratia, ac sanctitate agitur, nihil eo apud vos abiectius, nihil

vilius posse inueniri. Monasticam nunc vitā denuo insectaris, quam ne quis Ioannis baptistæ, atque Eliæ, sanctissimorum hominum exemplo, cōmendet, paralogismum hic esse exclamas: *Elias, & Ioannes in solitudine vixerunt, Ergo monachorū vitā, ac disciplinam instituerunt.* Verūm, si ob admirabile illi, atque ab omnibus voluptarum illecebris alienam, quam in eremo traduxerūt vitā, in summo apud omnes honore, semper fuerunt, nihil equidē obstare video, quo minus præclarū hominibus monastica vitæ exēplum reliquisse dicantur. Sed quia austerum hoc, atque arduum vitæ institutum molli vestro, ac delicato Epicuri euangelio, tā vehementer repugnat, nemini mirum videri debet, si quotquot illud vel ipsi amplectuntur, vel in alijs admirātūr, atque suspiciunt, nihil aliud vobis quā Iohannistæ videantur. In quo hominum genere, sanctissimi quique atque celeberrimi ecclesiæ patres, vobis erunt numerādi, qui ab illo quem exagitas paralogismo, minimè abhorruerunt. Sicut sacerdotum principes (inquit Chrysostomus) apostoli sunt, sic monachorum principes

Chrysost.
hom. 1. in
Marcum.

Hieron. ad
Eustoch.
Theoph. in
cap. 1. lucæ.

Ioannes baptista est. Et Hier. Huius vitæ author Paulus, illustrator Antonius, & vt ad superiora conscendā, princeps Ioānes Baptista. Et Theophilactus: cū illud Lucæ explanaret
 » Ipse præcedet ante illum, in spiritu & virtute
 » Eliæ: hoc (inquit) de Ioanne dicitur, eo quod
 » eremita fuerit etiam ipse, & vitæ frugalis. Li-

dorus denique eremitas refert ad loca illa deferta, vastasque solitudines, ad Ioannis, atque Eliæ imitationem priscis illis temporibus penetrasse, Quid Augustinum referā, quid Palladium, quid Theodoretum, quid Cassianum, quid Sozomenū, quid Euagriū, quid alios penè innumeros, quibus nihil hoc paralogismo familiarius fuit: cū quibus academici profecto ad hunc modū σοφιστεῶν quam tecū at cū tui similibus φιλοσοφῶν multo esse præclarius, multo que cōsultius iudicabunt. Quē vero de sacramentorum numero paralogismum profers, *Septem sunt peccata mortalia, ergo septē sunt sacramenta*, apud quē legeris, vellem equidem ingenue indicasses, si tamen aliquādo legisti: quod ego vt credā adduci sane non possum, quo magis ingenium tuum, ad huiusmodi calumnias tam prōptum miror. Ignorare enim non potes, quā solida nobis, quā inque certa, ac firma sunt argumēta, quibus septenarium sacramentorum numerum ex diuinis literis, toriusque ecclesiæ cōsensione, perpetuoque vsu probamus. Si quis tamen scriptor catholicus, eo quod affers argumento vsus esset, vel septenario illo apud Salomonē columnarū numero, non tā ille quidem in inuidiā trahendus, quā modeste, grauitateque monendus esset, ne cum aduersus fidei hostes pugnandū fuerit, hoc porrissimum argumentorum genere vteretur, quod non tā reluctātes hæreticos cogere, quā catholicos, iam ea

lib. 12. de diuinis officiis cap. 15.
Aug de Mor ecclesie. cap. 31.
Theodo. in histor. san. patrum.
Cassianus de instit. cæ nob. Sozo. lib. 1. c. 12. 13 & 18. Euagr. lib. 1. cap. 21

Sap. 9.

T t. iij.



quæ fidei sunt firmissimè credētes oblectare interdū potest. Neque vero noua hæc est atque insolens ex analogia differendi ratio, sed vetustissimis etiā doctissimisque scriptorib⁹ admodū familiaris. Ita enim vt reliquos omit-
 tā, Tertul. olim ex duodecim fontibus Elim, apostolorū Christi numerum conclusit. duo-
 decim (inquit) fontes Elim deprehendo, &
 duodecim gemas in tunica sacerdotali Aarō,
 & duodecim lapides ab Iesu de Iordane ele-
 ctos, & in arcam testamenti conditos: totidē
 enim apostoli portendebantur, vt gemæ illu-
 minaturę sacrę ecclesię vestem, vt lapides so-
 lidi fide, quos de lauacro Iordanis verus Je-
 sus elegit, & in sacrariū testamēti sui recepit.
 Ita & Iustinus martyr. quinetiā (inquit) quod
 traditum est, duodecim tintinnabula, è veste
 pōtificis talari suspensa esse, duodecim aposto-
 lorū, à virtute æterni sacerdotis Christi depē-
 dentium, (quorū voce vniuersa terra, gloria,
 & gratia dei, & Christi eius repleta est.) Sym-
 bolū, signūque fuit. Certè si quis vestri simi-
 lis, hereticus duodenarium apostolorū nume-
 rum, vt modo vos sacramentorū septenariū,
 pertinaciter negaret, eadem ille impudentia
 paralogismos patribus obiiceret, haud secus
 quā vos facere soletis, cū septem illis Salo-
 monis columnis, quas sibi diuina illa sapien-
 tia excidit hunc sacramentorū numerum nō
 obscure significatū fuisse docemus. Iā qui se-
 quitur paralogismus, ad imagines pertinet,
 quas veterū iconoclastarū discipuli, vehemen-

Tert. 4. con-
 tia Marcio.

Iustinus in
 dial. -

Proverb. 9.

ter odistis, operæpretium est tamen cernere,
 quā tu hic bona fide ac candidè nobiscum
 agas. Paralogismū esse nostrū ais, Deus cōdi-
 dit hominē, iuxta imaginē suā, ergo imagines
 in tēplis collocadę sunt. Quā difficile est whi-
 takere assuerū calumniis ingeniū tuū ac men-
 daciis ad dignū Christiano pectore cādorē ac
 veritatis amorē, traducere. Adrianus certè pō-
 tifex non tā hoc argumento legitimū esse san-
 ctūque imaginū vsum demonstrat, quā sum-
 pro inde scribendi initio, ex hominis ad Dei
 imaginem creatione ostendit, imaginū vsum
 diuino hoc opere adūbratū fuisse: deinde ve-
 ro præcepisse Moyse Deū, ex sacris literis re-
 fert, vt cherubim fabricaret, plurimisque aliis
 argumētis, sanè firmissimis, imaginum vsum,
 & Dei verbo consentaneum, & Christiano
 populo, cum frequentissimum semper, tum
 etiā saluberrimū fuisse docet. Quę tu omnia,
 quod è re tua minimè essent, prudenter dissi-
 mulasti, & quod obiter pontifex, illustrandę
 rei potius, quā probandę gratia scripsit, tan-
 quam præcipuū illius firmamentū adducis.
 Sed hæc hæctenus: de imaginibus enim quan-
 tum res postulabat, in superiori ratione dixi-
 mus. Ad charitatem nunc ventum est, quæ si
 vobis cordi esset, nunquā illi profecto infe-
 riores, in iustificacione partes, quam fidei tri-
 buerets neque paralogismum hic, sed firmis-
 simā esse rationationē fateremini. *Nunc au-* 1. Cor. 13.
tem manent fides, spes, charitas, tria hæc, maior horū

Adrianus in
 epist. ad
 const.

charitas: Ergo nos charitate magis, quā fide iustificamur. Etenim si nihil in hac vita homini maius, nihil præstātius, nihil optabilius diuino munere concedi potest Christiana illa iustitia, an non tibi consentaneū videtur, vt summū hoc maximumque donū, à præstantissima virtute promanet? Cū ergo, vel Paulo teste, fidem charitas, dignitate, atque præstantia superet, huic certè, quam illi potius iustitia tribuenda est: præsertim cum fides sola, neque ex animis nostris peccata deleat, neque nouos nos homines, deoque gratos, & amicos reddat, quæ nobis omnia charitas aded præstat, vt Diuus Paulus dicere nō dubitarit. Si habuero omnē fidem, ita vt montes transferā, charitatem autē non habuero, nihil sum. Iā quod magni cuiusdā paralogismi loco adiungis. *Vadā* (inquit dominus) *ad locum meū, donec ponāt in corde suo, & querant faciē meā: ergo homines suapte voluntate atque ingenio possūt ad dominū reuerti.* nihil certè aliud, quā calumnia est. Cui enim catholico in mētē venit, solis hominē naturę viribus, ad deū posse à peccato reuerti: cū impiā hanc heresim, iā olim in Pelagio dānatā fuisse nemo ignoret. Diuino verò auxilio excitatos, atque adiutos, peccata deferere, atq; ad dominū verè conuerti nos posse, si neges, vniuersā simul diuinarū literarū authoritatē negabis. Quorsum enim ad pœnitentiā, tam crebrò nos dominus in scripturis hortatur, quorsū inuitat, quorsū monet, quorsū minatur, si neque nostris ipsi viribus, vt omnes fatētur, neq; ipsius

1. Cor. 13.

Osee. 6.

etiā Dei auxilio, vt vos impiè doceris, quod præcipit præstare possumus? *εἰρωνικός* (inquis) *& μίμνικος* hac dixit. Quid an tu *εἰρωνικός* ad pœnitentiā vocare nos deū putas? Qui proprio filio suo nō pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eū, vt morte sua genus humanum patri reconciliaret, *εἰρωνικός* ad pœnitentiā peccatores hortatur? Quid hoc quæso est aliud quā vniuersum salutis nostræ negotiū, *εἰρωνικός* procurasse? nimirum vestri hic euangelij scopus est, vt quæ à Christo gesta sunt omnia, ipsamque adeo illius mortem, ac sanguinem in *εἰρῶνείῳ* nescio quam ac *μίμνικῳ* conuertatis: Quod quia satis iam Academici per se ipsi intelligunt, ad sequentem paralogismum propero. *Multa præcipit dominus, vt faciamus, ergo ea possunt à nobis præstari.* Quis audeat in posterum Lynceos esse whitakero oculos negare, qui paralogismum ibi deprehendit, vbi ne Augustinus quidem cernere vllum potuit? Cū enim Pelagianī olim hæretici hoc illum argumentō premerent, nullū ille paralogismi, sed consequutionem planè legitimam agnouit. Magnum (inquit) aliquid Pelagianī se scire putant, quādo dicunt, Non iuberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat? Nimirum nondum nati erant Caluini discipuli, nec sibi persuadere Augustinus potuit, futuros aliquando tam stupidos homines, qui Deum impossibilia præcipere crederent. Quis enim, vel inter homines legislator in-

De grat. & lib. arb. c. 16

uentus est, qui eas ciuibus leges prescriberet, quas seruari à nemine posse existimaret? aut quis earum legum ad rempublicam feliciter instituendam, (quo leges referri omnes debent) usus esse, quæue utilitas posset? Quodenique modo qui leges conderet, vel obtemperantibus præmia, vel supplicia aliis merito decerneret? Verissime enim Beatus Augustinus. Nec impossibile (inquit) aliquid potuit imperare, qui iustus est: nec damnaturus est hominem pro eo quod non potuit vitare, qui pius est. Vos verò quæ ne ab hominibus quidem, sine summa crudelitatis, atque amentia nota fieri possunt, Deo ipsi tribuere non veremini. Nec sufficit vobis, vt olim Hieronymus questus est, quod iussa nõ facitis, nisi etiam iubentem iniustum pronuncietis, dum ipsum æquitatis authorem non modo dura & ardua, sed etiam impossibilia præcepisse conquerimini, & Deum ipsum tyrannidis accusatis. Quis enim tyrannum appellare eum dubitet, qui homini præciperet, vt in cælum euolaret, ac ni faceret, omni illi suppliciorum genere excrucieret? Quis non clamet (inquit Augustinus) stultum esse præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur facere, & iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas iussa complere? Et has iniustitias, & iniquitates, miseri non intelligunt Deo se ascribere. Hæc ille de Manichæis olim, quæ num & vobis rectè cõue-

Aug. serm.
61. de tem-
pore.

Hieron. ad
Clementiam.

Aug. lib. de
fide contra
Manich. ca.
10.

niant, vel vnus ille Caluini locus, satis indicat, quo Deum ait magnam hominum partem in eum finem condidisse, vt æterna eos morte damnaret. Sic enim scribit. *Non enim pari conditione creantur omnes, sed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur. Itaque prout in alterum finem, quisque conditus est, ita vel ad vitam vel ad mortem prædestinatum dicimus: Quæ blasphemia, nescio quæ maior Deo tribui, vel ab Atheo possit. Iam cætera videamus. Paralogsimus tibi est whitakere, Christus descendit ad inferos, ergo patres è Limbo extraxit. Explica igitur si potes, quorsum Christus ad inferos nisi patres, qui illius in carnem aduentum, tanto desiderio præsto labantur, liberaturus descendit? Quid vero aliud Zacharias, tanto ante prædixerat, cum ait. Tu quoque in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos, de lacu in quo non est aqua. & alius propheta, Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem. Nondum enim, vel ipso teste diuo Paulo, propalata erat sanctorum via, priori tabernaculo adhuc statum habente. Quæ verò alia esse sanctorum via potest, nisi qua in cælum itur, quam antea clausam Christi ascensione patefactam fuisse significat. Nondum enim, vt ait Hieronymus, Paradisi ianuam infernus confregerat, necdum flammæam illam romphæam sanguis Christi extinxerat. Nam neque ante testatoris mortem, hæreditatem sibi testamen-*

Lib. 3. inst.
c. 21. scilicet. 5.

Zachar. 9.

Psal. 67. &
ad Ephes. 4.

Ad Heb. 9.

Hieron. in
obitu Ble-
sillæ.

to legatam, hæredes accipiunt. Debeatur hoc certè redemptori nostro, cui in baptismo, cæli primum aperti sunt, vt in cælum primus ipse conscenderet, & sua requie gloriæque potitus, cæteris requiem largiretur.

Quod ne à nobis potius excogitatum, quàm à priscis ecclesiæ patribus, traditum putes,

Origenem imprimis consule. Intelligimus (inquit) Christum idcirco in infernum descendisse, non solum vt ipse non teneretur

à morte, sed vt eos qui ibi, non tam præuari-

cationis crimine, quàm moriendi conditio-

ne habebantur, absolueret. Et Basilium, qui cum illa Dauidis verba explanaret. Verum-

tamen Deus redimet animam meam ab inferno, de manu inferi, cum acceperit me.

Manifestè vaticinatur (inquit) domini ad

inferos descensum, qui cum aliis ipsius etiam

animam redimet, ne illic maneat. Neque mi-

nus perspicua est illa Ambrosij sententia. Liber igitur est Christus, qui mortis vincula

nesciuit, non captus ab inferis, sed qui ope-

ratus sit in infernis. Sine adiutorio est, quod

non per nuncium, neque per legatum, sed

ipse per se dominus, saluum fecit populum

suum. Quid verò Nazianzenus? Ioannem etiam Baptistam, in limbum introiuisse ait, vt ibi quoque venturum Christum prædicaret. Quid tuus ille quantus quantus est Augustinus? Vultis (inquit) audire quid egerit

Christus? nulla necessitate, sed propria vo-

luntate, in ligno se suspendi permisit, animam ponendo mortem sustinuit. Carnem in se pulchro posuit, & comitante secum anima, ad inferna descendit. Per hanc electi, quamuis in tranquillitatis sinu, tamen apud inferni claustra tenebantur, ad paradisi amœna ducti sunt. Plura hic veterum testimonia nō adiciam, cum res adeo certa sit, vt puriores Calviniani, quos nunc puritanos vocatis, communem hunc patrum errorem appellēt, reliquis nimirum præsidii destituti: Neque re lateat quàm illi in vos grauiter inuecti sint, quòd in apostolorum symbolo versibus Anglicis reddito sic canatis.

*His Spirit did after this descend
In to the lower partes
To them that long in darknes wer
The trene light of their hartes
id est
Tunc ima Christi Spiritus ad loca
Descendit, & lux splendida cordium
Illuxit illis, quos tenebræ
Nube diu tenuere cæca.*

Sed nondum whitakere paralogismis tuis finem imponis. Alium enim mox nobis eodè quo cæteros iure tribuis. *Ecclesia scripturas diiudicat, ergo ecclesiæ maior est quàm scripturarum authoritas.* Vester hic mos est whitakere, ecclesiæ scripturam quasi contrariam opponere, & pugnas hic nescio quas comminisci, cum tamen inter hæc lis esse nulla, nulla contro-

uersa possit. Est enim scriptura Dei verbum literis mandatum, atque expressum: In ecclesia verò homines sunt diuina auctoritate constituti, qui veritatis ipsius testes sint, quibusque fidei catholice doctrinam, sine villo erroris periculo proponendi, officium diuinitus concessum est. Quamobrem cum veritati veritas repugnare nullo modo queat, summam esse inter scripturam, & ecclesiam consensionem, summam concordiam necesse est. Verum quia scriptum illud Dei verbum, quandiu chartis, ac membranis continetur, nec villo ecclesie testimonio atque auctoritate, nobis commendatur, agnosci certe à nobis pro vero, atque germano Dei verbo, non potest (qui tanquam *γνήσιοι* ecclesie filij ex maternis illius vberibus, salutare diuini verbi lac sugimus) non immeritò scripturas diiudicare ecclesia dicitur, quæ Spiritu sancto afflata, sponsi sui vocem, atque verba optimè cognoscit, & ab iis quæ falso iactantur discernit. Neque tamen vt tu calumniaris, maiorem ideo ecclesie, quam scripture sacre auctoritatem esse catholici dixerunt. Non enim iudex, quia veras leges ab adulterinis discernit, lege maior esse censendus est. Cui & ipse parere, & quas fert sententias maximè consentaneas reddere debet: ad quem sanè modum ecclesia Dei verbo, cum primum illud agnouerit, sanctissime obedit, & sacrosanctam illius auctoritatem, apud om-

nes esse vult. Verum illud vos semper fallit, quòd ab ecclesia scripturam separatis, ac si ipsa per se scriptura satis ab vnoquoque agnosci possit, nec villo ecclesie testimonio, quo nobis commendetur, atque vera esse scriptura declaretur, indigeat: quod quàm sit absurdum cum supra ostenderim, illud tantum hic addam: Cum scriptura diuina non quia literis exarata, sed quia à Spiritu sancto profecta est, Dei verbum censerit debeat, hocque spiritu Christi sponsa ecclesia perpetuò gubernetur, æquum esse ac rationi consentaneum, vt in discernendis scripturis, nò suo quisque entusiasmo, quod vos facitis, sed ecclesie iudicio nitatur. Nemini enim dubium esse potest quin Spiritus sanctus, qui in ecclesia perpetuo residet, quòque inspirante scripture sunt conditæ, suum ipse verbum quàm optimè cognoscat. Illud vero quale sit deinceps videamus, quòd pro magno haberi paralogismo vis. *Iubet Paulus Thessalonicenses, vt traditiones teneant quas fuerant edocti, ergo non omnia quæ sunt ad salutem necessaria, literis sunt prodita.* O sagacissimos sophermarum indagatores Calvinianos! Quid quæso tam verum, quid tam certum, quid tam euidenti demonstratione conclusum, poterit inueniri, in quo paralogismum illi non reperient, qui hoc etiam loco paralogismum deprehenderunt, vbi nullum esse, tot oculatissimi homines perspexerunt? Nam cum Thessalonicenses

Paulus ita alloquitur. State & tenere tradi-
 tiones quas didicistis, siue per sermonem, si-
 ue per epistolam nostram: an non luce cla-
 rius est, multa eum Thessalonicensibus ser-
 mone commendasse, quæ literis minimè mā-
 darat? Si ergo illis multa ad salutem necessa-
 ria etiam non scripta, sed solo sermone ac-
 cepta, Paulus credenda esse censeret, cur nobis
 eandem cum illis fidem profitentibus credē-
 da non erunt? Quid hic paralogismi est, quid
 captionis, quid sophismatis? Nihil profecto,
 si magno illi Dionysio credimus, qui ex hoc
 loco, colligit sanctos illos, duces nostros,
 multas ex animo, in animum, medio inter-
 currente verbo, sine literis transfudisse. Ne-
 que si Basilio, qui apostolicum esse traditi-
 onibus non scriptis inhærere, eodem ex loco
 probauit. Neque si Chrysostomo, dum his
 apostoli verbis nixus, apostolos affirmat, non
 pauca absque scripto tradidisse. Quid de epi-
 phanio dicam? Cuius illa est ex his apostoli
 verbis collecta conclusio. Quapropter ali-
 qua in scripturis, aliqua in traditione sancti
 apostoli tradiderunt. Quid de reliquis patri-
 bus, quos nullum hic paralogismum vidisse
 constar? Hebetes nimirum illi omnes, atque
 obtusi fuere, whitakerus solus ingenij acu-
 mine omnes superauit. Quod in illo quo-
 que catholicorum, ut vocat sophismate fe-
 cit. *Ipse seruabitur, ita tamen ut per ignem, ergo
 per ignem purgatorum ad vitam peruenitur.* Neq;

2. Thesal. 2

Dionys. A.
reop. cap. 1.
eccles. Hie-
rarch.Basil. lib. de
Spir. S. c. 29.Chrysost.
hom. 1. in
acta.Epiphan.
heres. 61.

enim hoc loco Augustinus ipse, quem suum
 esse quantum quantum est whitakerus gloria-
 tur, paralogismum esse vllum credidit. Sic
 enim scribit, Neque in ira tua emendes me,
 ut in hac vita purges me, & talem me reddas, August. in
 Psal. 37.
 cui iam emendatorio igne opus non sit: pro-
 pter illos qui salui erunt, sic tamen quasi per
 ignem. Et paulo post. Si autem ædificarent
 aurum, argentum, lapides pretiosos, & de
 vtroque igne securi essent, non solum de illo
 æterno, qui in æternum cruciaturus est im-
 pios, sed etiam de illo, qui emendabit eos qui
 salui erunt, per ignem. Præclarus certè phi-
 losophus fuit Adamantius ille Origenes, sed Origenes
 hom. 12. in
 Jer.
 tamen, præ whitakero planè cæcutiit, cum
 eodem quo Augustinus modo hunc locum
 intellexit. Si post fundamentum Iesu Christi
 (inquit) non solum in tuo corde, aurum &
 argentum, & lapidem pretiosum superædifi-
 caueris, verum, & ligna, & fœnum, & stipu-
 lam, quid tibi vis fieri, cum anima seiuncta
 fuerit à corpore? Vtrumne ingredi vis in
 sancta, cum lignis tuis, & fœno, & stipula, ut
 polluas regnum Dei, an propter lignum, fœ-
 num, stipulam, foris residere, & pro auro, ar-
 gento, lapide pretioso, nihil accipere? Sed
 neque hoc æquum est. Quid igitur sequi-
 tur, nisi ut primum propter ligna, ignis tibi
 detur, qui consumat lignum, fœnum, & sti-
 pulam? Quid Basilias? Philosophus ille qui-
 dem, certè eruditus, nihilo tamen aliis acu-

Basil. de Sp. S. cap. 15. tius hic vidit. Ipse baptizabit vos (inquit) in spiritu sancto, & igne. Baptismum ignis examinationem in iudicio vocat, quemadmodum scribit apostolus, vnus cuiusque opus quale sit, ignis probabit, dies enim domini manifestabit, quia in igne reuelabitur. Neque Ambrosio denique firmiter fuit oculorum acies, cum ait. Oportet per ignem probari, quicumque ad paradysum redire desiderant. Sed his fortasse, ceterisque ecclesie patribus, tanta scilicet caecitatis causa fuit scripturae ignorantia, cuius phrasim obseruare, variaque inter se conferre sententias, in Caluini schola cum whitakero non didicerunt. Quis vero tam diligentes scripturarum scrutatores non miretur, nondum obseruasse, diem illum domini, cuius eo loco apostolus meminit, vel extremum iudicij diem significare, vel illum certè, quo singulos homines, post mortem est iudicaturus? Hoc enim qui scripturas tanta diligentia contulerunt, quanta se illi quotidie conferre iactant, ignorare non possunt, praesertim cum nihil frequentius hac phrasi occurrat. Vt spiritus saluus sit, (inquit apostolus) in die domini nostri Iesu Christi, & rursus. Vt sitis sinceri, & sine offensa, in die Christi. Et, Qui coepit in vobis bonum opus, perficiet vsque in diem Christi Iesu: aliisque penè innumeris locis. Nullo igitur paralogismo, sed ratiocinatione firmissima,

1. Cor. 5.
Ad Phil. 1.

sanctissimos ecclesie patres imitati, ex hoc loco colligimus, iustis etiam post hanc vitam, superesse plerumque, lignum, ferenum, stipulas, quae prius omnia purgatorio exurenda sunt igne, quam aeterna illi beatitudine frui possint. Quae res in causa fuit vt Basilii, Gregorius Nazianzenus, aliique veteres ecclesie scriptores, in ipso iudicis aduentu, quosdam illo igne purgandos senserint, quo sine vlla peccati, ac contagionis labe, diuino sibi iudicio queant. Num quid nunc superest whitakere in quo paralogismos nostros academicis inspiciendos proponas? Nihil opinor. Quorsum igitur vano te hactenus labore tortisti, vt ex amplissimo catholicorum dogmatum campo, pauca quaedam colligeres, quae partim firmissima sunt, & communi doctissimorum ecclesie patrum consensione probata, partim à catholicis scriptoribus nullius rei probandae gratia, scripta sed vt quae apud omnes erant certissima, analogia aliqua, aut similitudine apposita, illustrarent, ac rudioribus planiora efficerent: vt omittam ex iis quae protulisti pleraque, non ex vllis catholicorum scriptis esse collecta, sed à te tuisque in hac arte magistris, summa fraude ac singulari impudentia conficta. Longè profectò causae tuae melius consuluisse, si quam in nostris impugnandis operam posuisti in muniendis tuis, diligenter collocasses. Est ta-

men adhuc quod de paralogismis non iam cum aliis catholicis, sed cū ipso Campiano, quasi conferta manu cominus pugnare velis, *Tua* (inquis) *audiamus quaedam, Campiane. Augustinus scripsit libros tres de libero arbitrio, ergo Augustinus liberum hominis arbitrium cōprobauit. Christus aliquid ignorauit, ergo Christus peccato laborauit. Patres scripturas diligenter perscrutati sunt, ergo nunquam licet à patribus dissentire.* Magnum ego Campiano eruditionis, innocētis, religionis testimonium, à te dari video, in cuius vniuerso libro, cū tria tantum Sophismata obseruaris, cætera certè, vel te iudice, ab omni sunt captionis suspicione, quā maximè aliena. Illa verò quæ tam subtiliter tibi obseruasse videris, non sophismata esse, sed firmissima veritatis demonstranda argumenta, vt sunt à Campiano propofita (non à te malitiosè inuerfa) tam perspicuè suis supra locis ostendi, vt hic quidquam repetere, superuacaneū prorsus existimem. Quod si de tuis ego vicissim paralogismis, dicere vellem, quæ possem, nullum oratio mea exitum esset habitura. Sunt enim quæ scribis omnia tam plena fallaciarum, tamque ἀσολογίας cōclusa, vt qui singula vellet refellere, nihil mihi aliud quam responsionem totam repetere debere videatur. Quamobrem minori quàm tu negotio, ratione verò ac iure multo certè maiore expediam, ac totam tibi responsionem tuam pro vno quodam magno sophis-

mate, reponam. Sed satis iam diu extra chorum saltasti whitakere, ac cum tua tantum defendere debuisses, nescio qua fiducia, vel temeritate potius, laceßere procaciter hostem voluisti. Quod quanto, cū existimationis tuæ, tum causæ, quam tueris detrimento, feceris, Academicorum esto iudicium. Melius fortasse, atque foelicus tua defendes, quam oppugnasti nostra. Cuius rei periculum deinceps faciendum est. Ac primū vobis *συναμαχίας*, vitium, quo nihil est in disputationibus veltis frequentius, Campianus obiecit. Cuius exemplum certè aptissimum mox addidit. Contra cœsibes (inquit) iuratos, & votos in castimoniam, Quod nuptiæ bonæ sint, virginitas melior, afferuntur scripturæ loquentes honorificè de coniugio. Quem feriunt? *Hic tu Syricium, atque Innocentium secundum, virginis vitæ iudices feriri respondes.* Quid ita quæso? Nū tibi, qui virginitatē coniugio præferunt, his scripturis feriri videntur? Paulū ergo ipsum hæ feriant scripturæ necesse est. *At pōtiffices istos multa* (vt ais) *de cōiugio, abiectè, cōtumeliosè, nefariè cōstat esse loquutos.* Quo nihil à te dici impudētius potuit. Quomodo enim sanctissimi pōtiffices, de matrimonio quidquā abiectè loqui potuerunt, quod tā sanctū esse, vt etiā sacramētū sit, nunquā dubitarūt? An vllū vos, tātū matrimonio honorē haberis, quod non nisi nefandæ libidinis, atq; incestarū nuptiarū gratia laudatis?

Nam quæ ex istorum pontificum decretis supra artulisti, ita sunt à me explicata, vt tuam omnes siue ignorantiam, siue impudentiam perspicere possint. Quod eo sanè facilius facient, si ipsa pontificum verba diligenter inspiciant, in quibus nihil de coniugio, nò honorificum, inuenient. Cum ergo catholicis, bonas quidem ac sanctas esse nuptias, sed virginitatem tamè longè meliorem, sanctiorèque dicentibus, scripturas obiicitis, quæ de matrimonio loquuntur honorificè, an nò turpissimam *σκιαμαχίαν*, admittitis? Et tamen nullum hoc argumento, vos aliud habere præstantius, satis ipse fateris, cum nullo aduersus Campianum alio vteris. Quamuis hoc ipsum quam sit imbecillum, nò obscure indicas, cum ais. *Sic enim nostrum argumentum constringo fortius.* Sed mihi crede whitakere, si constrinxeris, franges. Est enim quouis vitro longè fragilius. Videamus tamen, num tu hoc argumētum constringendo, fortius efficias. *Si nuptiæ (inquis) sunt in quouis hominum genere honorificæ, lectusque sanctus, in nullis censeri debent in honesta, aut impura. At verum est antecedens: ergo consequens necessariò verum est.* Quid verò est *σκιαμαχίαν*, si hoc nò est whitakere? Honorificæ sunt in quouis hominum genere nuptiæ, Virginitas ergo nuptiis minimè præferenda est. Sic enim vos differere Campianus ostendit, cum vt virginitati coniugiū par esse & æquale probetis, eas in mediū scri-

pturas afferitis, quæ de matrimonio loquuntur honorificè. Quod te hoc loco facere nemo non videt. Omitto iam quàm ineptè, quàm perperà illa diui Pauli verba intelligas. *Ho-* Heb. 13.
norabile coniugiū in omnibus, & thorus immaculatus, dum ex iis tuum illud antecedens probari existimas, quod si tā generatim vniuersèque verum est quam tu videri vis, non Campianum modò, sed Paulum etiā apostolum tuo hoc argumento confecisti. Nam & in illis profectò viduis honorificæ erunt nuptiæ, quas ille quia nubere volunt damnationem habere dixit, quòd primā fidem irritam fecerint. Verum nihil hunc locū, ad eos pertinere qui virginitatem Deo, aut cœlibatum sua spòte vouerunt, ex còmuni veteris ecclesiæ còfessione, supra docui. Quamobrè quod Tatiani nobis, Encratarū, aliorumque hæreticorū errorem tribuere conaris, frōtem te non perfricuisse modò, sed omnino perdidisse ostendis. Quis enim vnquā catholicus nuptias dānauit, atq; omnino pares eas scortationibus fecit? Quod ab illis factū fuisse beatus Augustinus testatur. Quis cū Seuerianis August. ad
 matrimoniū còtrahentes Satanae opus exple- Quod uult
 re dixit, & ob conceptū nuptiarū odiū, mulierè esse opus Satanae: & viti dimidiā tantum
 partē esse dei, dimidiā diaboli. Nā vt Epiphanius ait, ab vmbilico & supra dicūt esse for-
 mationē Dei, ab vmbilico verò & infra, male-
 potestatis formationē. At nuptias bonas licet,
 Epipha. hec
 rest 45.
 1. Cor. 7.
 Math. 19.

& sanctas, virginitati æquandas esse catholici omnes semper negarunt, & vos nisi infano libidinis æstu fureretis, negasse Paulum, imo & seruatore ipsum facile videretis. Ad carera iam progredieris. Contra meritum hominis Christiani, promittuntur testimonia (inquit Campianus) quibus iubemur, nec naturæ, nec legi, sed sanguini Christi fidere: Quem ista refellunt?

Respondes. *Quæ contra hominum merita disputatur, ea vos apertissime refellunt, atque perimunt. Natura corrupta est, & lex morbum ostendit, non sanat. Spes ergo salutis nostræ omnis, in Christi sanguine collocatur.* Omnes certè catholici, neque in natura, neque in lege, sed in Christi tantum sanguine, spem omnem salutis, atque fiduciam esse collocandam semper crediderunt: quo tua maior est impudètia, qui nos aliquam salutis nostræ partem Christi sanguini non tribuere calumniatis, cum omnia bonorum operum merita, non nisi ex Christi sanguine, vim suam atque efficientiam habere perspicue doceamus. Hæc est enim de qua propheta loquitur, Copiosa illa apud Deum redemptio. hoc perfectæ cum Deo reconciliationis argumentum longè certissimum, cum quæ diuina adiuti gratia agimus, ad eum Deo grata sint, atque accepta, ut ob ea nos æternæ felicitatis præmio remuneretur. Quis enim, vel inter homines cum aliquo qui prius inimicus fuerat, in gratiam se rediisse existimet, si semper illi displicere plurimum, neque gratum quidquam præstare se posse intelligat? Quæ tamè vestra est, de Christi morte,

Psal. 129.

ac sanguine blasphemam, sententiam, dum nos ita Deo patri per Christum esse reconciliatos vultis, ut tamen auersus ille semper à nobis sit, nosque illius hostes perpetuo existamus, neque quidquam præstemus, quod illi placeat, aut vilo dignum præmio videatur. Quod nihil certe est aliud, quam Christi mortem vi sua omni atque efficientia spoliare, noui testamenti gratiam, nullam agnoscere, scripturas denique omnes negare, quæ iustos homines, ob bona quæ fecerunt opera, æterna vita dignos passim pronuntiant: quam & ex diuina prorsus iustitia, tanquam iustam meritorum mercedem beatis reddi apertè testatur. Ita ut & nos ipsi in vobis gloriamur, (inquit Paulus) in ecclesiis Dei, pro patientia vestra & fide, & in omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus multis quas sustinetis, in exemplum iusti iudicij dei, ut digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini. Si tamen iustum est apud Deum, retribuere retributionem iis qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini requiem nobiscum, in reuelatione domini Iesu. Quibus sanè verbis non minori Deum iustitia, viris iustis præmia, quam supplicia improbis reddere significat. Hanc etiam retributionem plane iustissimam, alio idem loco expressit: de reliquo (inquit) reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi iustus iudex. Et ad Hebræos. Non enim iniustus est Deus, ut

2. ad Thef. 1

2. ad Tim. 4

ad Hebr. 6.

obliuiscatur operis vestri. Quoties verò vita æterna iustorum merces in scripturis vocatur? Iusti autem (inquit Salomon) in perpetuum viuunt, & apud dominum est merces eorum. Et apud Matth. dominus, gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Et Paulus, Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Et illud Apocalypsis. Ecce venio cito, & merces mea mecum, reddere unicuique secundum opus illius. Denique quod ad Corinthios scribit paulus. Vnusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem. Innumera sunt in diuinis literis huiusmodi, quæ catholicæ doctrinæ veritatem apertè demonstrant. Etenim si æterna illa in Dei regno fœlicitas, bonorum operum merces dicenda est, merces verò sine merito esse non potest, quis bonis hominè operibus, vitam mereri æternam iure negauerit? Aur tu nobis explica si potes whitakere, quomodo vita æterna pro bonis operibus homini redditur, nisi quia debetur, quomodo vero debetur, si nullam in se meriti rationem opera habeant, Quid enim esse aliud meritum theologi dicunt, quàm opus aliquod bonum cui ex iustitia merces debetur? Cùm ergo tam disertis scriptura verbis, æternam beatitudinem, bonorum esse operum mercedem, illisque ex iustitia reddi testetur, quanta cæcitas est, in tanta luce palpitare, & clarissimam veritatem

Sapient. 5.

Matth. 5.

ad Heb. 10.

Apocal. 2.

non posse intueri? Quanta ignorantia, nihil esse in homine iusto affirmare, quod vita æterna dignum sit, reclamante licet Apostolo, cùm Ad collos. ait, Gratiis agentes deo qui dignos nos fecit, in partem sortis sanctorum in lumine. Et domino apud Ioannem in Apocalypsi dicente: Apocal. 3. Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. Pergit vero whitakerus. *Nostri nunc quæ contra merita adduci soleant argumenta, si potes dilue. Audite, obsecro Academici, disputatorem subtilissimum. Quidquid pro debito exigitur, (inquit) meritum non est. Quidquid autem agimus, id totum debitum est: quare nullum est omnino nostrum meritum.* Quasi verò vestrum hoc, ac non potius diui Thomæ argumentum esset, non opugnandæ quidem, vt à te fit, sed declarandæ veritatis gratia, ab ipso propositum, atque cæteris deinde Scholasticis, vulgo usurpatum, apud quos si clarissimam illius, atque facillimam legere solutionem libuisset, nunquam, vt arbitror, tam læui ratiuncula, à communi te sanctissimorum patrum, totiusque ecclesiæ consensione, abduci permisisses. Scimus enim, libenterque profitemur, deberi Deo nos nostraque, à diuina enim summi illius, æternique numinis liberalitate bona quæ habemus omnia accepimus, illique accepta referimus. Inter quæ sanè, & illud ipsum numerandum est, quod vos nondum videre potuistis. Nimirum quod cùm in suos nos filios benignissimè adoptauit, cælestem

D. th. 1. 2. q.

104. art. 1.

Aug. epist.
217.

illam animis nostris gratiam, quasi eterne vitæ semen indidit, ex qua gratia, tantam hominum opera dignitatem, consequuntur, vt æternæ vitæ præmio digna existant: Eleganter enim Augustinus, Christum ait ex bonorum operum semine, vitæ æternæ messem promittere, vt in iis operibus, quibus vitam promereri æternam scriptura teste dicimus, non tam debitane Deo sint, an non debita, quam quod à Dei filiis liberè fiant considerandum sit. Erras igitur whitakere, dum meritum esse nullum putas, vbi quod agitur debitum est, in quo tamen tota tuæ illius rationationis vis sita est. Quid enim? an non suâ caelestes illos ac beatos spiritus, qui cadente lucifero, in diuino amore constantes, permanserunt, beatitudinem meruisse rectissime dicimus? An non primi illi, generis humani parentes, si innocentiam seruassent suam, & in qua creati sunt gratia perstitissent, beatitudinem mereri potuissent? At neque in angelis, neque in primis illis hominibus quidquam erat, quod deo nõ optimo iure deberetur. At que vt exemplo tibi alio rem totam planiorè efficiam: non ignoras opinor, duci suo milites, præstito semel militari sacramento, parere debere. Et tamen dum illi obtemperant, illius sedulo iussa capessunt, seseque strenuè in bello gerunt, quis tam ab omni erit humanitatis sensu alienus, qui non eos mercede dignissimos esse censcat? Nihil ergo debiti

ratio impedit, quin agendi libertas, atque operis dignitas, vt à diuina gratia proficiscitur, meritum efficiat: cum ea præsertim, diuine erga nos clementiæ, ac bonitatis magnitudo sit, vt quantumuis illi nos nostraque omnia debeamus, tamen pro eo ipso quem alioquin iure illi debemus cultu, sempiternam nobis gloriam, ac felicitatem benignissime promittat. Ideo enim præcipit, inquit Hieronymus, vt causas habeat remunerandi. Neque enim obsequio nostro Deus indiget, sed nos illius egemus imperio, qui quodam veluti pacto, nobiscum inito, sese nobis, vel suæ potius benignitati, ac veritati debitorem constituit. Cuius quidem rei plurima sunt, in diuinis literis, eaque clarissima testimonia. Neque dubitauit Augustinus, nostra merita Dei dona appellare, deumque cum nostra coronat merita, nihil aliud quam sua ipsius dona coronare, ob eamque causam Paulum cū dixisset, stipendiū peccati mors, mox addidisse, gratia Dei vita æterna, vt opera ipsa quibus vita æterna iustissime redditur, gratia esse Dei dona doceret. nunquid non corona (inquit) bonis operibus redditur? Sed quia ipsa bona opera Deus in nobis operatur, ideo coronat nos in misericordia. Ex quo illud efficitur (quod te vel Scholastici docere theologi potuissent) perfectam illam, plenamque iustitiæ rationem, quæ liberalitatem prorsus omnem excludat, inter Deum

Hier. ad
Clement.

Aug. hb. 9.
confel. cap.

Rom 6.

Aug. de gra.
& lib. arb.
cap. 9. &
epist. 105.

& hominem minimè inueniri. Nihil enim mercedis, nihil premij operibus vnquam nostris, ex iustitia deberetur, nisi nos prius singulari munere gratiæ suæ, in filios sibi Deus adoptaret, illudque ipsum nobis benignissimè largiretur, ex quo omnis bonorum operum dignitas promanat. Quibus quidem operibus, cum æternam illã, quam ipse promisit beatitudinem, iustissime reddit, non tã nobis profectò, quàm sibi ipse debitor existit. Nihil enim illi à nobis commodi, nihil emolumenti accidere potest. Sed cum bonis iustorum operibus, æternæ vitæ mercedem promiserit, neque fallere omnino, mentiri, aut seipsum negare possit, hanc sibi veluti legem ingenti erga genus humanum charitate imposuit, quam dubio procul sanctissime est seruaturus. Istam verò doctrinam tuus ille

Aug. in Psa.
83.

quantus quantus est Augustinus vt cæteros
omittam, non vno loco perspicuè confirmat. Cum enim illud Dauidis explanaret. misericordiam & veritatem diligit Deus. Primo (inquit) misericordiam, in apostolum Paulum prærogauit, post misericordiam, veritatem. Audi illum iam exigentem veritatem. Primo ergo inquit, misericordiam consequutus sum, qui prius fui blasphemus, & persecutor, & iniuriosus, sed gratia Dei sum id quod sum. Postea dicit cum passioni propinquaret. bonum agonem certauit, cursum consummaui, fidem seruauit, superest mihi co-

rona iustitiæ. Ille qui tribuit misericordiam, seruat veritatem. vnde seruat veritatē: Quam reddet mihi dominus in illo die iustus iudex. Indulgentiã donauit, coronã reddet. Donator est indulgentiæ, debitor coronæ. Vnde debitor? Accepit aliquid? Cui debet aliquid deus? Ecce videmus quia tenet eū debitorem Paulus. Consequutus est misericordiam, exigens veritatem. Reddet mihi, inquit, dominus in illo die. Quid tibi reddet nisi quod tibi debet? Vnde tibi debet? Quid ei dedisti? Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Debitorem dominus ipse fecit se, non accipiendo, sed promittendo. Non ei dicitur, redde quod accepisti, sed redde quod promissisti. Et alio loco. Audi, quia ille cui donauit, tenet dominum etiam debitorem. Inuenit eum donatorem, tempore misericordiæ, tener debitorem tempore iudicij. Quomodo hoc dicit, vide te. Ego enim iam immolor, dixit, & tempus resolutionis meæ proximum est. Bonum certamen certauit, cursum consummaui, fidem seruauit. Hoc tempore misericordiæ: audi de iudicio. De cætero superest mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex. Non dixit donat, sed reddet. Quando donabat misericors erat, quando reddet iudex erit: quia misericordiam & iudicium cantabo tibi domine. Sed donando delicta, fecit se debitorem coronæ. Hæc Augustinus aliæque in hanc sententiam plurima

Aug. in Psa.
100.

ex quibus perspicuum est, quàm ille à nouo hoc axiomate vehementer abhorreat. Nec immerito. Quis enim non videat, summam in nos Dei bonitatem, vel maximè elucere, quos in tantam euehit dignitatem, vt opera nostra ab ipsius certè gratia profecta, non exigua mercede aliqua, sed quia filiorum Dei sunt, beatitudine aeterna remuneretur? Quis mortis Christi beneficium, mirum in modum illustrari non intelligat, qua tam excellentem nobis atque efficacem gratiam est promeritur, ex qua huiusmodi manarēt opera, quæ aquæ instar, in altum salientis, ad celū vsque pertingerent? Quis denique humanæ naturæ inflicta peccato vulnera, longè felicitus hac ratione sanata esse non cernat, cū ad promerendā beatitudinem, efficaciorē à Christo atque potentiorē accepimus gratiam, quàm per peccatum amisimus, vt vbi abundauit delictum, superabundauerit gratia.

Quæ vos omnia mirum in modum deprimitis, atque obscuratis. Hæc igitur de priori illo tuo syllogismo dicta sint. Quem si ab ipsis scholæ nostræ doctoribus emendicare non puduit, nec pudere certè debuit eorum etiā responsionē adiungere, cūque, vel vt veram probare, vel vt falsam, firmo aliquo argumento refellere. Nunc alterum eiusdem generis syllogismum audiamus tuum. *Si per legem est iustitia, sine causa Christus mortuus est: at si per merita iustificamur, per legem iustificamur. Ergo si per*

merita

merita iustificamur, Christus sine causa mortuus est. Valde hic prodis whitakere, vel summum fallendi studium, vel inscitiam certè tuam singulararem. Si enim iis catholici meritis iustificari hominem dicerent, quæ suis ipse viribus sola legis cognitione adiutus, præstare posset, haberet certè probabilitatis aliquid ratiocinatio tua. Iam verò cum nulla in nobis merita esse huiusmodi, vno omnes ore catholici doceant, nihil hoc argumento ineptius, regio professore indignius. Quis enim vel prima fronte non videat, dum meritis quæ ex Christi gratia fluunt iustificamur, non per legem nos, sed per gratiam iustificari? Quod ex iis quæ paulo ante à nobis sunt explicata, adeo perspicuum est, vt qui pluribus illud argumentis ostendere velit, nihil mihi aliud, quàm lucem soli adferre velle videatur. Viderint ergo Academici quo tu iure, quasi ὀπίσθου cantaturus in hunc modum cōcludas. *Quid alia nostra persequar argumenta innumera, quorum nullū est, non conclusum. ἀποδείξεις.* Nam si ex his quæ protulisti duobus, velut ex vngue leonem, reliqua cognoscere liceat, non erit profecto difficile, quantum in illis sit virium coniectura assequi. Quæ si tibi ἀποδείξεις sunt, nouā certè ἀποδείξεις, rationem mediteris necesse est, qua ex sumptionibus, planè falsissimis, quidquid in mentem venerit ἀποδείξεις concludas. Tertium nunc vltatæ vobis *Καταχίται*, ex-

plum Campianus profert, In eos (inquit) qui colunt cælites, vt famulos Christi maxime gratiosos, citantur integræ pagellæ, quæ vetant colere multos Deos. Vbi nam sunt? Hæc ille quidem aduersum vos rectissime. Quid enim aliud, quàm vmbra diuerberatis, dum huiusmodi scripturæ testimoniis, catholicos refellitis, qui cælites tanquam charissimos Dei amicos, omni quo decet cultus, atque honoris genere prosequuntur? *Dominus* (inquis) *suo iure sumit, vt solus à nobis inuocetur: quare qui diuos colit, atque inuocat, is illis diuinum honorem tribuit.* Hic verò whitakere toto, quod dicitur, cælo aberras. Non enim sanctos nos, vt Deos colimus, sed vt Dei amicos, seruosque charissimos inuocamus: Tu verò quia suo sibi iure Deus vendicat, vt solus à nobis tanquam dominus inuocetur, sanctos ne vt seruos quidem aut amicos Dei inuocandos esse contendis. Quid ineptius? Quis enim ignoret, à Dei seruis etiam in mortali hac vita degentibus, atque inter varia adhuc peccatorum pericula constitutis opem nos atque auxilium piæ sanctæque exposcere? Quod cum nihil sit aliud quàm inuocare, nunquam te profecto his vinculis expèdes, qui in si eos omnes qui sanctos cum deo regnantes sic inuocant, diuinum illis honorem tribuere asseras, Paulum ipsum apostolum, Corinthios, romanos, aliosque quorum, se precibus adiuuari, tanto studio postu-

lavit, in deorum numerum retulisse concedas. Neque mirari satis possum, omni te pudoris sensu adeo destitutum, nihil vt verèaris, iisdem nos calumniis aggredi, quibus maiores nostros, patriachæ illi vestri, gentiles, philosophi, apostatæ, hæretici, aggressi sunt, qui quod sanctissimos Dei martyres, honore plurimo, ac reuerentia à Christianis religiosè celebrari cernerent, numerosam rursus deorum multitudinem, in orbem ab illis inuectam criminabantur. Sic enim Maximus olim Maudarenis, ad beatum Augustinum *Epist. 43.* scripsit. *Quis ferat, Ioui fulmina vibranti præferri Migdonem: Iunoni, Minervæ, Veneri, Vestæque.* Sananem: & cunctis, proph nefas, diis immortalibus, Namphanionem. Inter quos, Lucitas etiam haud minore cultu suscipitur, atque alij interminato numero, diis, hominibusque odiosa nomina, qui conscientia nefandorum facinorum, specie gloriose mortis scelera sua, sceleribus cumulantes, dignum moribus, factisque suis exitum maculati repererunt. horum busta, si memoratu dignum est, reiectis templis, neglectis deorum suorum manibus stulti frequentant, ita vt præfagium vatis illius indigne ferentis emineat. Inque Deum templis iuravit Roma per vmbas. An non eadem est hodie, aduersum nos, de sanctorum inuocatione querela? Quam & Manichæis olim hæreticis, familiaris fuisse ex Fausti illius Manichæi verbis,

Aug contra apud Augustinum constar. *Idola* (inquit fau-
 fault. lib. 20 stus) *vertistis in martyres, quos votis similibus co-*
 cap. 4. *litis. Quid de Iuliano loquar Apostata? Cu-*

Cyril. lib. 6.
 contra Iu-
 lianum.

ius illa extrat apud Cyrillum criminatio, qua
 nulla alia neque in scholis vestris, neque in
 synagogis frequentius auditur. *Si Hebræorum*
(inquit) sermones attendissetis, non omnibus mo-
dis, tam infeliciter ageretur. Sed peius nunc babe-
ris, quam si nobiscum adhuc essetis. Leuia autem
pasi essetis, & tolerabilia. Vnum enim pro multis
diis coluissetis, non hominem, immo non multos ho-
mines miseros, vsos lege dura quadam, & aspera,
agrestèque barbariè spirante. Hęc certè, aliaque
 huiusmodi scelestissimi apostatę, atque alio-
 rum cum infidelium, tum etiam hereticorũ
 verba, quę prolixius recensere non lubet, si
 cum vestrorum centuriatorum scriptis con-
 feratur, eodem vtrosque spiritu afflatos fuisse,
 quiuis facile viderit. *Pantheon* (inquitur

Cętur. 7. c. 6
 illi) *hactenus occlusum, concessu Phocę, Bonifa-*
cius aperuit: & pro diis Ethnicis, Mariam, & om-
nes Martyres, seu sanctos, ethnico more, ibi coli in-
stituit. Eademque impietate Theodorus Be-

Beza in cap
 19. actor.

za, Lauretanum templum, Deo in deiparę
 Virginis honorem dicatum, cum Dianę il-
 lius Ep hesiorum delubro conferre, summo
 scelere ausus est: quod pari nunc superstitione,
 Maria cum illa Ephesiorum Diana colatur.
 Pluribus vestrorum hominum blasphemis
 recensendis non immorabor: cum hęc
 abundè sufficiant, vt omnes intelligant, Iu-

liani vos, & Manichei, atque infidelium philo-
 sophorum causam, aduersus Christianam
 religionem acerrimè defensores fuisse, si in
 illorum forrè tempora incidissetis: cum lon-
 ga iam obliuione sepultas eorum querelas,
 tanto studio ab inferis reuocetis. Quibus
 quid olim sanctissimi patres responderint,
 ignorare certè non potestis. Quamobrem
 idem tibi whitakere à nobis responsum puta.
 Eandem enim cum patribus causam tuemur,
 iisdemque à vobis armis, quibus illi quon-
 dam ab hæreticis, apostatis, atque philoso-
 phis ethnicis, oppugnamur. Colimus marty-
 res (inquit Augustinus) eo cultu dilectionis,
 & societatis, quo & in hac vita coluntur san-
 cti homines Dei. Et post pauca. At illo cul-
 tu, qui Græcè *λατρεία* dicitur, Latine vno
 verbo dici non potest, nec colimus, nec co-
 lendum docemus, nisi vnum Deum. Iuliano
 vero Cyrillus in hęc verba respondit. At san-
 ctos Martyres, neque deos esse dicimus, ne-
 que adorare consueuimus, laudamus autem
 eos potius summis honoribus, quod pro ve-
 ritate strenuè certarunt, & fidei sinceritatem
 seruarunt, ita vt & suam animam contemp-
 ferint, & mortis terroribus valedicentes præ-
 ualuerint, in summis periculis, tantęque
 fuerint fortitudinis, quasi statuas sibi suę vi-
 tæ excitaturi. Proinde non est indignum, im-
 mo etiam necessarium, eos qui tā claris ope-
 ribus gloriosi sunt, perpetuis honorari laudi-

Aug. lib. 20
 contra fau-
 stum cap. 22

Cyril. lib. 6.
 contra Iul-

Lib. de cu-
ranp. græco
rum. affect.

bus. Non absimilis est Theodoretis sententia,
qui de templis, ac cultu martyrum, verba fa-
ciens, suæque ætatis religiosam, piàmque
» Christianorum consuetudinem exponens,
» Qui peregre (inquit) aliquo proficiuntur
» perunt martyres sibi comites esse in via, vel
» potius itineris duces: qui verò iam sospites
» redierunt, gratias agunt, acceptum benefi-
» cium cõfidentes. Non qui se ad deos acce-
» dere arbitrentur, sed qui orent Dei martyres
» tanquam diuinos homines intercessoresque
» sibi eos apud Deum aduocent, & precentur.
» Pauloque post Theodori Beza, ac centuria-
» torum calumniis ita respondet. Sed quid ego
» philosophos, imperatores, ducesque com-
» memoro? cum eorum quoque, qui passim
» dum ferebantur memoriã, è mentibus ho-
» minum martyres aboluerunt? Eorum nam-
» que templa, cum suis lucis sic destructa iam
» sunt, vt ne vlla quidem vestigia superent, ne-
» dum qua forma illorum aræ constiterint,
» scire homines possint. Earum verò rerum
» materia, templis arisque martyrum excitatis
» expiata est. Suos enim mortuos, dominus
» Deus noster, in templa pro diis vestris indu-
» xit. Ac illos quidem castos gloria, vanosque
» reddidit, suis autem Martyribus honorem
» illorum dedit. Pro Paudiis enim, Diasisque,
» ac Dionysiis, hoc est Iouis, Liberique Patris
» solennitatibus, Petro, paulo, Thomæ, Sergio,
» Marcello, Leontio, Antonio, Mauritio, aliis-
» que sanctis Martyribus, solennitates popu-

lari epulo peraguntur. Cernis opinor whitakere, quò nos honore cælites colere, sanctis-
simi ecclesiæ patres docuerunt, neque dubi-
to quin tuam hic calumniam academici clari-
ssimè videant, qua nos ais diuinum sanctis
honorem tribuere. Quam tamen argumen-
tis aliquot, tuo certè ingenio dignis, lectori
persuadere conaris. *Qui diuos (inquis) colit,
& inuocat. & posse eos quiduis fingit, & omnibus
in locis presentes facit: quod vtrumque vnius Dei
proprium est. Ita quidquid contra multos deos affer-
tur, id contra vestros cælites omnino valet: quos &
multo studiosius, quam Deum ipsum colitis, & ho-
noribus spoliisque diuinis exornatis.* Adeo ne cæ-
cus es whitakere, vt ne in luce quidem meri-
diana, positam intueri veritatem queas? Quid
enim clarius, quid esse manifestius potest, quã
cum diuorum opem, atque auxilium implo-
ramus, vt intercessores apud Deum nostri
sint, nos eos minimè pro diis habere? Quo-
modo enim quos dei seruos esse agnoscimus
ac profiteamur, deos esse crederemus? Quo-
modo qui sanctos suis viribus, nihil posse do-
cemus, sed quidquid possunt, per eum id pos-
se cuius serui sunt, cuiusque illud est propriũ,
vt ex se omnia atque pro suo arbitrio, absque
vllò cuiusquam auxilio possit: quo inquam mo-
do, qui hoc profiteamur, posse eos quiduis pu-
tamus: quod tu nos fingere calumniaris? Quo
nihil fanè à catholicorum mentibus abesse
longius potest. Iam quod addis *nos diuos inuo-*

*modo, omnibus in locis presētes eos facere, quod vnus
 Dei proprium est, meram esse calumniam pers-
 picuum est. Quis enim ignorat soli hoc Deo,
 ex ipsa diuinæ naturæ immēsitate, proprium
 esse, ac peculiare, vt vbique sit? Quod vt san-
 ctis nullo conuenire modò, ingenuè omnes
 fatemur, ita eisdem multis simul in locis, iis-
 que maximo etiam interuallo disiunctis,
 diuina virrute esse posse, minimè dubi-
 tamus. Neque vllis tu argumentis, hoc re-
 fellere vnquam poteris. Quanquam neque
 ex eo illud efficitur, quòd sanctos nos inuocā-
 dos doceamus. In quo turpem sanè errorem
 tuum agnoscas, licet. Nam si in terris Elisæus
 absentem licet seruū Giezi munera accipien-
 tem vidit: an non tibi consentaneum videtur,
 vt quæ in terris agimus, sancti etiam absentes
 queant intueri? Nonne (inquit propheta) cor-
 meū in presenti erat, quando reuersus est ho-
 mo de curru suo, in occursum tui? Vtinā vero
 differentē hac de re D. Aug. audires, cuius cla-
 rissima est sententia, dubitandū non esse, quin
 sancti siue præsentes, siue etiam absentes, iis
 opem, atque auxiliū præstare suū possint, qui
 illud sedulò imploratint. Quanquā (inquit)
 ista quæstio, vires intelligentiæ meæ vincat,
 quemadmodū opitulentur martyres iis, quos
 per eos certū est adiuari: vtrum ipsi per se ip-
 sos adsint vno tempore, tam diuersis, & tanta
 inter se longinquitate discretis, siue vbi sunt
 eorū memoriæ, siue præter suas memorias,
 vbi cunq; sentiuntur: an ipsis in loco suis me-*

4. Reg. 5.

D. Aug. lib.
 de cura pro
 mort. c. 15.
 & 16.

ritis cōgruo, ab omni mortaliū cōuersatione,
 remotis, & tamē generaliter orātibus, pro in-
 digētia supplicārū, sicut nos oramus pro mor-
 tuis quib' vtique nō presētamur, nec vbi sint,
 vel quid agant scimus, Deus omnipotēs, qui
 est vbique præsens, nec concretus nobis, nec
 remotus à nobis, exaudiens martyrum pre-
 ces, per Angelica ministeria vnde quaque dif-
 fusa, præbeat ista solatia hominibus, quibus
 in huius vitæ miseria iudicat esse præbenda,
 & suorum merita martyrum, vbi vult, quan-
 do vult, quomodo vult, maximè que per eo-
 rum memorias, quoniam hoc nouit expedire
 nobis, ad ædificandam fidem Christi, pro cu-
 ius illi confessionē sunt passi, mirabili atque
 ineffabili potestate ac bonitate commendat.
 Tandem vero in hunc modum concludit.
 Res hæc altior est, quàm vt à me possit attin-
 gi, & abstrusior quàm vt à me valeat perscru-
 tari: & ideo quid horum duorum sit, an verò
 fortassis vtrumque sit, vt aliquando ista fiant
 per ipsam præsentiam martyrum, aliquando
 per Angelos suscipientes personam marty-
 rum, definire non audeo, mallem à sciētibus
 ista perquirere. Ex quibus sanè perspicuum
 est, neque absurdum beato Augustino vide-
 ri, pluribus simul in locis sanctos versari, ne-
 que qui sanctos inuocāt, eos omnibus in lo-
 cis præsentes facere, cum & absentes iuuare
 eos possint, qui illorum opem implorant.
 Quod & sanctus Maximus eleganter expres-
 sit. Licet hic (de Nazario loquitur Martyre)

S. Max. in
 natali Naza-
 & Celsi.

Hiero. cō-
tra Vigil.

„Mediolanensium peculiaris putetur, priuile-
 „gio sepulchri, sed omnium est communione
 „suffragij. Et Paulo post: Non clauditur locus,
 „quod diffunditur meritis, inuocasti vbique
 „martyrem? vbique te exaudit, qui honoratur
 in martyre. In eandem etiam sententiam
 beatus Hieronymus, Vigilantio respondit
 hæretico, cuius insanas tu voces pro viribus
 imitaris. Ergo & cineres suos, amant animæ Mar-
 tyrum (inquit Vigilantius) & circumuolat eos,
 „semperque presentes sunt, ne forte si aliquis preca-
 „tor aduenierit, absentes audire non possunt. Cui hie-
 „ronymus. O portentum in vltimas terras de-
 „portandum. Rides de reliquiis Martyrum, &
 „cum authore huius hæreseos Eunomio, ec-
 „clesiis Christi calumnias struis: nec tali socie-
 „tate terreris, vt eadem contra nos loquaris,
 quæ ille contra ecclesiam loquitur. Valde te
 igitur ridiculum præbes dum sanctos, si inuo-
 candi à nobis sint, vbique esse debere cōten-
 dis. Etenim si nostra hæc, quamuis infirma
 oculorum acies, in cælum vsque, atque syde-
 ra facile penetrat: adeone caligare Angelos
 putabimus, vt quæ in terris aguntur cernere
 nequeant? Non enim illi à rebus, quas intue-
 tur species quasdam, & quasdam quasi simu-
 lachra, more nostro emendicant, vt rerū ab-
 sentia, aut vlla locorum intercapedine illo-
 rum cognitio queat impediri. Nam vt nihil
 hic de caelesti illa, & quæ naturæ vires lon-
 gissimè superat, cognoscendi ratione loquar,
 qua vel in Verbo sancti, vel ex diuina reue-

latione, quæ voluit omnia, clarissimè cer-
 nunt: tanta illis intelligentiæ vis inest, tanta
 perspicacitas, quantam ne animo quidem, ac
 cogitatione comprehendere valeamus. De
 qua tu cum dispuras, noctuam mihi imitari
 videris, de aquilarum acumine iudicantem.
 Neque tamen te pudet dicere: *Quidquid con-
 tra multos Deos affertur, id contra vestros calices
 omnino valet, quos & multo studiosius quàm Deum
 ipsum colitis, & honoribus spoliisque diuinis exor-
 natis.* Hæc te nimirum Vigilantius hæreti-
 cus docuit, cui quod olim Hieronymus, idè Vigilantiū,
 ego nunc tibi, eodem sane iure respondeo. „
 „Quis enim, (inquit) ô insanum caput aliqua-
 „do martyres adorauit? Quis hominem puta-
 „uit Deum? Nonne Paulus & Barnabas, cum „
 „à Lycæonibus Iupiter, & Mercurius putarè-
 „tur, & eis vellent hostias immolare, sciderūt „
 „vestimenta sua, & se homines esse dixerunt. „
 „Non quod meliores non essent, olim mor-
 „tuis hominibus, Iouè, atque Mercurio: „
 „sed quod sub gentilitatis errore, honor eis „
 „Deo debitus deferretur. Quod & de Petro „
 legimus, qui Cornelium, se adorare cupien-
 tem, manu subleuauit, & dixit: Surge, nam &
 ego homo sum. Hæc ille, ex quibus tu, quæ
 sanctis cum Deo regnantibus honorem ec-
 clesia catholica tribuendum censeat, facile
 potes intelligere. Non enim vt tu impiè sin-
 gis, diuinis eos spoliis catholici exornamus,
 sed ad grati animi significationem, ac bene-
 ficiorum, quæ illorum precibus, ac interces-

Lib. 8. de cur
radis Græc.
affect.

sione à Deo accepimus, recordationem, publica in ipsorum Basilicis monumenta cõstruimus, quibus ad eos debitis laudibus celebrandos, diuinumque in iis numen prædicandum, pij omnes excitètur. Quem tu morem, non à nobis excogitatum, sed antiquissima ecclesiæ catholicæ consuetudine receptum esse, ex iis licet intelligas quæ supra Theodorero citauimus. Nam & alij, inquit, oculorum, alij pedum, alij manuum simulachra suspendunt, ex argento auroque confecta. Hæc sunt sanitatis quam martyres illis contulerunt certissima signa. Eadè deinde ignorantia, vel sanè impudentia, mox addis. *Qui novos deprecatores, mediatorésque introducunt, ij sunt in Christum iniuriosi.* Quoties enim à catholicis responsum est, vnicum nobis mediatorem esse Christum, qui nostræ redemptionis pretium, Deo Patri pro nobis persoluit, nosque cum eo in gratiam reduxit? Verum ut hanc salutem, Christi nobis sanguine comparatam, certius consequamur, quotquot vnus sumus corporis membra, atque sub vno capite Christo viuimus, muruam certè, pro alijs alij, intercessionem, apud communem dominum maximo charitatis iure debemus: neque magis Christum, Mediatoris officio spoliamus, cum sanctorum cum eo iam regnantium, preces atque intercessionem expetimus, quam cum Diui Pauli exemplo, Christianos adhuc in terris viuentes, ut pro

nobis intercedant rogamus. Nam, quod ad Sanctorum eleuandam intercessionem, illud Apostoli profers. Vnus mediator, Dei, & hominum, homo Christus Iesus: tantum abest profectò, ut mutuas Christianorum preces, atque intercessionem eo loco reprehenderit, ut eas, disertis ipse verbis laudaret, fierique summopere optauerit. Obsecro (inquit) primum omnium, fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus: pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus, in omni pietate, & castitate. Hoc enim bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Moxque ea quæ tu perperam intelligis verba subiungit. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Quasi dicat: cum vnus omnium sit hominum mediator, atque redemptor, qui tam amplum redemptionis pretium persoluit, tatoque salutis nostræ desiderio ardet, summa ope niti decet, ut non ipsi pro nobis tantummodo, sed & pro alijs quoque omnibus oremus, ut communi tam salutaris redemptionis beneficio omnes perfruamur. Non ergo, quia vnus mediator, pro alijs alij orare, aut aliorum orationes experere prohibemur, quin potius hac ipsa de causa,

Aug. lib. 2.
con. par.
cap. 9.

si Diuum Paulum audiamus, vtrumque pre-
stare debemus. Quod & Beatus Augustinus
eruditè obseruauit, Homines enim omnes
Christiani (inquit) inuicem se commendant
orationibus suis. Pro quo autem nullus in-
terpellat, sed ipse pro omnibus, vnus verusq;
mediator est. Cuius typus, quoniam præfi-
gurabatur in sacerdote testamenti, nullus il-
lic inuenitur, orasse pro sacerdote. Paulus
autem apostolus, quoniam sub capite præci-
puum membrum, sed tamen quia membrum
est corporis Christi, & nouerat, non per fi-
guram in interiora veli ad sancta sanctorum,
sed per expressam, & firmam veritatem, in in-
teriora cæli, ad sanctitatem non imaginariã,
sed æternam pro nobis intrasse maximum, &
verissimum sacerdotem ecclesiæ, se oratio-
nibus ecclesiæ & ipse commendat. Nec me-
diatorem se facit inter populum & Deum: sed
rogat vt pro se orent inuicem omnia mēbra
corporis Christi, quoniam pro inuicem soli-
cita sunt membra: & si patitur vnum mem-
brum, compatiuntur omnia membra. Quis
hic non videat vnus licet Dei & hominum
mediator sit Christus, nihil tamen prohibere
quo minus suis nobis precibus sancti opitu-
lentur. Tandem verò melioribus argumen-
tis, prorsus destitutus, ad nescio quos ritua-
les libros confugis, ex quibus magno, vt vi-
detur studio, obsoleta quædam, & in speciem
dura, vndique corradis, quasi alia nos defen-

damus, quam quæ in clarissima ecclesiæ luce
sunt posita, illiusque publica authoritate cõ-
probata: Verum ego vestrum hoc esse inge-
nium, re ipsa iam satis experior, vt in huius-
modi nugis potissimum causæ vestræ præsi-
dium ponatis, rectissimèque in vos quadrat,
quod de Arianis olim patribus vestris Gre-
gorius Nazianzenus scriptum reliquit. *ὡς Naz. orat. 2.
ἐστὶ τῆς ἀκρας κερδοδαίμονίας μὴ ἐν τοῖς
ἰδίοις ἰσχυροῖς τὸ ἀσφαλὲς ἔχειν, ἀλλ' ἐν
τοῖς ἑτέρων σαθροῖς.* Extremæ (inquit) mis-
eriæ est, non propriis viribus, sed aliorum im-
becillitate niti, atque confidere. Operæpre-
tium tamen est, quæ tanquam absurdissima,
& summæ impietatis plena affers, expende-
re. *An hæc* (inquis) *vestra audes defendere, Cã-
prianè?* Iure matris impera. Hæc certè, aliæque
fortassis huiusmodi, à piis quibusdam viris,
in sacratissimæ virginis laudem, popularibus
olim rithmis expressa, satis ostendunt, nullos
tum Lutheranos, nullos Calvinianos, whri-
stiano in orbe fuisse. Quorum calumnias si
experti aliquando fuissent, accuratiori haud
dubiè stylo, vestris modò insidiis occurrif-
sent. Nihil enim illum qui hæc scripsit, (quis-
quis tandem catholicorum fuerit) à vera re-
ligione alienum, nihil cum supremo, diuini
numinis cultu pugnans cogitasse, planè mihi
persuadeo. Sed cum Dei filium, redempto-
rem nostrum, humanam ex virgine naturam
accepisse, verèque Mariæ filium esse, certissi-

ma fide crederet: summâque apud filium gratia atque autoritate beatissimam matrè valere non dubitaret, accuratû illum theologorum sermonè nihil moratus, vulgarem sanè, & apud omnes ferè gentes tritissimam, loquendi consuetudinè est sequutus, qua imperare eû nobis posse dicimus, cuius permagnam esse, apud nos autoritatem significamus. Quid ergo mirû, si quis ad humanâ illam consuetudinè alludens, quia magna esse apud filium matris autoritas solet, Deiparam virginem, sic alloquatur? Neque tamè hæc ita velim à quoquam accipi, quasi rithmos huiusmodi, aliâue id genus, à priuatis hominibus, nulla autoritate legitima, in vulgus sparsa, aut in quasdam ecclesias introducta, defendere nos debere existimem, cum nullum veræ religioni præiudiciû, quorûdam hominum priuatorû abusus facere possit, sed vt vos Academici videant, ad calumnias natos esse, qui germano verborum sensu prorsus relicto, quem in primis intueri, Magnus ille Dionysius sapienter iubet, verborum apices, vanissimo contentionis studio, sectamini. Quod & ex eo què mox profero rithmo de beatissima virgine conscriptè perspicuum est.

*Tu spes, cetera miserorum,
Verè mater orphanorum,
Tu leuamen oppressorum,
Medicamen infirmorum,
Omnibus es omnia.*

Vbi

Vbi duo quædam, ni fallor, aures illas tuas teretes, scilicet, ac religiosas, offendunt. Quorum alterum est, quod deiparam Virginem spem nostram nuncupemus. In quo sanè quid quid est criminis, cum ipso nobis beato paulo commune est, quem minimè puduit, cum ad Thessalonicenses scriberet, spem illos suâ nuncupare. Quæ est (inquit) nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos, ante dominum nostrum Iesum Christum estis, in aduentu eius? Vos enim estis gloria nostra, & gaudium. Apostolus igitur sine vlla Christi iniuria, mortales adhuc homines, peccatis obnoxios, atque de sua etiamnum salute sollicitos, spem suam appellauit: & nos Christo iniuriosi erimus, si sanctissimam illius Matrem, omnis prorsus peccati labifque expertem, ac sempiterna iam felicitate copiosissimè cumulata, spem nostram vocauerimus? Neque enim nos aliter, in deipara virgine, vllæ omnino creatura spem collocamus, quàm in causa efficiente secundaria, & instrumentali, vt Scholæ verbis vtatur, qua ad ea consequèda iuuamur, quæ ad æternam beatitudinè obtinendam conferunt. Non enim ignoramus, quæcunque nobis diuino munere beneficia conferuntur, à Christo omnia, veluti à perenni quodam, largissimoque fonte, in nos manare. Quod tu si animaduertes whitakere, non tanta, vt arbitror, impudètia, Dei Matrem, reliquosque

1. Thess. 2.

D. Th. 2. q.
7. art. 4.

Y y

Homel. de omnes cœlites aspernaretis. Intellexit hoc
 laud. Mar. sanè Eiphanius, olim veterum hæreticorum
 hostis acerrimus. Mariam (inquit) interpre-
 tari solemus, dominam atque spem: peperit
 enim dominum, qui est spes totius mundi,
 nempe Christum. Intellexit Ephrem, magni
 illius Basilij diaconus, cum spem Christiano-
 rum Mariam appellaret. Ac ne pluribus recen-
 sendis prolixior sim, intellexit doctissimus
 Ephesiorum episcopus, Matthæus Philadel-
 phienis, cum inter cetera Virginis encomia,
 eâ esse desperatorum spem, liberè professus est.
 Ab his ergo aliisque ecclesiæ patribus, eccle-
 siasticâ loquendi consuetudinem, cuius pro-
 fus te esse ignarum ostendis, disce: & quo que-
 que sensu accipienda sint prius si sapis, intel-
 lige, quam te ad reprehendendum compares.
 Quod si faceres, nihil in iis, quæ sequuntur
 Mariæ encomiis, à vera pietate, ac religione
 alienum esse: nihil cum summa Christi media-
 toris gloria pugnare, deprehēderes. Et certe,
 qui patrum nostrorum ætate, sanctissimæ Vir-
 ginis opem, piè, fideliterque implorarunt, nõ
 magis argumētorum vi, atque pondere per-
 suasit, quam experientia ipsa edocti, hæc, alia-
 que multo maiora encomia meritò illi tri-
 buenda crediderunt. Sensit hoc olim Iustina
 Naz. ora. in vii go, quæ Nazianzeno teste, ad flagitium ve-
 laud. Cypri. hementer, à Cypriano, adhuc magicis arti-
 bus dedito, sollicitata, ad Deum confugit,
 Virginemque Mariam, supplex obsecrauit,

vt periclitanti auxilium, virgini virgo ferret:
 moxque voti compos effecta, quem antea
 pudicitia suæ hostem senserat, pium diuini
 numinis cultorem vidit. Sensit Ioannes ille
 Damascenus, qui amputatam à Tyrano dex-
 tram, implorata Virginis ope, incolumem re-
 cepit. cuius rei si testem requiris, Ioannem
 profero patriarcham Constantinopolitanum,
 à quo rei gestæ historia literis græcis manda-
 ta est, & ab œcolampadio, vestro, latinitate
 donata. Sensit Theophilus Ciliciæ œcono-
 mus, qui cum Iustiniâno imperatore, Chri-
 stianam religionem, impiè abiurasset, tatum
 que scelus Chirographo etiam dæmoni tra-
 dito, consignasset, acerbissimo deinde suo-
 rum peccatorum dolore perculsus, ad Mariam,
 vt ad oppressorum solamen singulare confu-
 git, cuius adiutus precibus, & Chirographum
 recepit, & post dignos pœnitentiæ fructus,
 in ecclesiam denuo receptus est. Quam histo-
 riam Metaphrastes, ex Patriarcha refert con-
 stantinopolitano, qui & in Theophili se ædi-
 bus narum, & rei gestæ ocularum fuisse te-
 stem dicebat. Meminerunt & huius historiæ Cent. ca. 6.
 Magdeburgici vestri centuriatores, sed qua
 fide vos videritis, omissa nimirum beatissimæ
 Virginis ope implorata, & syngrapha à dæmo-
 ne recepta, quod suæ ista causæ parum con-
 uenire putarent. Me verò dies deficeret, si
 quæ optimi quique historici huius rei exem-
 pla, literarum monumentis commendarunt,

vellem recensere, tu si quod harum te rerum desiderium tenet, præclarū illud, optimi, atque eruditissimi viri, Petri Canisij Societatis nostrę Theologi, opus de sacratissima virgine, aduersus Centuriatorū mendacia conscriptum, perlege, ex quo multa profectò disces, quæ in Caluini schola, nondum didicisti. Sed illud fortasse, omnium tibi absurdissimū videretur, quod postremum ex illo ritmo commemorasti. Omnibus es omnia. quā sanè phrasin, nullo tu vnquā ecclesiæ catholicæ calculo probatam fuisse ostendes: quanquam, & suam illa interpretationem, haud incommodam ferat. Quis enim dubitet Mariam, quidquid à filio, petierit impetrare? aut quis eam aliud petere posse existimet, quàm quod Deo gratissimum, & iis, pro quibus postulat, salutare futurum sit? Atque hæc quidem aliaque interdum similia pij viri scripserunt, quibus nihil se abiectum, nihil humile, sed maxima omnia, ac præclarissima de saluatoris nostri Matre sentire docerent. Veterum nimirū ecclesiæ patrum vestigia sequuti, quibus ad Mariam dignis laudibus celebrandam, nulla vnquam ingenij vis, nulla verborum copia satis esse ampla videbatur: vt mihi in deiparæ encomiis recensendis, secum patres pio quodam studio certasse videātur. Cælum eam Damascenus vere animatum, vitæque thesaurū, atque abyssum gratiæ nominat, quæ creatas res omnes longissimè su-

peret, omnibusque dominetur, cum illius sit mater, qui creator, opifex, ac dominus vniuersorum existit. Iacobus vero apostolus, ac domini frater, beatam vocat deiparam, irreprehensam Matrem dei nostri, honorabiliorē cherubim, gloriosiorē Seraphim, corruptionis expertem, gratia plenam, templum sanctificatum, paradisum spiritualem, virginum denique gloriam, cui vniuersa gratulatur creatura. Sicut Eua seducta est (inquit beatus Irenæus) vt effugeret deum, sic Maria suaasa est obedire deo, vt virginis Eux, Virgo Maria fieret aduocata; & quemadmodum astrictum est morti genus humanum, per virginem, sic saluatur per virginem. Nec dissimile est illud Tertull. Credidit Eua serpenti, credidit Maria Gabrieli, quod illa nō credendo deliquit, hæc credendo delenit. Quod & Sedul. noster his versibus cecinit.

*Et velut è spinis, mellis rosa surgit acuis,
Nil quo ledat, habens, matrēque obscurat honore,
Sic Eua de stirpe, sacra veniente Maria.*

Virginis antiqua facinus, noua Virgo piavit.

Plurima sunt huiusmodi, in veterum monumentis passim obuia, ex quibus quāto in honore, apud Christianos Deipara virgo semper fuerit, perspici potest. Quid ergo mirum si patrum vestigia sequuti, quam Angeli, atque Archangeli, suspiciunt, ac venerantur, nobis esse mortalibus colēdam, & omni quo possumus laudis genere celebrandā ducimus:

Damasc. de Dormi. vir.

In liturgia S. Iacob.

Ire. lib. 3. c.

33.

Tertul. lib. de carne Christi.

Sedul. in ca. de pasce.

eoque magis, quò maiori vos ope niti vide-
 mus, vt beatissimæ Virginis dignitati, atque
 præstantiæ, plurimū detrahatis. Quo in ce-
 lere eò estis progressi, vt nò ipsi modo, quod
 ad illius laudē spectet nihil vnquam dicatis,
 sed illos etiam qui, vt par est celebrant, ido-
 lolatras appellare non vereamini. Quod dum
 facitis merito profecto Campianus *σκιαμα-
 χία* vos dixit committere. Nos enim (quod
 sæpe iam diximus) non eum cultum, qui soli
 Deo debetur Mariæ tribuimus, neque Deā
 omnino facimus, sed vt Dei matrem, singu-
 lari quadam præ cæteris etiam sanctis vene-
 ratione prosequimur. Hæc de *σκιαμαχία*
 tam vobis familiari. Nunc *λογομαχία* expē-
 damus, quam vos singularem committere
 Cāpianus ait, cum à catholicis petitis vt Mis-
 sæ vobis nomen, aut Purgatorij in diuinis li-
 teris ostendant. Quid enim hoc est aliud, quā
 re ipsa penitus omiſſa, de nomine stultè rixari?
 Vbi enim Trinitatis, vbi *ὁμοούσις*, vbi per-
 sonæ nomē in scripturis vsurpatum legimus?
 Nusquā profectò, vt rectè Campianus dixit.
*At voces istæ (inquis) quāuis non sint in scripturis,
 tamē ipsa res, sensusque, vt scribit Epiphanius, omni-
 bus in locis occurrit: tua vero Campiane, sic non sunt
 in scripturis, vt neque nomen, neque res vsquam ap-
 pareat.* Hoc verò whitakere, vt non dicere tā-
 tum, pro veteri tua consuetudine, sed Acade-
 micis etiam ostendere videreris, soluenda ti-
 bi in primis erant Catholicorum argumēta.

quibus Missæ sacrificiū, à Christo institutum
 esse clarissimis diuinarū literarū testimoniis
 demonstratur. Sed duriorē hunc nodum
 sciebas, quā vt tuis tuorumque omnium
 cuneis frangi aut dissolui posset. Itaque pru-
 denter sanè, authoritate tua vsus, affirmas tā-
 tum, quasi Pythagoricū reliquis omnibus si-
 lentium imposturus. Ne tamen assertionem
 tam temerariā, temerè etiā præterire videar,
 in Academicorum sanè gratiam, ex plurimis
 quæ dici possunt, pauca subiiciā. Ac primū
 quidem, qui Missæ sacrificiū in scripturis re-
 periri pernegas, nunquāne apud euangelistas
 legisti in vltima Christum cœna, immolato
 agno typico, hoc est corpus meū dixisse? Ni-
 hil enim euangelistæ clarius, nihil difertius
 scribere potuerunt. Hoc si negas, frustra pro-
 fecto scripturas à nobis in posterū exiges: cū
 nihil esse hac scriptura manifestius queat. At
 tibi fortasse non hoc idem esse videtur, quod
 Missæ sacrificium instituisse: cum Missa à no-
 bis, oblatio quædam ac sacrificium esse dica-
 tur. Ignoras videlicet quid oblationis nomi-
 ne, ac sacrificij intelligi debeat, quod si scires,
 non tanta, opinor impudentia rem tam per-
 spicuum negares. Est enim offerre, si vim no-
 minis, ac notionem, penitus introspiciamus,
 nihil aliud quā alteri quidpiam tradere, at-
 que donare, vnde & oblatio omnis donum
 quoddam, nò immeritò dicitur. Verum quia
 interdū illa etiam quæ absunt donamus, fit vt

non quoduis donum, sed rei tatum presentis, oblatio nominetur. Offerre enim est rem alteri presentem sistere, coramque exhibere, vt oblationis vox rei quæ offertur presentiam includat. Quod & hebræa vox קָרַב diuinis literis tam familiaris, satis confirmat, quæ à verbo קָרַב quod est appropinquare ducta, oblationem significat. Ex quo illud etiã perspicuum est, nihil esse necesse, vt qui offert, offerre se palam verbis profiteatur, cum neque mosaicæ legis sacerdotes, in suis hoc sacrificiis semper egisse legantur: neque Christus ipse, cum hostiam Deo patri suauissimam in cruce pro totius mundi peccatis offerret: quin potius ad oblationis naturam, illud satis esse putandum est, vt res ipsa quæ Deo offertur illi verè exhibeatur & quasi in manus tradatur, cum nostræ illum mentes, ac cogitationes minimè lateant, neque ad eas cognoscendas verbis ille, aliusue signis, opus habeat. Iam vero, inter ea quæ homini homo offert, & quæ Deo offeruntur ab homine, discrimen sanè maximum perspicere licet, homini enim si quid donatur, cum tibi ipse non sufficiat vt se, corpus, vitamque tueatur, ad vsus vitæ necessarios donari solet, neque quisquam, sed donum ab aliquo accepisse dicit, quo ipse, pro arbitrio vti suo nequeat. At deus cum rerum sit omnium dominus, & honorum nostrorum, scriptura teste, minimè egeat, nihil sanè à nobis hic exigit. Quis enim ita desipiat (inquit Aug.) vt existimet aliquibus vsibus Dei esse necessaria quæ in sacrificiis offeruntur? Quod

Eccl. 15.
Aug. 10. de
ciuis. c. 5.

adeo verum est, vt non modo non carnibus taurorum, aut hircorum sanguine, aliusue id genus fluxis, & caducis rebus, sed ne ipsa quidè hominis iustitia Deus vlla indigere ratione, censendus sit: quin potius, vt eodem beatus, Augustinus loco testatur, totum quo rectè, colitur Deus, homini prodesse, non Deo credendum est. Neque enim fonti se quisquam, dixerit profuisse, si biberit, neque luci si viderit. Deo igitur longè aliter, quàm homini, donum offerre aliquod dicimur: nimirum cum quouis officij genere, aut rei vllius vsu, quoad eius fieri à nobis potest, gloriam ipsi, dignamque sua maiestate omnium hominum existimationem paremus. Quod tum facimus, cum officium aliquod actionemve cum pietate coniunctam, aut rei alicuius vsu, libera voluntate eo referemus, vt quam Deo λατρεύειν, quem seruitutis cultum debemus, eum palam profiteamur, summamque illius, atque immensam maiestatem, hoc veluti signo agnoscamus. Atque hoc demum est, supremo illo religionis cultu, diuinòque Deum honore, venerari. Nam cum in lege Moyli, frugum suarum primitias populus offerebat, quid aliud, quàm Deum bonorum omnium authorem esse, ac largitorem benignissimum profirebatur? idemque de cæteris illorum sacrificiis censendum esse, rerum nos vsus, atque experientia docet. Verum cum varia sint, quæ ad Dei cultum referri soleant, eorum quædam sunt huiusmodi, vt bonitatem in se quædam,

atque honestatem, suapte vi ac natura contri-
neant, etiam si ad Dei cultum, peculiari qua-
dam ratione minimè referantur. Quo in ge-
nere Iustitia, Temperantia, cæteræque virtu-
tes censentur. Alia verò, si eorum spectes na-
turam, nihil in se laudabile, nihil præclarum
habent: vt genua flectere, animal occidere, at-
que exurere, cæteraque id genus, in quibus, si
sola considerentur, nulla boni honesti ratio
elucescit. Ex quo fit, vt virtus ea quam pro-
priè religionem vocamus, ab aliis lōgè diffe-
rat, quod propria quadam, ac peculiari ra-
tione, in diuino sit cultu occupata, eâsque ex
sele actiones gignat, quæ laudem planè nul-
lam, nisi quia ad Dei cultum fiant, merentur.
Deum verò tam colimus, cum illi, quam de-
bemus reuerentiam, summa cum animi sum-
missione præstamus. Vt cū genibus nixi Deo
preces fundimus, nihil certè aliud hac cor-
poris summisione, quàm illius nos seruos
esse, atq; ab illius nutu prorsus pendere, pro-
fitemur: vt non immeritò beatus Augustinus
scriptum reliquerit, visibile hoc sacrificium,
quod animo ac voluntate perficitur, sacra-
mentum esse, id est sacrum signum. Quamuis
igitur cæterarum etiam virtutum actionibus,
Deum ritè colamus, quoties eas ad illius ho-
norem, vt par est exercemus: (quis enim ie-
iuniis, elemosynis, martyrio denique, aliis-
que huiusmodi pietatis officiis, Deum coli
neget) tamen quia non à religione ista, sed ab
aliis, vt supra dixi, virtutibus proficiuntur,

Aug. lib. 10.
de Ciu. Dei.
cap. 6.

ad religionem, si propriè loquamur, non per-
tinet. Neque verò me latet harum etiam vir-
tutum actiones, non ab ecclesiasticis modò
auctoribus, sed in diuinis etiã literis, religio-
ni tribui. Nam & beatus Augustinus omne
opus bonum, ad religionis virtutem pertine-
re pronunciat. Et ad Romanos scribens D.
Paulus: obsecro vos fratres, inquit, vt exhi-
beatis corpora vestra, hostiam viuètem, Deo
placentem. Et in epist. ad Philippenses, Elec-
mosynam acceptam Deo, placentemque ho-
stiam appellat, non quidem quòd hæc pro-
priè religionis sint, sed quia religionis vir-
tus, vt est cæteris sublimior, imperare quo-
que illis potest, atque illarum officia, actio-
nèsque in summum illum, atque supremum
finem destinare. Oblatio igitur, cuius supra
vim, atque notionem explanauimus, ad hanc
quam diximus religionis virtutem, pertinere
censenda est. A qua sanè oblatione sacrificiū
non tam natura sua, quam externa quadam
differentia, distinguitur. Nimirum quia res in
sacrificio oblata, ritu certo, ac ceremonia
mutetur, ac conficiatur. Quo quidem ritu, vt
rei oblatae quædam est immutatio, debitum
Deo cultum exhibere, supremumque eius
numen agnoscere se profitemur, qui sacrificiū
offert. Vt cum in veteri lege oblatus in sacri-
ficio panis frangebatur, animalia occide-
bantur, & comburebatur, aliæque huiusmo-
di, quibus diuinum il cultum supremo nu-
mini sese exhibere, profitebantur. Quod &

Aug. lib. 10.
de Ciu. 6.6

Rom. 12.

Ad Phil. 4.

Aug. lib. 10.
de Ciui. c. 6.

ipsa nominis vis, atque ratio perspicuum facit. Quid enim est aliud sacrificare, quam sacrificum quidpiam facere? Quod sanè ritu aliquo, & cæremonia fiat oportet. Nam quod à beato Augustino scriptum est, sacrificiū esse omne opus bonum, quod agitur vt sancta societate inhæreamus Deo, latius omnino patet, quàm vt sacrificij propriè dicti definitio censeretur, cum & aliarum etiam virtutum omnium actiones complectatur. Tu verò whitakere expectas fortasse vt suum, in nouissima eum Apostolis cæna, corpus, ac sanguinem, Deo patri in sacrificium obtulisse Christum probemus. Quæ res profecto adeò est manifesta, vt ignorari à vobis, nisi veritatis odio excæcatis non possit. Etenim cum sese vnigenitus Dei filius, vt summum patri cultū exhiberet, eo vsque demiserit, ac veluti abiecerit, vt sub infirmis, egenisque panis ac vini symbolis contineri non recuset, si tunc se patri minimè obtulit, nulla profecto vera esse oblatio vnquam poterit. Cùmq; corpus Christi ac sanguis nouo quodā, atque vt ita dicam, sacramentali modo in sanctissimo Eucharistiæ sacramèto existant, efficitur omnino vt ob mutationem hanc, tam admirabilem, virèsq; omnes humanas longissimè superantem, non modò sese Christus tunc patri obtulerit, quod & toto vitæ in terris suæ tempore fecit, atque etiamnum in cælo facit, v-

num etiam propriè seipsum ac verè patri sacrificauerit. Vos verò, qui neque oblationis, neque sacrificij vim, atque naturam vultis intelligere, quid mirum si sophistarum more, in verborum controuersia præsidium omne, spemque vestram collocatis? Quis enim, nisi qui apertissimæ etiam veritati pertinaciter resistere statuit, non facillè ex clarissimis euangelistarum verbis colligat, Christum in cæna, cum panem, vinumque in corpus suum ac sanguinem transmouit, atque Apostolis manducandum se præbuit, incruento seipsum sacrificio, secundum ordinem Melchisedech Deo patri obtulisse? Vidit hoc certè palamque professus est, sanctissimus ille doctissimisque Irenæus, Apostolorum ætati proximus, cum in hæc verba scripsit. Eum qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex creatura secundum nos, suum sanguinem confessus est, & noui testamenti nouam docuit oblationem, quam ecclesia ab apostolis accipiens, in vniuerso mudo offert deo. Vidit Cypria. clarissimèq; his verbis scriptum reliquit. Nam si Iesus Christus, Dominus & Deus noster, ipse est summus sacerdos Dei Patris, & sacrificiū patri ipse primus obtulit, & hoc fieri in sui commemoratione præcepit: utiq; ille sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id quod Christus fecit

Matth. 26.

c. Mar. 14.

Luc. 22.

Luc. 2.

1. Cor. 11.

Iren. lib. 4.

cap. 32.

Li. 2. epist. 3.

August. in
Psal. 33.

Ambr. in c.
10. epist. ad
Hebr.

imitatur: & sacrificium verum, & plenu, tunc offert in Ecclesia deo patri, si incipiat offerre secundu quod ipsum Christu videat obtulisse. Vidit & Augustinus, cu de Christo illud exponit, quod de Dauide sacra testatur historia, qui mutauit vultum suum coram Abimelech, aut Achis, & dimisit eu, & abiit: Christu enim mutasse ait vultu suum, coram regno patris, quia sublatu est sacrificium Aaron, & coepit esse sacrificium secundum ordinem Melchisedech. Atque hac mutatione dimissum a Christo Iudaeorum populum, abiisse interpretatur, quia adherentes Iudaei sacrificio secundum ordinem Aaron, non tenuerunt sacrificium secundu ordinem Melchisedech, & amiserunt Christum, & coeperunt eu habere gentes, quod non miserat ante pracones. Vidit denique Ambrosius, cuius de noui testamenti sacrificio haec verba sunt. Pontifex noster ille est, qui obtulit hostiam nos mundantem ipsam offerimus nunc, quae tunc oblata quidem consumi non potest. Hoc autem quod nos facimus, in commemorationem fit eius, quod factum est. Hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem. Ac ne in re satis aperta prolixior aequo sum, qui hoc non viderit patrum nemo est. Quotquot enim ab Apostolorum aetate, ad nostra vsque tempora floruerunt, incruentum hoc sacrificium a Christo, in caena vltima oblatum, atque institutum fuisse testantur. Quod mihi

quidem nec ipsos laruisse Centuriat ores vestros videtur, qui Ignatium Ioannis discipulum, & Irenaeum a Polycarpo institutum satis de sacrificio incomode ambiguetque loquutos esse pronunciarunt. Ignatius nimirum, & Irenaeus, aliique eiusdem aetatis scriptores, Catholici ad Flacci Illyrici, sociorumque illius scholam mirtendi erant, vt commodè de sacrificio loqui discerent. Ego verò, nihil miror, longè aliter Ignatium, atque Irenaeum quam Illyricum sociosque de hoc sacrificio loquutos esse. Ignatium enim Ioanes docuit, Ioanem quis alius, quam ille supra cuius ipse pectus in caena recubuit, diuinæque ex eo sapientiae thesauros hausit? Illyricus verò è schola prodiit Martini Lutheri. A quo si fortè queras cuius ille antecessoris opera, tam commodè de sacrificio loqui didicerit, apertissima sanè est, & iam olim literis ab ipso mandata responsio. *Ego coram vobis (inquit) reuerendis, & sanctis patribus, confessionem faciam, date mihi absolutionem bonam, quae vobis, opto, quam minimum noceat. Contigit me semel sub mediam noctem, subito experge fieri. Ibi Sathan mecum cepit huiusmodi disputationem. Audi (inquit) Lutere doctor perdoctè: nosti etiam te quindecim annis celebrasse Missas priuatas, pene quotidie. Quid si illas non adfuisset corpus, & sanguis Christi, sed tantum panem & vinum adorasses. & aliis adorandi proposuisses? Cui ego respondi, sum vnctus sacerdos, ac*

Centur. 1.
cap. 4.

Lutherus in
lib. de Missa
priuata. &
vnctio Sa-
cerd. rom. 7.
Vvitem-
bergæ. an-
no 1558.

repi unctiorem, & consecrationem ab episcopo, &c. Mox verò argumenta omnia ordine recenset quibus ad improbandum Missæ sacrificium diabolus vsus est, & etiamnum Lutherani omnes & Calviniani vtuntur. Tādēque cōclufa disputatione: Hic (inquit) respondebunt mihi sanctissimi patres, hic ridebunt, & dicent, tūne es doctor ille celebris, & non nosti respondere diabolo? An ignoras diabolū esse mendacem? Pape! vestro merito vobis gratias ingentes ago, pro tam suavi consolatione in re tanta, has tres vocalas, diabolus est mendax ignorassem hætenus, nisi monuissetis vos eximij Theologotati. Si Papiſta essem, omnium tentationum rudis, quem securum, & stertentem Satan negligeret, vt ipsos negligit indulgentes suis cupiditatibus: etiam talis Cygas essem contra absentem hostem, & alacer, & fortis. Sed si vobis sustinendi essent ictus diaboli, & audienda disputationes, non diu essetis cantilenam de Ecclesia, & veteri recepto more cantaturi. Equidem satis video, in Dauid, & reliquis prophetis, quam grauitur luctemur, in his certaminibus, & similibus contra diabolū, & horribilem impetum eius. Et Christus ipse (quis sine peccato) propter nos in quantis lachrymis, in quibus angustus agonizauit, in his agombus contra Satanam. Vrget enim in immensum corda, nec desinit nisi repulsus verbo Dei. Et ego plane persuasus sum, Enserum, & Oecolampadium, & similes his ictibus horribilibus, & quassationibus subito eximios esse. Nec enim humanum cor horrendum hunc, & ineffabilem impetum, nisi Deus illi adsit, perferre potest.

potest. Satan enim in ictu oculi, repente totam mentem terroribus, & tenebris adobruit, & si nihil quam hominem inermem, & non instructum verbo inuenit, quasi digitulo totum inuertit. Verum quidem hoc est, quod mendax sit, sed eius mendacia non sunt simplicis artificis, sed longe callidiora & instructiora ad fallendum, quam humanus captus assequi possit. Ipse sic adortur vt apprehendat aliquam, & solidam veritatem quæ negari non potest: atque eam adeo callide & versute vrget, & acuit, & adeo speciose fucat suum mendacium, vt fallat vel cautissimos. Hæc Lutherus de Magistri sui acumine, in refellendo Missæ sacrificio, à quo quidem magistro, cum Ignatius, Irenæus, cæterique ecclesiæ patres plurimū sepe abhorruerint, quid mirum, si non tam commodè, Luthero iudice, de sacrificio loquantur, quam ipse à præceptore illo suo loqui didicit: immò quæ & alios ipse loqui docuit. Ex quibus Ioannes Calvinus in aliis licet grauissimis religionis capitibus, Luthero infestissimus, hic tamē illi non inuitus assentitur. Cum enim videret clariora esse patrum omnium de Missæ sacrificio testimonia, quam vt vlla arte obscurari possent, quem soluere non potuit nodum, rumpere voluit, & patres in hac re omnes errasse palam asseruit, quippe qui mortem Christi, summumque illius beneficium mirifice obscurarint. Veteres (inquit) excusandi non sunt: quatenus scilicet ipsos apparet, à

Cal. lib. de
& c. fox. eccl.

puro & genuino Christi instituto deflexisse. Nam cū in hunc finem celebranda sit cœna, ut sacrificio Christi communicemus, eo non contenti, oblationem quoque addiderunt. Hoc auctarium vitiosum fuisse dico, partim quia beneficium Christi morte nobis praestitum obscurat, partim quia alienū est à sacræ cœnæ natura. Et alio loco. Vetus quoque illos videro, alio hanc memoriam detorsisse, quam institutioni domini conueniebat, quod nescio quam repetitæ, aut saltem renouatæ immolationis faciem, eorum cœna præ se ferebat. Et paulo post. Excusari non posse arbitror, quin aliquid in actionis modo peccauerint. Imitati sunt enim propius iudaicum sacrificandi morem, quam aut ordinauerit Christus, aut euangelii ratio ferebat. Sola igitur est præpostera illa anagoge, in qua merito eos quis redarguat, quod non contenti simplici, ac germana Christi institutione, ad legis umbras nimis deflexerunt. Quem verò non pudeat talium se magistrorum discipulum profiteri? Quorum in patribus redarguendis, audaciāne maior an ignorantia sit, non facile dixeris. Nam quod patres, Caluinus, Christi institutioni oblationem ait, quasi de suo addidisse, quā sit à veritate alienum, vel ex eo perspicitur potest, quod supra ostendimus in nouissima Christum cœna, corpus suum ac sanguinem Deo patri obtulisse. Quæ res, & ex fine ob quem est à Christo Eucharistia instituta, luce clarius demonstrari potest. Hoc facite, inquit, in meam commemorationem, id est, In memoriam, cruenti, in cru-

Cal. lib. 4.
cap. 18. sect.
11.

Luce. 22.

1. Cor. 11.

cesacrificij iugē, atque perpetuam. Sic enim Diuus Paulus interpretatus est: Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem biberis, mortem domini annuntiabitis donec veniat. Vsum ergo Eucharistiæ huiusmodi esse necesse est, ut oblato illius in cruce sacrificij memoriam, modo quodam singulari, minimeque aliis sacramentis communi renouet, nobisque ob oculos ponat. Neque enim, hoc dicite, Christus ait, neque prædicare, neque denique commemorare: sed hoc facite, inquit, in meam commemorationem, id est efficit omnino, ut factō vestro mortē meam annuntietis, & cruenti illius sacrificij quod pro vobis ego Deo patri in cruce oblatus sum, memoriā, expressamque ob oculos imaginem constituatis. At si nihil aliud quàm cœna quædam est Eucharistia, qua mortis Christi beneficium in nos deriuatur, quis non videt nullam in ea propriam esse, ac peculiarem dominicæ passionis representationem, cū id omnium sit sacramentorum commue, ut dignè ea percipientes, diuinæ gratiæ participes reddant. Verum in Eucharistia, inquit, Christi corpus ac sanguis seorsim consecrantur. Quæ res, factor, mortem quidem Christi representare potest, Christum verò sua se sponte, morte afficiendum tradidisse, non potest. Quare si vnicū illud pro humani generis salute, oblatum sacrificium, verè in Eucharistia repræ-

sentare volumus, ipsum quoque in ea offerri
 necesse est. Ad vestras enim whitakere, cœ-
 nas quod attinet, nullam profecto mortis
 Christi, vel leuissimam memoriam continēt.
 Quis enim sanus dicat mensæ accumbere,
 panem ac vinum sumere, edere denique, ac
 bibere, mortis dominicæ commemoratio-
 nem esse? At nihil in cœna aliud agitis. Con-
 ciones, crêdo, vestras hic commemorabitis.
 Sed si quæ Dino Paulo, immo si quæ ipsi
 Christo fides habenda est, nulla profecto
 concione, sed ipso Eucharistiæ vſu, ac cele-
 bratione mortem domini commemorare iu-
 bemur. Quod veteres illos ecclesiæ catholi-
 cæ patres vno omnes ore testari perspicuum
 est. Quid enim apertius quā quod Clemens
 const. apos. in episcopi ordinatione obseruari solitā def-
 cribens commemorat? Da ipsi domine om-
 nipotens, per Christum tuum participa-
 tionem spiritus sancti, vt habeat potestatem
 remittendi peccata secundum mandatū tuū,
 & cæt. Et paulo post. Placendique tibi, in
 mansuetudine, & corde mundo offerendo ti-
 bi, sine culpa semper, & sine crimine, sacri-
 ficium mundum & incruentum, quod per
 Christū instituisti, mysteriū noui testamenti
 in odorem suauitatis, per sanctum filiū tuum
 Iesum Christū Deum, & saluatorem nostrū.
 Quid clarius illustri illo beati Martialis vnus
 certè ex 70. discipulis testimonio? Quod lu-

Clem. lib 8.
 const. apos.
 cap. 5.

Martial. in
 epist. ad Bur-
 degal.

dei (inquit) per inuidiā immolauerunt, nos in
 ara sanctificata salutis nostræ causa proponi-
 mus, hoc solo remedio sciētes vitā nobis pre-
 standā, & mortē effugiendam. Hoc enim ip-
 se dominus noster iussit nos agere in sui com-
 memoratiōe. Quid illis Chriſost. verbis il-
 lustrius? In veteri quidem testamento, cū im-
 perfectiores essent, quē idolis offerebāt san-
 guinem ipse accipere voluit, vt ab idolis illos
 auerteret, quod etiam inenarrabilis amoris
 signum erat: hic autem multo admirabilius,
 & magnificentius sacrificium parauit, & cū
 sacrificium ipsum commutaret, & pro bruto-
 rum cæde, seipsum offerendum præciperet.
 Quid Ambr. illa ad sacerdotes exhortatiōe
 præclarior: Vidimus, inquit, principem sacer-
 dotum ad nos venientem, vidimus & audiui-
 mus, offerentem pro nobis sanguinē suum.
 Sequamur, vt possumus, sacerdotes, vt offe-
 ramus pro populo sacrificiū, & si infirmi me-
 rito, tamen honorabiles sacrificio: quia & si
 Christus nunc non videatur offerri, tamē ipse
 offertur in terris, cū corpus Christi offertur:
 immo ipse offerre manifestatur in nobis, cu-
 ius sermo sanctificat sacrificiū quod offertur.
 Aug. verò quid de hoc sacrificio disertius di-
 cere potuisset, quā cū in hæc verba scripsit.
 Eiusdē mediatoris vocē per prophetiā loquē-
 tis agnoscamus: sacrificium & oblationē no-
 luisti, corpus autem perfecisti mihi: quia pro
 illis omnibus sacrificiis, & oblationibus cor-

Chriſt. ho.
 24. in prior.
 ad cor.

Amb. in pl.
 38.

pus eius offertur, & participantibus ministratur. Quid magnus ille leo pontifex? Discumbentibus secum discipulis (inquit) ad edendam mysticā cœnā, cum in Caiphæ atrio tractaretur quomodo Christus posset occidi, ille corporis & sanguinis sui ordinans sacramentū, docebat qualis deo hostia deberet offerri. Sed cur ego hic patres commemoro quos idem omnes de sacrificij oblatione docuisse constat, cū clarissima sit ipsius ecclesiæ catholicæ vox, quæ sanè ab apostolis ad nostra vsque tēpora, eodē semper, quo nos maioresque nostri sensu illud Christi præceptū intellexit. Hoc facite in meam commemorationē. Vnde & in ipso de quo loquimur quotidiano sacrificio, post quā sacerdos dixit.

HÆC QVOTIESCVNQVE FACERITIS IN MEI MEMORIAM FACIETIS. Mox addit. Vnde & memores domine nos serui tui, & cæt.

Qualia tu ante annos mille in huius sacrificij celebratione, recitata fuisse ex Ambrosio discere potuisses. Ergo memores, inquit sacerdos, gloriosissimę eius passionis, & ab inferis resurrectionis, & in cælum ascensionis, offerimus tibi hanc immaculatā hostiam, in cruentā hostiam, hunc panem sanctum, & calicem vitæ æternæ. Et petimus, & precamur, vt hęc oblationē suscipias in sublimi altari tuo, per manus angelorū tuorū, sicut suscipere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrifi-

Leo. ser. 7.
de pas.

Luce. 22.

Amb. lib. 4.
de sacr. ca. 6

ciū Patriarchę, nostri Abrahę, & quod tibi obtulit sūmus sacerdos meichif. hæc apud Amb. aliaque id genus plurima, apud veteres passim occurrūt, quæ nisi vel turpiter ignorares, vel impudēter impięque contēneres, nunquā profecto Christi mortē in cruento Missæ sacrificio obscurari, cū tuo Caluino blasphemas, sed potius illustrari plurimū, atque ita nobis in memoriā reuocari, vt nullo vnquā tēpore ex eorū animis deleri queat, qui tremēdum hoc sacrificiū ea qua par est fide ac religione frequentant. Eleganter enim Beatus Prosper illa domini apud Moysen verba explanās, vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra: Cain (inquit) figurasse Iudaicū populum terrenis desideriis inhiantē, Abel Christū pastore ouium ab eo populo occisum nullus iā ambigit Christianus: cuius sacrum sanguinē omnis nunc terra accipiens, clamat, Amē, quod est, verū: vt neganti Iudæo quod occiderit Christum, rectē dicatur à deo, Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Neque dissimile est illud Beati Chrysof. Hac de causa desiderauit (inquit dominus) hoc pascha vobiscū comedere, quo vos spirituales faciā. et post pauca. Quid porro, vetus quoque hoc facere potuit, inquires? minimè. Ideo enī, hoc facite, dixit, vt ab illo abduceret. Pręterea si remissionē hoc peccatorū facit, sicut certerē facit, superuacaneū illud omnino est, sed sicut in veteri, eodē hic modo in beneficio reli-

Prosper de
præd. lib. 1.
ca. 6. Genes.

Chrysof.
hom. 83. in
Math.

quit memoriã mysteriorũ colligendo, & hinc hæreticorũ ora frænando. Nã quãdo dicunt vnde patet immolarũ Christum fuisse, & alia multa: mysteria hæc afferentes, ora ipsorum conuimus. Si enim mortuus Iesus non est, cuius signũ aut symbolũ hoc sacrificium est: Vides quantum ei studium fuerit, vt semper memoria teneamus, pro nobis ipsũ mortuũ fuisse. Nã quoniã marcion, Valentinus, manichæus, corũque sequaces negaturi erant hanc dispensationẽ in memoriã passionis, per hoc semper ita reducit mysteriũ, vt nemo non infanus seduci possit. Ita per sacratissimam istã mensam, & saluat, & docet. Hoc enim caput bonorũ omnium est. Frustra igitur Calviniani, iuge hoc Ecclesię catholicę sacrificiũ oppugnatis, frustra insectamini. Nã vt fuit hætenus ita & in posterũ erit, inter catholicos omnes perpetuũ hoc mortis Christi monimẽtum, cuius oblatione mortem domini donec ipse veniat perpetuo annunciabũr. Hoc enim & propheta olim futurum prædixerunt, & Christus ipse fieri præcepit, & Christiani omnes illius præcepto obtemperantes ad hæc vsque tẽpora fecerunt, vt minime necesse sit à Caluinoiã aut beza, quid christus instituerit, post secula discere, sine ista enim fide vestra, vt Hieronymi verbis vtar, mundus hætenus Christianus fuit: & incredibile profecto sapienti est, quod eleganter olim Tertullianus scripsit, vt nos adulterinum stilum videamur intulisse scripturis, qui sumus à principio, &

Tertul. de
prescript.

primi, quã illos intulisse qui sunt posteri, & aduersi. Quo magis equidẽ miror, qua tu frõte dicere audeas, neque missam in scripturis, neque purgatoriũ inueniri: cum nihil vtroque apertius occurrat. Quod ego iam de sacrificio Academicis satis esse ex illis Christi Matth. 26. verbis, Hoc est corpus meum. &, Hoc facite Luc. 22. in meam commemorationem, persuasum nõ dubito. De Purgatorio verò cum res sit torseculorum firmissima consensione in Ecclesia Christi probata, non agam hoc loco prolixius, nec ea tibi scripturarum apertissima sanè testimonia proferam, quibus beatus Augustinus, olim aliique veteres orthodoxi, hoc fidei dogma accuratè demonstrarunt: omnium mihi instar erit, piũ illud ac celebre fortissimi viri Iudæ Machabæi factum, in libris Machabæorum tam luculenter copiosèque descriptum, quos tu libros, quo iure excludis è canone, eodem, vt supra docui, iure alium quemuis excludere potes. Ad reliqua igitur sophismata vestra pergamus. Addit enim Campianus priori vestro peccato affine esse aliud, non minus vobis familiare, literarum aucupium: cùm neglecta cõsuetudine, & mente loquẽtium, quæ vita vocabuli est, aduersus elementa contenditur. Nempe sic dicitis: presbyter nihil est aliud Græcis nisi senior. Sacramentum, quoduis mysterium. Hoc verò tu vitium ita caues, vt crimen in te nihilò sanè minus suscipias. *Presbyteri nomer*

inquis, & Sacramenti, à communi significatione, ad res certas & particulares accommodatur, quemadmodum alia permulta, Ecclesi. i, Episc. Apost. Diac. Quid ergo causæ est, Vvhitakere, cur presbyteri nomen ad eas res certas, & peculiare vos minimè accommodatis, ad quas ecclesiasticos scriptores, quotquot hætenus in Ecclesia Catholica floruerunt, accommodasse non ignoratis? Nisi fortè tam rudes estis, omniq; antiquitatis imperiti, vt eosdem semper presbyteros, & sacerdotes, in ecclesia vocatos fuisse nondum didiceritis, cuius quidem appellationis non alia esse causa potest, quàm quia idem in Euangelica lege presbyteri officium est, quod olim in lege Moyli sacerdotum fuit, quorum erat præcipua functio, vt sacrificia pro populo, precésq; Deo offerret, & in iis rebus quæ ad Deum pertinent, quasi quidam mediatores inter Deum, & populum essent. Vos verò hæc ita distinguitis, vt sacerdotes quidem Christianos esse omnes velitis, quippe qui nullum in Ecclesia externum, propriique nominis sacrificium agnoscatis: presbyteros verò non nisi certos quosdam, ad hoc munus electos dicitis, quibus tamen peculiarem sacrificij offerendi potestatem, à Deo concessam prorsus negatis: tâta quidem ignorãtia, vt absurdissimi erroris pudere vos meritò debeat. Est enim presbyteri vox tam constanti tot seculorum vsu, iis hominibus tributa, quibus solis sacrificare licet, vt ne vos

Sacerdos a
presb.

ipsi quidem, in vestris illis sacrorum Bibliorum versionibus, alio quàm à presbyteri voce duobus nomine, veteris legis sacerdotes vocetis. Sed de hac re paulò post. Neque minus est ridiculum quod addis: cum Paulus matrimonium sacramentum vocat, Sacramentum coivôs sumitur pro quouis mysterio. Est enim hoc obiectum tibi à Campiano crimen, non diluere, sed in te potius vniuersum suscipere, & aperitissima scripturæ testimonia eludere, dum recepta ab omnibus communi vocum similitudine reiecta, aliam vobis pro arbitrio fingitis. Ad homonymiæ igitur vitiù deinceps pergamus, quod vobis esse frequentissimum Apoc. 5. rectissime dixit Campianus. Vestra enim est illa ratiocinatio, quam exempli gratia ex plurimis vnam Campianus attulit. Quorsum ordo sacerdotum, cum Ioannes omnes nos vocaverit sacerdotes? Quid vero hoc est aliud, quàm vocis homonymia pueriliter ludere? Tu verò tantum abest vt crimen inficeris, vt illud etiã palam defendas. Christianos, (inquis) omnes, non Ioannes modo sacerdotes, sed Petrus etiã *ἱερεῖς τευμα ἁγιωῦ βασιλειου* appellavit. Quid tum postea Vvhitakere? Ergone sacerdotes, proprio ac peculiari dictos nomine, in nona lege nullos esse putandum est? Quàm ineptè! Eodem enim argumento & iudæis nullos fuisse ostendes. Quis enim nescit illi olim populo Deum etiam dixisse. Vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta? Quæ sa-

Exod. 19.

nè verba Christiano populo conuenire, beatus Petrus, eo quem proferens loco demonstrat. Vos autem, inquit, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Vt ergo Iudæi omnes communi quadam appellatione, sacerdotes dicti sunt, quod spiritalis Deo hostias offerrent, sic & Christianos Petrus regale sacerdotium, ob eandem sanè causam appellauit. Ipsi, inquit, tanquam lapides viui, superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles deo per Iesum Christum. Quod si cõmunis hæc appellatio, propriam quandam in Iudaico populo sacerdotalis muneris functionem, minimè impedit, ridiculus planè es Vhitakere, qui in Evangelica lege hæc duo consistere non posse cõtenditis. Eleganter autem duplicem hanc sacerdotis significationem, communem, in qua omnium Christianorum, & eam quæ noui testamenti sacerdotibus propriè conuenit, D. Augustinus his verbis expressit. Sed erunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabũt cum eo mille annis: *Non vtiq̃ue de solis Episcopis & presbyteris dictum est, qui propriè iam vocantur in Ecclesia sacerdotes, sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes sacerdotes, quoniam membra sunt vnius sacerdotis, de quibus apostolus Petrus, Plebs, inquit, sancta, regale sacerdotium. Sed illud nos fortè vehementius vrget, quod sequitur. Hec nomen, Sacerdos, usquẽ in nouo*

1. Petr. 2.
Aug. lib. 20.
de Ciuit. Dei
cap. 10.
Apoc. 20.

1. Petr. 2.

testamento, ad Euãgelij ministros propriè accommodatur. Sed neque in scripturis vnquam sacramenti nomen Baptismo, vel Eucharistiæ tributum legimus. An tu effici ex eo putas, neque baptismum, neque verò Eucharistiam propriè sacramentum vocari? Desine tãdem, si sapias, vbi de rebus constat, de vocibus stultè contendere. Etenim si sacerdotis munus sacrificium offerre est, Christumque in nobilissima cœna & sacrificium instituisse verissimũ, & illius deinceps in Ecclesia ad suæ mortis cõmemorationem, offerendi potestatem apostolis, eorũque successoribus contulisse, cum ex clarissimis scripturæ verbis, tum ex perpetuo ecclesiæ vsu constat, quis non videt suos quoque, Christianis hominibus sacerdotes à Christo esse relictos? Hoc verò tanto antea Iaias futurum tam disertè prædixit. Vos autem (inquit) sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri, dicetur vobis. Quod iam esse in veris noui testamenti ministris abũdè impletum dubitare nemo potest, cum toto passim Christiano orbe, ab Apostolis ad nostra vsque tempora Ecclesiæ ministri, sacerdotes ab omnibus sint appellati: à quo nomine, cum tam vehemèter Calviniani omnes, ac Lutherani abhorreatis, planum certè facitis, nihil minus vos esse quàm veros illos, noui testamenti ministros, de quib. propheta loquitur. De quibus & alio etiam loco. Et assumã ex eis in sacerdotes, & reuitas dicit Dominus. Quo loco non communem illam,

Isai. 61.
Isai. 66.

quæ vobis semper in ore est, sacerdotis appellationem, sed propriam omnino, ac peculiarem à propheta vsurpatam vides, quæ illis tantum conueniat, qui ex vniuerso Christianorum cœtu, eliguntur, vt in iis quæ ad Deum sunt suam populo operâ diligenter præsentent. Quod te vel ipsa docere assumendi vox potest. Quid enim est aliud hoc loco assumere, quàm ad præstantius aliquod, sublimitusque munus, ex media aliquem plebe seligere? Quem verò in finem ex reliqua hominum multitudine sacerdos assumatur, clarissimè Ad Hebr. 5. Diuus Paulus expressit. Omnis pontifex, inquit, ab hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Quæ verba non de Leuiticis tantum sacerdotibus, vt ex vestris plerique hallucinantur, sed de omnibus omnino sacerdotibus generatim intelligantur necesse est, alioquin ne de ipso quidem Christo Domino rectè possunt exponi. Et certè quamdiu procurandæ apud Deum salutis hominum locus est, esse autem ad finem vsque seculi constat, assumi semper ex hominibus quosdam necesse est, qui inter Deum & homines, veluti mediatores quidam in iis quæ ad Deum sunt cõstituantur, iisque Dei dona impertiant, pro iis Deo supplicent, illumque singulari quadam religione cultuque venerentur, atque adorent. Quod vos dum obstinatis ita animis negare pergitis, mi-

hi quidem, vt ingenuè dicam quod sentio, nihil aliud quam τὴν ἀθεότητα moliri videntur. Quid enim? si omnibus hominibus cū Christo tantum, sine vlla cuiusquam opera agendum est, atque ad eum per nos ipsos semper accedendum, quorsum vestris illis ministris est opus? cur non, vt pro se quisque orat, ita & sacramenta sibi conficit, sibi sumit, sibi denique omnia ipse administrat? Sed absurdiora hæc sunt quàm vt refelli ea à quoquam oporteat. Illud igitur in hac causa maneat, assumendos esse ex hominibus quosdam, & in iis quæ ad Deum sunt pro populo constituendos, quibus maior quædam sublimiorque potestas, diuinitus concessa sit, vt cælestia illa diuinæ largitatis munera populo dispensent, ipsumque numen religione haud vulgari venerentur, & colant: quod legitimis noui testamenti sacerdotibus apprimè conuenire, cæcus est qui non videat. Cum illi soli ex officio sacramenta ritè conficiant, confectaque dispensent, soli verissimo illo, perfectissimoque noui testamenti sacrificio supremum Deo cultum exhibeant. Vidit hoc sanè palàmque professus est Christianus populus qui Vandalica illa persequutione Ecclesiam premente, sacerdotes, suos Victore pet. Vand. recte alloquutus est. Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? Qui hos baptizaturi sunt paruulos fontibus aquæ perennis? qui nobis pœnitentiæ munus col-

laturi sunt, & reconciliationis indulgentia
obstructos peccatorum vinculis, soluturi?
Quia vobis dictum est, Quæcunq̄e solueri-
tis super terram, erunt soluta & in caelis. Qui
nos solennibus orationibus sepulturi sunt
morientes? à quibus diuini sacrificij ritus ex-
hibendus est cōsuetus? hæc sunt Vvhitakere,
aliâque his similia religionis, cultusque diui-
ni officia, ab Euangelicis noui testamēti mi-
nistris, in Ecclesia Catholica semper præsti-
ta, inter quæ, & diuini sacrificij ritum nume-
ratum vides. Hæc sunt, inquam, quæ non qui-
uis ex fece vulgi, sed illi demum ritè possunt
præstare, qui ad hunc finem è populo assu-
muntur, & pro populo in iis quæ ad Deum
sunt constituuntur. Vos vero vt non nisi laici
estis, talésque etiam haberi ob omnib. vultis,
ita nihil sacrum, nihil diuinum habetis, nihil
facitis omnino in synagogis vestris, quod lai-
cus quilibet domi facere suæ non possit: &
tamen Euangelicos vos ministros appellatis,
quales profectò Catholica Christi Ecclesia
hacten⁹ ignorauit. At sacerdotis nomine, inquit,
*Apostoli in suis scriptis vti noluerunt, presbyteri
nomen crebrò usurparunt.* In promptu causa est.
Noui nimirum testamenti ministros, ab iis
distinguere voluerunt qui in lege Moyfi sa-
cerdotes secūdem ordinem Aaron dicti sunt,
quorum frequens adhuc numerus sacrificia
vetere ritu offerentium erat: ob eamque cau-
sam presbyteros potius, quàm sacerdotes
vocarunt

vocarunt, vt murato nomine, sacrificandi
quoque ritum mutatum significarēt. Et qui-
dem presbyteri nomen si vim ac notionem
spēctes, commune est admodum, nihilque
aliud quàm Seniore[m] significat. A scriptori-
bus verò sacris, ad certam quandam ecclesia-
stici muneris functionem, translatum est.
Quam tandem, inquit? Illud equidem non
à Caluino tuo, vel Beza, aliisue eiusdem no-
tæ hominibus, sed ab iis potius qui vel cum
ipsis vixerunt apostolis, vel eorum ætatem
proximè sequuti sunt, descendum existimo.
Quid enim Apostoli atque euangelistæ hoc
nomine significarint, Dionysius, credo, Igna-
tius, Martialis, ceterique non minus com-
pertum atque exploratum habuerunt quàm
vestri isti prophetæ, quam tūuis se magnos in
hoc genere λογιστάδης profiteatur. Quis
vero in illorum libris vel mediocriter verla-
tus non videt πρεσβυτέρως à Grecis ἱερείς
passim vocari, à latinis verò Sacerdotis,
ac Presbyteri nomen nullo discrimine pro
eodem vsurpari? Dionysio sanè Arcopagite
nomen ἱερεύς tam est vsitatum, nihil vt fre-
quentius lectori occurrat, in eo præsertim
libro quem *ἑξ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱεραρχί-
ας* doctissimū conscripsit, vbi τὸν ἱερέα πρεσβύ-
τερον, græci ipsi interpretes Pachymeras &
Maximus vbique interpretati sunt. Ignatius
verò de Episcopo loquens eum ait Dei ima-
ginem ferre ὡς ἀρχιερέα, id est vt principem

Cap. 5. eccl.
hierarch. &
Epist. 8. ad
Demophilū
Monachum

Ignat. epist.
ad Sinyrā.

facerdorum, Christi vero imaginem $\chi\tau\iota$ το
 ἱερατεύειν. id est, quatenus sacrificat. Addit
 deinde $\xi\tau\epsilon$ δὲ ἐν ἐκκλησίᾳ ἐπισκόπος τί μὲν
 ζον ἱερωδὺς θεῶν, περὶ τῆς τῆς κόσμου πάντος
 σωτηρίας. Neque etiam (inquit) in ecclesia,
 quicquam maius est episcopo, Deo pro to-
 tius mundi salute sacrificante. Postremo, epi-
 scopi officium, ac dignitatem, ἱερωσύνην ap-
 pellat ἱερωσύνη γὰρ ἐστὶ τὸ πάντων ἀγαθῶν,
 ἐν ἀνθρώποις ἀναθεσθῆνός. i. Sacerdotium
 enim est omnium quæ inter homines sunt bo-
 norum summū. Quod si clarissimam hac de
 re apostolorum sententiam desideras, Cle-
 mentem consule, apud quem apostolicam
 huiusmodi doctrinam inuenies. ὑπὸ τῶν κυρίων
 διδασχθέντες ἀκαλαθίαν πραγμάτων, τοῖς
 μὲν ἐπισκόποις τὰ τῆς ἀρχιερωσύνης ἐνεμα-
 μεν, τοῖς δὲ πρεσβυτέροις τὰ τῆς ἱερωσύνης
 τοῖς δὲ διακόνοις, τὰ τῆς πρεσβυτερίας
 διακονίας ἢ ἢ καθαρώς τὰ τῆς θρησκείας
 ὅτι τελέμεθα. i. Cum à Deo consequentiā re-
 rū didicerimus, episcopis quidē tribuimus
 quæ ad sacerdotij principatū pertinent, pres-
 byteris verò quæ ad sacerdotiū, deinde diaco-
 nis quæ ad ministrandum utrisque, vt purè
 fiant quæ ad religionem pertinent. Quid
 Gregorium referam Nazianzenum, qui cau-
 sas recensens, cur se ad tam sublimem digni-
 tatem euehi non permiserit, quis ex luto
 quodam quasi fingat (inquit) veritatis anti-
 stitem, & cum angelis statorem, cūmque

archangelis collaudatorem, & in altare illud,
 superius hostias destinantem, καὶ τὸ χριστῶν,
 συνιερόντα, id est vna cum Christo sacrifi-
 cantem. Neque multo post, idem, τὸν ἱερέα
 id est, sacerdotem, μεσίτην Θεῶν, καὶ ἀνθρώ-
 πων, Dei & hominum mediatorum, ap-
 pellat. Et alibi Magnum illum Basilium
 μέγαν ἀρχιερέα καὶ τῶ Θεῶ καὶ ἐνθρώπων
 μεσίτην: Magnum nimirum Sacerdotum
 principem, deique & hominis mediato-
 rem: Omitto hic Chrysostomi de sacerdotio
 Christiano, libros omni eruditionis laude
 præstantes, quos qui legerit, aliorumque gre-
 corum monumenta, vel obiter percurrerit,
 intelliget profecto nugari profus whitake-
 rum, cum sacerdotis nomen, noui testamen-
 ti ministris non conuenire contendit. De la-
 tinis vero scriptoribus nihil attinet dicere,
 quorum nemo est apud quem sacerdotis no-
 men, noui testamenti ministris propria qua-
 dam, nec omnium Christianorum communi
 ratione, tributum non minus sæpe, quàm
 presbyteri inueniatur. Cyprianum testor, La-
 ctantium, Hieronymum, Ambrosium, Au-
 gustinum, Opratum, Arnobium, cæterosque
 omnes, quorum huc testimonia, tam fre-
 quentia præfertim, atque omnibus obuia af-
 ferre superuacaneum duco. Quos tamen whi-
 takerus quid presbyteri nomine, in nouo
 testamento apostoli intellexerint ignorasse
 existimat. Solum vero Caluinum, ac Bezam,

quasi diuinitus edoctos, scire: Quorum vanissimo sanè commento nihil ineptius, nihil eruditis auribus indignius dici aut cogitari potest, cum eos presbyteros quorum Paulus meminit, proximum post episcopos dignitatis gradum obrinere perspicuum sit, tuque ipse whitakere in hoc tuo libello pares illos æqualesque episcopis facere, etiam ex Hieronymi sententia moliaris: vestri verò qui dicuntur seniores, è fece vulgi nullum dignitatis locum obtineant, nisi fortè vos hic à Gebennensi Schola deficiatis, vt nullos in synagogis vestris seniores huiusmodi admittatis, quales & Gebennenses, & in Scotia Calviniani Puritani admittunt. Frustra igitur potis vt sacerdotis nomen noui testamenti ministris, in diuinis literis tribui ostendamus, cum quædam illæ noui testamenti ministris tribuant, quæ solis conuenire sacerdotibus propriè (vt ita loquar) dictis possunt. Qualis illa in primis est sacrificandi potestas, quã qui haberent, sacerdotes appellandos propheticus sermo prædixit. Quo nihil ad hanc rem perspicuè demonstrandam illustrius, nihil certius desiderari à quoquam posse videtur: vt omittam hoc loco à presbytero deductum, nomen omnium nunc gentium linguis ad sacerdotem significandũ vulgò vsurpari. Etenim ne Anglicè quidem, vt nosti, nomen aliud ad eam rem significandam hactenus inuentum est. Quod vel ipsa vestra,


Isaic. 66.

A preist.

in linguam Anglicam translata biblia fati ostendunt, in quibus passim sacerdotes, preistis, interpretari soletis. Neque nos modo Britanni ita loquimur, sed & cæteræ gentes pene omnes, quarum communis vox atque consensio hominibus non præfractis persuadere abunde potest, nihil aliud presbyteri nomine quam sacerdotem Christianos intelligere solitos. *At Christus (inquis) factus in æternum sacerdos, iuxta ordinem Melchisedech, nullos huius sacerdotii collegas habet.* Quis hoc catholicus negat whitakere? quis Christo in illo suo sacrificio, successorem aliquem, quis parem autoritate, aut potestate aliquem tribuit? Quoties iam catholici, & quam multi responderunt, Christum ipsum esse, à quo & in hodiernum diem sacrificium offertur? ipse est enim qui se sub panis, ac vini symbolis præsentem exhibet. Sacerdotes verò, qui sumus, ministrorum tantummodo locum atque ordinem tenemus, qui tamen non minus profectò verè sacrificare, quam & Baptizare dicimur. Huius tu doctrinæ si quos fortè veteris ecclesiæ testes requiris, Christostomum audi. Non sunt (inquit) humanæ virtutis hæc opera, quæ tunc in illa cœna Christus confecit: ipse nunc quoque operatur, ipse perficit. Ministrorum nos ordinem tenemus, qui vero perficit, ac transmutat ipse est. Et alibi Sacra ipsa oblatio, siue ipsam Petrus, siue Paulus, siue cuiusvis momenti

Christost.
hom. 83. in
Marth.

A a iij



Idem hom. sacerdos offerat, eadem est quam Christus
 2. in epist. 2 ipse dedit discipulis, quamque sacerdotes
 ad Timoth. modò conficiunt. Nihil habet ista quam illa
 » minus. Cur id? quia non hanc sanctificant
 » homines, sed Christus, qui illam ante sacra-
 » uerat. Quemadmodum enim verba quæ lo-
 » quutus est Christus, eadem sunt quæ sacer-
 » dotes nunc quoque pronunciant, ita est obla-
 » tio eadem. Eadem sanè est beati Ambrosij,
 cæterorum ecclesiæ Patrum constans doctrina.
 Quam vel ea ipsa, quæ tu modo profers
 diuinæ scripturæ verba clarissimè confirmât.
 Si enim sacerdos in æternum Christus secun-
 dum ordinem Melchisedech dicendus est,
 quo tandem modo non nisi semel illum sa-
 crificasse putabimus? cùm sacerdos æternus,
 æternum quoque sacrificium postulet. Quod
 autem semel tantum peractum est, æternum
 dici quí potest? Nam tamen illius vis, atque
 efficientia iure optimo dici aeterna potest,
 non tamen à vi sacrificij, sed ab ipso sacrifi-
 cio sacerdotij ratio, atque natura perenda
 est. Christum enim Paulus quia sacerdos &
 Ad hebr. 5. pontifex est, aliquod habere quod offerat
 sacrificium concludit. Quare si sacerdos in
 æternum iure dicitur, æternum quoque quod
 offerat sacrificium habere illum necesse est.
 Etenim cum lex, sacerdotium, ac sacrificium
 tam arcto inter se vinculo constringantur,
 nulla vt dissolui ratione queant, translatò
 certè sacerdotio, vt Paulus differit, legis sic-

ri translationem necesse est. Cum ergo ab Hebr. 7.
 euangelica lege sacrificium tollatis, legem
 quoque ipsam, quantum certè in vobis si-
 rum est, tollitis. Illud enim crucis sacrificium
 si vim illius atque efficientiam spectemus,
 non ad euangelicam modo legem, sed & ad
 Mosaicam, adeoque ad ipsam naturæ legem
 pertinere perspicuum est. Non est enim aliud
 nomen sub cælo datum hominibus, in quo
 oporteat nos saluos fieri, quàm agni illius
 Christi, qui ab origine mundi occisus est. At
 si Diuo Paulo credimus, sacerdotium profe-
 cto ac sacrificium esse aliquod oportet, legis
 Apoc. 4. Apoc. 13. ipsius proprium, ac peculiare, quodque
 tam diu quàm lex ipsa duret. Non enim est
 alius Paulinæ disputationis eo certè in loco
 scopus, quàm vt legem veterem, sublatam
 esse ostendat, quia aaronicum illud, quod
 Mosaicæ legis proprium erat sacerdotium,
 iam Christi morte sublatum est, sine sacer-
 dotio vero lex esse nulla potest. Quam, vt
 rem paucis concludam, si nullum est in
 Euangelica lege sacerdotium, nullum sacrifi-
 cium illi proprium, ac peculiare, perpe-
 tuòque cum illa duraturum, ipsam certè si
 Paulo credimus legem periisse euangelicam
 fateamur necesse est. Quæ enim esse lex, quæ
 religio potest, vbi supremus ille religionis
 cultus, qui in sacrificio vel maxime consi-
 stit, nullus cernitur. Quod si infideles etiam,
 A a a iiij

sola duce natura, in nullum religionis nomen conuenire, homines posse sine externo aliquo sacrificio cognouerunt: quantæ quæso amentæ est religioni Christianæ, quæ cæteras omnes dignitate, atque præstantia longissimè antecellit, suum quoque sacrificium, suum sacerdotium denegare? Cumque omnes homines natura sint ad religionem propensi, hocque potissimum signo à brutis animalibus differant, diuinam verò hanc naturæ indolem, Christi gratia minimè tollat, sed exornet potius, ac perficiat: adeone amens eris whitakere, vt minorem in Christianis religionem esse velis, quàm in iis qui sub naturæ lege, vel Mosaicis ritibus Deum coluerunt? Absit. Quin potius qui maiori iure ad supremi numinis cultum, summa religione peragendum astringimur, multo quàm Iudæi, cæterique qui Moïsem præcesserunt diligentius, multo religiosius diuinum hoc obsequii munus præstabis. Quoquo igitur te verras, effugere nunquam poteris, quin seruatorem nostrum, ac dominum Iesum Christum sacerdotem esse, secundum ordinem Melchisedech fatearis, quia in æternum Deo patri, per suos in ecclesia ministris, sacrificium offert, cuius oblatione, cruenti illius in cruce peracti sacrificij, in nos fructus deriuetur. Sic enim veritas ipsa, quæ neque falli potest, neque fallere, per

prophetas suos futurum iam olim prædixit, sic prophetarum oracula qui sub lege moysi, Christi aduentum magno desiderio expectarunt patres, interpretati sunt, futurum scilicet, vt pro cruentis illis brutorum animalium sacrificijs, sacrosancta Messij ipsius caro, sanguisque offerretur. Quod variis Hebræorū, Petrus Gal. prolatis testimonijs abundè probauit, Petrus Gal. lib. 10. de ar. Galatinus, ex quo plurima, si voles, ad Christiani sacerdotij sacrificijque confirmationem ver. lib. 10. colligere poteris. Neque aliter profectò qui cap. 5. 6. 7. Christi in terras aduentum sequuti sunt, intellexerunt. Hic (inquit Arnobius de Christi Arnob. in sacerdotio scribens) per mysterium panis, & in psal. 109. vini, sacerdos factus est in æternū secundum ordinem Melchisedech, qui panem & vinum solus obtulit in sacerdotibus, dum Abraham victor reuerteretur de prælio. Et Hieronymus. Recurre ad Genesim & Melchisedech Hier. epist. 17. ad Mar. regem Salem, huius principem inuenies ci- cellum. uitatis, quia iam tunc in typo Christi, panem Aug. in psal. 33. & ib. 10. & vinum obtulit, & mysteriū Christianorum cont. Faust. in Saluatoris sanguine, & corpore dedicauit. c. 18. & lib. 1. Et innumeris penè locis Augustinus sacerdotium Melchisedecis, id est, Christi, & Ecclesiæ, perpetuum fore atque æternum ait, Aaronicum autem sacrificium iam olim fuisse abrogatum. Similia sunt & illa beati Chrysostomi verba, quibus inconsumptibilem ait Chryf. hom. 17. in epist. ad Hebr. esse hostiam quæ ab Ecclesia offertur, quippe, quæ eadem sit quam & Christus ipse obtu-

Theoph. in lit. Chrysoſtomum ſequutus, vt ſolet Theo-
cap. 10. ad philactus, illud explanans, Tu es ſacerdos in
Hebr. æternum ſecundum ordinem Melchifedech.

Idē in cap. Qui vero dixit (inquit) in æternum? Quoniã
5. ad Hebr. etiamnum vna cum corpore, quod pro nobis
„ immolauit, apud Deum & Patrem interce-
„ dit, &c. Vel quia quæ in ſingulos dies fit, &
„ futura eſt in perpetuum oblatio, ipſum ha-
„ ber pontificem & ſacerdotem Dominum, at-
„ que aded ipſam hoſtiã, qui ſeipſum pro no-
„ bis ſanctificat, & frãgitur & diſtribuitur. Ac

Idem in ca. Dicimus (inquit) Chriſtũ cum æter-
7. ad Hebr. nus ſit, & immortalis, re vera ſemper eſſe ſa-
cerdotem. Nam & nunc quidem ſemper ſei-
pſum pro nobis offerre creditur, per mini-
ſtros ſuos. Oecumenius denique de æterno
Chriſti ſacerdotio verba faciẽs. Neque enim
(inquit) de ea quæ ſemel à Deo facta eſt obla-
tio, & hoſtia dixiſſet, in æternũ, ſed reſpiciens
ad præſentes ſacerdotes, per quos mēdios
Chriſtus ſacrificat, & ſacrificatur, qui etiam
in myſtica cœna modum illis tradi dit huius-
modi ſacrificij. Iãmne intelligis whitakere
iuge hoc Eccleſiæ catholicę ſacrificium, æter-
no Chriſti ſacerdotio, ſecundũ ordinem mel-
chifedech, nõ modò nihil repugnare, verum
etiam ita congruere, vt ad illud probandum
atque confirmandum, nihil eſſe illuſtrius, ni-
hil efficacius poſſit? Sed nescio quo pacto
poſt tam multos, tamque fœdos errores tuos
clariffimam tandem veritatis vocẽ, vel in-

uitus, vt arbitror emiferis, qua te tuõſq; om-
nes veluci proprio mucrone iugulas, & quid-
quid hætenus de ministerio effutiuiſti palam
euertis. Poſtquã enim *nullum nobis reliquum eſſe*
ſacrificium, cuius procuratori ſacerdotes præficiantur,
contra clariffima diuinarũ literarum ſa-
ctorũque interpretum testimonia, ſola ni-
xus autoritate tua, audacter affirmãſti: mox
illa adiungis. *Tamen huius ministerij quod Chri-*
ſtus in Eccleſia ſua perpetuum eſſe voluit, nullis ad-
miſtrationem permittimus, niſi iis quorum intereſt,
quique ſunt ad illud munus certa lege euocati.
Profer ergo, ſi potes, quis Lutherum, quis
Caluinum, quis Bezam, reliquõſque euange-
lij illius veſtri præcones, ad munus illud, cer-
ta lege euocari? Quis illis in Eccleſia docen-
di, quis ſacramenta adminiſtrandi authorita-
tẽ tribuit? Tu quid hoc loco pro præceptoribus
reſpondere queas, equidem non video.
Nam neque ipſi à catholicis ſæpenumero in-
terrogati, quod pro ſe reſponderent quid-
quã inuenire potuerunt. Quæ res in cauſa
fuit, vt Caluinus nouos, noſtra ætate Euan-
geliftas, nescio quos diuinitus in orbem miſ-
ſos fuiſſe, impudentiſſimẽ dixerit. Lutherus
verò, alterum ſe Heliam eſſe, Germanis ſuis
perſuaſerit. Quorum intolerandam imitatus
audaciam, noſtras ille apoſtata Enoxius, vr-
gente erudito admodum, atque catholico
viro D. Niniano Vvinzetto Ratifbonenſi,
nunc Abbate digniſſimo, vt legitimã, ſi poſ-

set, vocationem ostenderet suam, haud aliter se vocatum, quàm olim Ioannem Baptistam magno fastu responderit, cum tamen Epicurum potius quàm Ioannem Baptistam moribus, ac vita referret. Cum igitur neque maiorem Caluinus euangelij populo prædicandi autoritatem, quam cuius alius ex sartorum futorumve, Nouiodunensium numero, neq; Beza tuus quàm Vezeliensium etiam opilionum infimus, ostendere queat, quis falsos esse Prophetas illos non videat, vòque falsorum prophetarum infelices filios, quibus Academici si sapiunt, nullam prius fidem habebunt, quam quæ de legitima vestra vocatione, coram imperita plebe falso iactatis, perspicue à vobis probari videant, memores illius Tertuliani sententiæ: profiteri seipsum quis apostolum potest, verum confessio eius alterius auctoritate conficitur, alius scribit, alius sub-
 scribit, nemo sibi ipsi professor & testis est.
 Etenim si se prophetam dicere, aut Euangelistam sufficiat, quis tandem prophetarum quis euangelistarum modus erit? Quid verò Lutherus aliud quàm dicere, solitæque impudentia affirmare poterit? Neminem enim proferet vnquam legitima potestate præditum, qui hac eum auctoritate donarit. Nisi fortè pro sua modestia, non ab hominibus, neque per homines, sed per reuelationem Iesu Christi accepisse se Euangelium dicat,

Tertul. li. 5.
 contr. Mar-
 tionem.

Neque vocatum vt Aaron, sed semetipsum Heb. 5. nouo exemplo clarificasse vt pontifex fieret. Quod si non absurdissimum modò, verum etiam vestris ipsorum dogmatibus, vel maxime contrarium esse omnes intelligunt, frustra profectò speras, whitakere, tam facili te negotio, tam malam causam, Academicis esse probaturum. Iam de ieiunio christiano quàm *quædam* quamque ridiculè loquaris paucis ostendam. Sic enim disputare vestræ sectæ homines Campianus affirmavit. Propheta celebrat ieiunium spiritale, hoc est ab inueteratis criminibus abstinentiam: valeat ergo ciborum delectus, & dierum præscriptio. Quod vero homonymiæ vitium clarius committi à quo quàm potest? In quo tu defendèdo mirum, quàm præclare te geras. *Ciborum*, inquis, *delectum habere religionis causâ, & dies certos statosque præscribere, in quibus necessario ieiunemus, alterum insanum, alterum superstitiosum est.* Egregiè profectò his verbis, Lutheranae sectæ spiritum, quem tantopere iactitas, expressisti: qui quàm sit à Sancto illo Spiritu alienus, quem in die Pentecostes Apostoli receperunt, vel ex eo licet intelligere, quod ieiunij vos disciplinam insanam, ac superstitiosam dicatis, quam, si beato Leoni credimus, inter prima cælestis doctrinæ sacramenta, SPIRITVS SANCTVS Apostolos docuit: Inter omnia, inquit, di-

Leo serm. 4.
 de ieiun.
 Pentec.

lectissimi, apostolicæ instituta doctrinæ, quæ
 ex diuina institutione manarūt, dubium non
 est influente in ecclesiæ principes spiritu san-
 cto, hanc primum ab eis obseruantiam fuisse
 conceptā, vt sancti obseruatione ieiunij om-
 nium virtutum regulas inchoarēt: quia mul-
 tum ad præcepta Dei exequenda prodesset, si
 christiana militia contra incētiua omnia vi-
 tiorum continentix se sanctificatione muni-
 ret. Hanc igitur de statis solennibusque ieiu-
 niis Spiritus sancti doctrinam apostolis tra-
 ditam, quibus vester ille spiritus argumentis
 oppugnet, deinceps videamus. *Quis enim (in-
 quis) qui non iudicium omnemque sensum amisit,
 eum ieiunare existimet, cui liceat, modò à carni-
 bus abstinere, in omnes sese delicias ingurgitare?*
 Hoc nimirum est nunquam fuisse catholi-
 cum, & quid de christiano ieiunio catholici
 sentiant nondum intellexisse. Quasi verò in
 sola carniū abstinentia fitam esse ieiunij
 vim ac rationem vllus vnquam catholicus di-
 xerit. Nam quod ais licere apud catholicos,
 modò quis à carnibus abstineat, in omnes se-
 se delicias ingurgitare, adeò falsum est, vt non
 modo quo tempore ieiuniū ab ecclesia chri-
 stianis indicitur, sed omnino nullo non tem-
 pore crapulam, ebrietatēque vetitam esse,
 diuinis que legibus interdictam doceamus.
*At delectum habere ciborum religionis causa insa-
 num est.* O insanum ergo Helisæum, vt cum
 beato loquar Ambrosio, qui syluestribus

Ambrosii, epist.
 32.

rhamnis & amaris pascebat prophetas! O in-
 sanum Danielelem, qui vt diuinam placaret
 iram, carnibus & vino abstinuit! Insanū Ioā-
 nem Baptistam vt alios præteream, qui non
 nisi locustis ac melle syluestri utebatur. Quis
 enim nisi insanus sanctissimos hos viros pe-
 culiati ergadeū religionis affectu hoc ciborū
 delectu vfos esse neget? Nam si pecuniæ causa
 avarus ciborū vitur delectu, si honoris atq;
 glorię hypocrita, si valerudinis eger, quis alius
 christiano homini finis esse potest, quā vt deū
 hoc obsequij genere veneretur & colat? Et
 certè si religionis & obsequij diuini causa ab
 omni prorsus cibo abstinere ne vestro quidē
 iudicio insanum est, quæ esse infania potest,
 vt se quispiam cum Daniele in cōspectu Dei
 affligat, iis cibis abstinere, quæ maiorem cor-
 pori voluptatem afferunt? Hoc enim vt Hie-
 ronymus scripsit, Danielis exemplo docemur
 tempore ieiunij à cibis delicatioribus absti-
 nere. Quam in ecclesia consuetudinem per-
 petuo seruata videmus, vt stas ieiuniorum
 diebus, ciborum christiani homines delectū
 adhiberent. Nusquam (inquit Chryso-
 stomus de primo quadragesimæ die verba fa-
 ciens) tumultus, vel clamor, vel carniū cō-
 cisiones, vel coquorum discursus, omnia illa
 abierunt. Et Athanasius magni illius Antonij
 vitam describens, Edebat semel in die post
 solis occursum, nonnunquam biduo aut tri-
 duo sic permanens, quarto demum die refi-

Dan. 10.

Dan. 10.

Hier. in ca.
10. Dan.Chryso-
stom. 2. in
Gegen.Athanas. in
vita Anton.

Hier. in vi
ta Hilario.
E u feb. hb. 5.
hist. cap. 1.

Ad Gal. 4.

Hieron. in
cap. 4. epist.
ad Galat.

ciebatur. Sumebat verò panem & sal, atque
aquæ perparum. De carnibus verò & vino ta-
cere melius puto quàm quidquam dicere,
quoniam nec apud plurimos quidem mona-
chos istiusmodi escæ in vsu habentur. Hiero-
nymus etiã Hilarioni cibum fuisse ait panem
aridũ, cum sale & aqua. Quin & Eusebius tes-
tis est ex primis illis christianis plurimos sese
à carnibus abstinuissẽ. Quomodo, in quiebãt
Galliæ martyres, humanis carnibus vescun-
tur (id enim illis à Paganis affingebatur) qui
ne carnes quidem animalium degustare con-
sueverunt? Quid plura? Si Guilielmo credi-
mus Vvhitakero, insanierunt hæcenus chris-
tiani omnes, qui vt maiori sese religione
Deo consecrarent, adhibito ciborum delectu
ieiunium coluerunt, solus verò sapuit Mar-
tinus Lutherus, cui à vino & carnibus absti-
nere superstitio, omnibus autem gulæ ille-
cebris penitus sese immergere, summa erga
Deum religio fuit. Addis deinde: *Dies certis
statisque præscribere, in quibus necessario ieiunem-
us, superstiosum esse, & Iudaicum.* Paulus, in-
quis, reprehendit Galathas quod dies, menses, &
tempora obseruarent. Verus nimirum hæretico-
rum calumnia, quam eruditè olim beatus
Hieronymus eundem Apostoli locum ex-
planans repulit. Si dies obseruare non licet,
inquit, & menses, & tempora, & annos, nos
quoque simile crimen incurrimus, quartam
sabbati obseruantes, & parasceuem, & diem
domini-

dominicũ, & ieiuniũ Quadragesimæ, & Pa-
schæ festiuitatẽ, & Pentecost. lætitiã, & pro
varietate regionũ diuersa in honore martyru
tempora cõstituta. Ad quod qui simpliciter
respõdebit, dicet non eosdem Iudaicæ obser-
uationis dies esse quos nostros. Nos enim nõ
azymorũ Pascha celebramus, sed resurrectio-
nis & crucis, &c. Hæc si tibi Hieronymi sen-
tentia displicet, tuũ saltem, quantus quantus
est August. audi: Non itaque, inquit, dies ob-
seruamus, & annos, & menses, & tempora, ne
audiamus ab Apostolo, Timeo ne fortè sine
causa laborauerim in vobis. Eos enim incul-
pat qui dicunt, non proficiscar. quia posterus
dies est, aut quia luna sic fertur, vel proficiscar
vt prospera cedãt, quia ita se habet positio sy-
derum: non agam hoc mense cõmmercium,
quia illa stella mihi agit mensem, vel agam,
quia suscepit mensem. Non plantem hoc an-
no vineam quia bissextus est, &c. Cũmq; idẽ
illi, quod tu modo nobis, Manichæi obiice-
rent. Nos quoque, inquit, dominicum diem
& Pascha solẽniter celebramus, & quasiliber
alias christianas dierum festiuitates. Sed quia
intelligimus quo illa pertineant non tem-
pora obseruamus, sed quæ illis significantur
temporib. Altero deinde Pauli loco abuteris,
*Quo Colloss. præmuniebat (inquis) ne illorũ super-
stitione caperentur qui cibos quosdam nõ attingẽdos,
non gustandos, non cõtrectandos cõserent.* Et meritò
quidẽ præmuniebat ne coruscãte iã euãg. luce

Aug. epist.

119.

Ad Coll. 2.

ad antiquas illas iamque emortuas Iudæorū
 Hier. q. 10. caremonias relaberentur. Sic enim hæc ver-
 ad Algafia. ba Hieronymus explanat. Ne tetigeritis (in-
 quit) corpus hominis mortui, nec vestimen-
 tum, nec scabellum in quo sedit mulier men-
 struara, neque gustaueritis carnem suillam, &
 leporum, & sapiarum, & loligenum, mure-
 na, & anguillæ, & yniuerforum piscium qui
 squammas & pinnulas non habent. Quæ om-
 nia in corruptionem & interitum sunt ipso
 vsu, & stercore digeruntur. Quis hæc vnquã
 catholicus, quæ Hieronymus à Paulo repre-
 hendi docet, non esse superstitiosa putauit?
 Verum quemadmodum à cibis abstinere pro-
 pter fabulas & cultum angelorum, aut etiam
 Iudæorum more propter umbram, quæ re-
 cessit, stultitia est, ita ob religionem Dei que
 cultum abstinere sapientia est. Atque vt ab
 omni Iudaicorum rituum obseruatione, ita
 & ab illorum errore lôgissimè absumus, qui
 teste Clemente ob honorem nescio quem,
 quod animalia ratione prædita esse putarent,
 sibi à carnibus temperarunt, quorum deinde
 errorem Manichæi amplexi sunt. Non enim
 catholici cibis quidquam tribuunt, sed ieiun-
 nant, inquit Tertullianus, vt humilitatē ani-
 mæ suæ in victus castigatione Deo immolēt:
 quod & pulchrè beatus Bernardus expressit.
 Abstineo, inquit, à carnibus, ne dum nimis
 nutriunt carnem, simul & carnis nutriant vi-
 tia. Postremò, *A certis abstinere cibis*, inquis,
diabolicum atque hypocriticum Paulus esse statuit.

Clemens li.
 6. apostol.
 constat.

Tertull. lib.
 de cultu mu-
 licum.
 Bern. serm.
 66. in cant.

1. ad Tim. 4.

Non te pudet Vvhitakere Manichæorum ar-
 Aug. lib. 30. mis catholicos oppugnare, & Fausti illius ma-
 nichæi te discipulum adeò palàm profiteri? ^{cap. 3.}
 Illius enim hæc esse aduersus catholicos ver-
 ba nõ ignoras. *De vobis vero quid dicam, id est,*
de christianis apud vos, quorum nonnulli quidã
porcina, plerique vero quadrupede omni, alij etiam
cuncto animali penitus abstinent, serique ob hoc in
oculis eos omnis ecclesia, & summa cum veneratione
suscipiens, solum non deos existunt. Nec videtis in-
doctiles, quia si hoc verum, & ab apostolo dictum te-
stimonium est, demoniorum & ipsi sunt ludificati
doctrinis. Quid verò de illo dicemus, quod sanè fru-
strari quis audeat, aut negare? cum constet hoc inter
omnes, & æque per orbem terrarum quotannis omni-
um studio celebretur in conuentu catholico, dico au-
tem Quadragesimam, quam qui inter vos rite obser-
uandam putauerit, abstineat necesse est ab omnibus
his quæ capitulum hoc à Deo ad percipiendum vobis
creata dicit. Hæc Faustus hæreticus. Cui tuus
 quãtus quantus est August. cū pro suæ ætatis
 catholicis contra Manichæos, tum contra
 Calvinianos pro nobis in hæc verba respon-
 dit. Christiani nõ hæretici, sed catholici edo-
 mandam ^{Ibid. cap 5.} corporis causa, propter animam ab
 irrationalibus motibus amplius humilian-
 dam, non quod illa esse immunda credat, non
 solum à carnibus, verum à quibusdam etiam
 terræ fructibus abstinent: vel semper, sicut
 pauci, vel certis diebus atque tēporibus, sicut
 per Quadragesimam ferè omnes, quãto ma-
 Bbb ij

rheodosij imperatoris exemplū fatis ostendit, quem historici referunt, etiam in frigore & aīu plerumque ieiunasse, in quarta maxime, & sexta feriis. Denique quis nescit hæreticum ab ecclesia Aërium iudicatum fuisse, quòd inter cæteras hæreses eam etiam defenderet, quam tu nunc tanto studio tueris? Sic enim ille apud Epiphanium. *Sed neque ieiunium, inquit, erit ordinatum: hæc enim Iudaica sunt & sub iugo seruitutis, iusto enim lex non est posita, sed patricidis, & maricidis, & reliquis. Si verò omnino volo ieiunare, qualemcumq; eligam diem à me ipso, & ieiunabo propter libertatē.* Vnde apud ipsos studiū est, inquit Epiphanius, vt potius in die dominica ieiuent, quarta verò & pro sabbato edant. Sæpe verò etiam quarta ieiunant, non ex statuto, sed ex propria, vt inquit, voluntate. In diebus autem paschatis, quādo apud nos fiunt humi dormitiones, castitates, afflictiones, siccorum esus, preces, vigilię ac ieiunia, & omnes animarum salutes, per sanctas afflictiones, ipsi à summo manē obsonantur, carnēque ac vino venas suas explentes, cachinantur ridentes, ac subsannantur qui sanctum hunc cultum hebdomadis paschatis perficiunt. Hoc vos Aërianū ieiunium, tam præposterum, tam hæreticum, num in Anglia oblerueris, ipsi videritis. In Scotia certē nostra si quis ieiunio dies à puritanis qui ibi sunt vestris eligatur, is potissimum Aëriano more est dominicus, nihilque tuum, quātus quantus est, Augustinum hic faciunt, qui die do-

Epiphanius.
Hæret. 75.

minico ieiunare scandalum esse magnum dixit, neque vetustiore illo Tertullianum curant, qui suæ ætatis christianorum mores describens, die, inquit, dominico ieiunare nefas ducimus: neque alios ecclesię patres penè innumeros, quibus illi omnibus Manichæos præferunt, qui auditoribus suis hunc diem ad ieiunandum tāquam legitimum statuerunt, hisq; antiquiores Marcionitas, quos eandem ieiunij legem obseruasse refert Anastasius Patriarcha Antiochenus. Horum vos cum vestigia persequimini, quid aliud quàm cum iisdem carnis resurrectionem negatis? cuius quoddam quasi symbolum esse, die dominica non ieiunare, vetus nos ecclesia docuit. Duo quippe sunt, inquit Augustin. quæ iustorum beatitudinem & omnis miserię finem sperare faciūt, mors, & resurrectio mortuorum. In morte requies est, de qua dicitur per Prophetā, Plebs mea intra in cellaria tua, abscondere pusillum, donec transeat ira Domini. In resurrectione autem in homine toto id est in carne & spiritu perfecta felicitas. Hinc factum est vt horum duorum vtrumque non significandum putaretur labore ieiunij, sed potius refectionis hilaritate. Est verò dominicus dies, vt idem testatur August. velut octauus æternus, qui Christi resurrectione sacratu est, æternam non solum spiritus, verum etiam corporis requiem præfigurans. Quo etiam factū est vetustissimo eccle-

Tertul. de
cor. mil.

Aug. epist
86.

Isai. 26

Aug. lib. 22.
de ciuit. Dei
cap. vlt.

fiæ more, nulla vt inter Pascha & Pētec. ieiunia christiani catholici obseruarēt. Hoc enim tēpus ad futuræ etiā resurrectionis significatiōe cōsecratū esse omnibus notū est, in qua resurrectione nō animorū modo, sed & cor-

Tertull. de porū beatissima requie perfruemur. Intellecto. milit. xit hoc certē Tertull. cū inter Pascha & Pentecost. nefas esse ieiunare asseruit: viditq; vestra hæc nō alio spectare ieiunia, quàm vt resurrectionis fidē his veluti cuniculis euertatis. Adeo enim vos humani generis hosti ad nutū obtemperatis, vt vel omnino nūquam, vel non sine maximo ecclesiæ scandalo, fideique iactura ieiunetis, vt meritō de vobis dicamus, quod de Manichæis olim Leo Pōt. **Leo serm. 4** scriptum reliquit. Vt illorum dogmati apud **de Quadr.** quos etiam ieiunādo peccatur, quique diem salutis & lēritiē nostrę, sui ieiunij mōre cōdemnant. Iam vt ad vestrum illud homonymiæ vitium reuertar, quo stata ecclesiæ ieiunia hoc potissimum argumento reiicere vos dixit Campianus, quia spiritale ieiunium diuinæ nobis litteræ frequenter commendat: Tu vestrum esse hoc sophisma pernegas. *An, inquis, quia spirituale ieiunium vrgemus, externum damnamus?* Si non damnatis whitakere, quid causæ est cur quoties ad populum verba facitis, & solennia catholicorū ieiunia ridetis, ad hęc spiritalis ieiunij arcem cōfugitis? cur sanctissimos viros hoc nomine stultitiæ condemnatis, quod frequentibus illi ieiuniis carnem macerarint? hoc

enim de Diuo Bernardo Lutheri iudicium fuisse, & Martyris vestri de clarissimis Græcia luminibus Basilio & Gregorio supra retuli, quod & de tota veterum ecclesia Caluiniū sensisse, illa satis ostendunt quæ de prisca ieiunandi consuetudine scribit. *Tertius error est, inquit, non adeo quidem impius, periculosus tamen, tanquam vnum ex præcipuis officiis morosius ac rigidius exigere, ac immodicis encomiis, ieiunium sic extollere, vt homines se aliquid excimium fecisse putent, cum ieiunauerint. Quam parte non in totum excusare audeo veteres, quin & superstitionis quædam semina iecerint, & occasione præbuerint tyrannidi, quæ postea exorta est.* Neque alia fuit de veteri ecclesia Magdeburgensium ruorū censura. *Stipulas enim de ieiunio nonnullas, etiā secunda post Christi mortē atate subortas fuisse commemorat.* Sed missos iam Magdeburgicos faciamus, ac vestrum illud τὸ ἐν ἄρχῃ sophisma quod quarto Campianus loco recensuit, paulisper excutiamus. Cuius exēpla etsi plurima in disputationibus vestris occurrūt, illud tamen vnicū cuius ille meminit hoc loco attingemus. Veras ecclesiæ notas dum catholici quærimus, legitimam nobis sacramentorum administrationem, & Dei verbum obtuditis, quæ vestræ esse ecclesiæ propria cōtenditis. Cum verò id petimus, vt hæc apud vos integra esse atque legitima ostendatis, quia nulla hic amplius argumenta suppetūt, mox sophistarum more principium petitis, & vestrum esse Dei verbum magno clamore

Cal. lib. 4.
cap. 12. sect.
19.

Centur. 2.
cap. 4.

contenditis, quia soli vos scilicet scripturas sacras rectè intelligitis. At hoc totius controuersie caput est, quod si vobis negetur, hæretis continuo, neque vel latum unguem ultra progredi potestis. Quam enim excogitastis scripturarum sententiam, neque patrum autoritate, neque conciliorum decretis, neque fidei regula, id est communi Christiani populi usu, ac consuetudine probatis unquam, sed omnium vobis argumentorum instar est, vestrum ipsorum iudicium. Nimirum quod vultis sanctum est. Equidem non ignoro quanto hic factu vestram præ cæteris mortalibus industriam prædicetis. Ad fontes scilicet Græcos atque hebraicos perpetuo recurritis, scripturæ phrasin diligenter expenditis, scripturas cum scripturis confertis, quæ obscuriora videntur clariorum locorum ope adiuti facilè explanatis, omnia denique ad genuinam scripturæ sententiam inueniendam necessaria abundè, si superis placet, præstatis. Quis hæc Lutheranus, quis zuinglianus, quis Anabaptista, quis denique Puritanus, eadem qua vos diligentia se facere non gloriatur? Veramne igitur scripturæ sententiam habere has sectas fateberis? Non fateberis fat scio, nisi à Caluini secta ad aliam ex his aliquã, defectionem moliaris. Sed quod illis minimè concedendum putas, quo iure tibi vt concedatur postulas? cum iisdem illi quibus vos adminiculis adiuti scripturas dies

noctesque scrutentur. Quæ quidem adiumentum, si certa sunt, veram illi, quod vos negatis, scripturæ sententiam habeant necesse est: si incerta, ne vobis quidem, dum his præiudiciis instructi scripturarum interpretes haberi vultis, credendum est. Quis verò incerta hæc esse non facilè videat, quippe quæ humana nituntur industria, qua nihil esse incertius, pluribusque erroribus obnoxium potest. Sæpe profecto dum vocis ambiguae natiuam vim, propriamque inquirimus notionem, humanis vti coniecturis cogimur, humana sæpe prudentia, solertiaque cum in diiudicandis, tum conferendis inter se variis scripturæ locis adhibenda est. At falli eam persæpe qui negat, is mihi omnis prudentiæ expertus videtur. nihil ergo superest V whitakere, quo veram diuinorum voluminum sententiam vobis ascribatis. Iam quod à Cápiano vicissim te petere ais, *Vt quod te facere iubet, idem ipse faciat, nostrumque verbum ac sacramenta eadem esse confirmet, quæ suæ Christus ecclesiæ commendauit*, Hoc ille sanè cumulatissimè præstitit. Nam & certissimam fidei regulam protulit, communem nimirum totius Christiani populi vique ad Lutheri tempora consensionem, conciliorum autoritatem adhibuit, eorum decreta grauissima sanctissimaque citauit, doctorum pastorumque ecclesiæ, qui singulis quibusque ætatibus floruerunt, consentientem doctrinam clarissimis prolatis testimo-

niis ostendit, ecclesie denique sententiam nostram esse demonstrauit, illius, inquam, ecclesie que a Christo atque apostolis ad hunc usque diem perdurat, que non in tenebris densissimis, aut ut verius dicam, nusquam gentium, ut vestra illa Gebenensis Synagoga delituit, sed tanquam ciuitas supra montem posita, in clarissima luce, atque in ipsorum etiam hostium oculis semper versata est, que tot gentes, tot regna Christo peperit, tot crudelissimorum tyrannorum, tot hereticorum impetus fortiter sustinuit, semperque victrix fidem integram, atque illibatam sponso suo seruaui. Quid amplius desideras whitakeri aut quibus vnquam argumentis aliis fide catholicam aduersus vllas hereses propugnata atque defensam legisti? Quae si maioribus nostris contra antiquas hereses satis habere ponderis, ac momenti visa sunt, cur, & nobis aduersus haec vestra sophismata arma satis idonea non erunt? His vero qui meliora requirit, nihil aliud postulare videtur, quam quod singulari olim priuilegio Moyse concessum est, ut cum Deo facie ad faciem loqueretur, vel cum Paulo ad tertium caelum rapiatur. Verum absit ut catholicus quisquam hac deum ratione tentandum putet, per ecclesiam ipse suam hominibus loquitur, per eam sua nobis mysteria patefacit, & ex ore hominum velut ex sanctuario responsa hominibus reddit, ut tuus etiam Calvinus, vel inuitus fatetur. Hanc cum

Exodi. 33.

audimus, ab omni erroris periculo ipsius nos Christi promissio tutissimos facit. Sed valde tibi molestum est, tam validis nos praesidiis munitos cernere. vestram vero synagogam iisdem plane destitutam videre. Itaque ne hoc etiam Academici animaduertant, Capiano haec arma proferenti insultas: dumque ille perperam a vobis exponi verbum dei, quindecim etatum testimoniis probaturum se polliceretur: tu quid in initio, quasi hoc non posset, exclamas, *Vanum, insulsum, insolens*: cum que animaduertes nihil te iis patrum testimoniis respondere posse quibus id Cap. probauit, paulo post addis de patribus responsum est, *ii toti sunt in maximis iudiciis nostri, in leuioribus varii, in paucissimis, ac minimis vestri*. Non agam hic tecum seuerius, ne que vigebo, ut quod tam impudenter affirmas, aliqua saltem argumento confirmes. Satis enim, ut spero Academici lecto hoc libello intelliget vestra ne an catholice ecclesie causam patres tuectur: & in multis certe, nec leuibus de fide controuersis, tuam ipsius confessionem qua patres errasse asseris, in tuo libello expressam tenemus. quod si patres vestri essent, nunquam profecto eorum autoritatem tantopere eleuaretis, palamque interdum contemneretis, & quasi illi scripturas non intellexissent, illorum interpretationes Caluini & Bezae delirii postponeretis. ac ne longius abeam, quam tu exiguum, aut nullam potius, de patribus spem habeas, illud satis indicat, quod

Aug. contra hoc ipso loco eorum iudicio ac sententię sta-
 Maxim. lib. re prorsus recusas. Addis enim. *Quanto esset*
 4. cap. 13. *consultius, vt quemadmodum de conciliis scriptis*
Augustinus, nec tu mihi hieronymum, nec ego tibi
Augustinum, tanquam præiudicaturus obicerem
sed scripturarum auctoritatibus, res cum re, causa
cum causa, ratio cum ratione concertaret. Quis
 enim hic non videt te patrum iudicium sub-
 terfugere, & scripturę interpretationes, non
 quas illi afferunt, sed tuas raras esse velle? Sed
 de hoc nos Augustini loco supra diximus, et
 conciliorum auctoritatem aduersus tuas ca-
 lumnias defenderemus. Nam tametsi salu-
 berrimam esse in ecclesia conciliorum au-
 thoritatem non dubitauit, neque post æcu-
 menici concilij sententiam, de fidei dogmate
 prolatam, dubitandi locum superesse vllum
 putauit, tamen ad confringendam hæretici
 Ariani peruicaciam, omnēque illi tergiuer-
 sandi viam facilius præcludendam, non du-
 bitauit, vt supra dixi, fortissimus miles cum
 aduersario quibus ipse veller armis conflige-
 re. Tandem verò, vt neminem, credo, lateret
 quam tu inuitus patrum subscribas sententię,
 ad minuendam de iis academicorum opinio-
 nem alium Augustini locum profers. Ne-
 que enim, inquit, quorumuis disputationes,
 quamuis catholicorum, & laudatorum ho-
 minum, velut scripturas canonicas habere
 debemus. Et paulo post. Talis ego sum in
 scriptis aliorum, tales volo esse intellectores

Aug. epist.
 III.

meorum. Quis verò catholicus patris alicu-
 ius scripta velut scripturas canonicas habuit
 vnquam? Immo quis nescit maximum esse
 inter ea discrimen? quamuis, iure optimo
 maius apud nos auctoritatis pondus habeant
 cuiusvis patris scripta, quam theodori Beze
 aut Ioannis Caluini, quorum vos scripta tã-
 tum non pro canonicis scripturis habetis.
 Addis deinde illam Diui Thomę Aquinatis
 sententiam. Auctoritatibus scripturę sacrę
 vitur sacra doctrina ex necessitate argumen-
 tando: auctoritatibus autem aliorum docto-
 rum ecclesię, probabiliter arguendo. Igno-
 ras videlicet, quod me sæpius cogis repetere,
 nos non vnus alteriusve patris sententiam,
 sed communem pastorum doctorumque ec-
 clesię consensionem, firmissimum esse ad ve-
 stra sophismata refellenda argumentum as-
 serere: quam sanè consensionem testem ha-
 bemus omni exceptione maiorem eius fidei
 quam catholica hæcenus ecclesia professa
 est. Vos vero quoties aduersus catholicos
 disputatis, à communi patrum consensione
 tam longe abestis, vt ne vnus quidem patris
 sententiam, nisi fraude aliqua deprauatam
 proferre vnquam possitis. Nec me fugit ta-
 men quanto fastu vester ille euāgelista. Cal-
 uinus patrum nos auctoritatem pro arbitrio
 reicere iactitet. *Si recensere (inquit) vellem quę*
perulenter isti patrum iugum, quorum obseruantes
siliū videri volunt, excutiam, mensēs profecto at-

D. Th. r. p.
 q. 1.

Caluinus in
 præfatione
 institutio-
 num.

que *ami me deficerent*. Verum si quando vt id præster locus postulat, mirum quàm magni montes, quàm ridiculum nobis murem pariant. Quod vt sine vlla à me dictum calumnia Academici clarissimè videat, vnum tibi è multis exemplum proferam. Quis enim nefcit in sua illa præfatione institutionibus præfixa omnes eum ingenij neruos contédisse, vt patrū nos autoritate quasi opprimeret, & tamè neque eorum patrum qui diuersis seculis vixerunt consensionem, neque vnius alicuius ætatis patres omnes, immò ne plures quidem, sed vnius tantum, aut alterius testimonium, idque pessima fide, in medium adducit. Sic enim ille. *Ex patribus erat quorum alter dixit Deum nostrum non edere, neque bibere, itaque non habere opus calicibus neque discis*. Fuit ille quidem, de quo loquitur Calvinus, Acatius Amidæ episcopus, qui cum Christianos cerneret captiuos, fame atque media prope-

Socrates li. modum absumptos, conuocatis, vt refert Socrates, suis clericis sic eos est alloquutus. 7. cap. 21.

» Deus noster neque lancibus, neque poculis
 » eger, nam nec comedit, nec bibit, quippe qui
 » his rebus minimè opus habeat. Quare cum
 » ecclesia multa monumenta aurea argentea-
 » que ex propensa in eam fidelium benignita-
 » te possideat, consentaneum est hisce rebus
 » milites captiuos, & è custodia liberare, & fa-
 » me propè enectos reficere, sustentareque.
 Quis vero vnquam catholicorum ideo vasa
 templis

templis aut dedit, aut data conseruauit, quod Deum comedere, & bibere, ideòq; vasis ege- re existimaret? Verùm si ob hanc causam vasa aurea, atque argentea, cæteraque id genus ornamenta è templis eiicienda sunt, cum ne cultu quidem nostro ac religione deus egeat, cultus omnis ac religio, si Caluino credimus, abiicienda etiam erit. Sed vt Acatij mentem explanemus, nihil ille aliud voluit, quàm splendidam huiusmodi ecclesiæ supellectilem non ita esse necessariam, quin si viuorum Christi membrorum extrema necessitas postulet, ad subleuandam eorum inopiam, vendi atque erogari possit. Quod tantum abest vt Calvinianæ impietati quidquam faueat, vt eam potius apertissimè damnet. Quid enim? Si templa vasis, aliisque ornamenti honestate superstitionis, & idololatriæ crimen est, an non Acatius etiam antequam premeret captiuorum tanta calamitas, vasa omnia Caluiniano more cõstauisset? Nihil ergo hoc Caluini argumento ineptius, qui si eandem quam citat historiam tripartitam paulò diligētius euoluisset, vidisset facile in tãto apud omnes honore sacra Ecclesiæ vasa, aliisque ornamenta fuisse, vt qui nisi grauissima de causa ea distraxisset, crimen maximum admisisse videtur. Quod vel ex alterius cuiusdã Acatij factu perspicere licet, qui cum contra episcoporū conuentum imperatorem ad iracundiam incendiasset, præcipuè tamen vt historia testatur

Hist. Tript.
 lib. 5. c. 27.

criminibus quæ aduersus Cyrillū cōtexerat, bilem ei commouit. Nam aiebat sacram stolā ex aureis filis cōtexat, quā excellentissimus imperator Constantinus ad Ecclesiā Hierosolymitanā cohonestandā Macario illius vrbis Episcopo donauerat, vt ea amictus sacrosancti baptismatis ministerium obiret, Cyrillum vendidisse, hancque mercatum esse quendam eorum, qui in pulpito scenæ cantare solent, eam induisse, inter saltandum lapsū esse, & casu obrutum interiisse. Quæ sanè accusatio, licet falsissima, si maximam tum Cyrillo inuidiam peperit, quo apud eos loco futuros existimabimus, qui non tanquam episcopi, pauperumque patres, vnius ecclesiæ, aut alterius supellestem, ad egenorum subsidium erogarunt, sed tanquam sacrilegi prædones innumerabilium sacrarum ædium ornata omnia pretiosissima diripuerunt. Singularem ergo Acatio iniuriam Calvinus facit, dū eum tot sacrilegiorum patronum constituit. *Alter*, inquit Calvinus, *pater erat qui dixit, sacra aurum non querere, neque auro placere quæ auro non emuntur.* Ambrosius hic certè est, qui eandem cum Acatio, omnibusque catholicis sententiam aliis verbis expressit. Quis enim catholicus dicat sacramenta sine auro administrari non posse? Quis ea propter aurum Deo magis placere existimet? Et tamen neque Ambrosius superstitiosa esse huiusmodi ornamenta vobiscum putauit, neque nisi vt captiuos redimeret, mystica vt

Ambros. lib.
2. off. c. 28.

ipse ait, & initiata dominici sanguinis vasa confregit. Qualia apud vos nulla esse non miror, qui dominicum in Eucharistiæ sacramento sanguinem non habetis, vt mystico vobis vase nihil opus sit. Quomodo enim vas mysticum dicitur, quod nullum in se mysterium continet? Illa verò quam impudens est Caluini calumnia, quam sceleratum mendacium, quo nos ait putare, sine argento, & auro, ebore, marmore, lapillis, feris, de vritè coli nō posse? Nulli enim catholico id vnquā in mentē venit. Sed, quod omnium animis insita naturæ lex docet, quæcunque diuino cultui vasa, aliæque instrumenta consecrantur, ea pro virium nostrarum ratione quam pulcherrima ac pretiosissima esse debere contēdimus: neque quicquam à nobis in diuino cultu tam exquisitum adhiberi posse, vt periculum sit, ne vel nimio splendore, vel infano luxu diffluamus, quod nobis impiè Calvinus tribuit. Nihil enim in rebus humanis tam eximium, nihil tam præstans, quo non multò ampliora ac splendidiora summi illius numinis cultum deceant. Cuius gloriæ Calvinus cum tantoperè inuidet, quid aliud quam impium illum Iuliani apostatæ quæstorem imitatur, qui vt Theodoretus author est, sacrorum vasorum magnificentiam conspicatus, Ecce, inquit, quam sumptuosis vasis filio Mariæ ministratur. Quare vt hunc locum cum Theophilacto concludam, cum Christi

Theodor.
lib. 3. cap. 11.

Theophila.
in 14. Marc.

corpus propriè sit quod in disco aureo est, & sanguis qui in poculo, qui abstulerit discum pretiosum, & cogit vt corp^o Christi in viliori ponatur, prætexès scilicet pauperes, sciat cuius partis sit. Nihil ergo minus Ambrosius quàm Calvinianorū sacrilegiis fauet. *Pater etiã erat, inquit, qui dixit ideo se libere carnes edere, quo die cateri al sinebāt, quia christianus esset.* Immo nullus hoc pater vnquã dixit, sed merum est Caluini mendaciũ. De Spiridione quidem cuius ille meminit, in historia Tripartita in hũc modum legimus. Instante iam Quadragesima quidam ex itinere venit ad eum, quibus diebus consueuerat cum suis continuare ieiunium, & die certo comedere, medios dies sine cibo cõsistens. Vidēs itaque peregrinum valde defessum: perge, inquit suæ filiæ, laua peregrini pedes, & cibos appone. Cũque virgo dixisset nec panẽ esse nec alphita (quarum rerum solebat nihil habere reconditum propter ieiuniũ) orãs primũ, veniãmq; petēs, filiæ iussit, vt porcinas carnes, quas domi salitas habebat coqueret. Quibus coctis, sedens cũ peregrino, positis carnib. comedebat, & rogabat vt vnã cũ eo ederet peregrinus: quo refutãte, christianumq; se profiterẽ, propterea magis, inquit, refutare non debes: omnia enim mũda mũdis, sicut sermo diuinus edocuit. Ex hoc verò Spiridionis factò nihil aliud effici potest, quàm homini christiano, vbi alij cibi ad vitam tuendam non suppetunt, carni-

ff. Trip.
lib. 1. cap. 10

bus etiam ieiunij tempore vesci licere: quod nemo sanæ mentis negauerit. Neque profecto Spiridion ipse carnes comedit, quod vel superstitiosum esse ciborum delectum cum Caluino crederet, vel quadragesimæ ieiuniũ non seruandum: vtrumque enim illum diligentissimè præstare solitum historia refert. Sed cùm hospitem videret, ex itinere valde defessum, eo qui tum solus suppetebar cibo vesci recusare, quod ieiunij tempus esset, iudicauit vir prudens, ac sanctus, charitatem postulare vt suo potius exemplo hospitem ad carnes comedendas inuitaret, quàm vt ex itineris labore, atque inedia detrimentum pateretur. Quanta igitur incititia est in ea fuisse sententiã Spiridionem dicere, vt Quadragesimæ ieiunium aut delectum ciborum superstitiosum putaret? Nam & apertè historia testatur communem eam Christianorum consuetudinem fuisse, & à Spiridione, vt dixi diligenter seruatam, & suo illo responso hospes, Christianorum morem satis ostendit, cum nolle se carnibus vesci, quia Christianus esset, respondit, & Spiridion ipse quam sacra esset hæc christianorum consuetudo probè intelligens, non prius carnes coqui iussit quàm orasset, veniãque petiussit, & à filia denique intellexisset, nil præter carnes domi esse quod fessò hospiti apponeretur. Frustra igitur suã ingluuiem Spiridionis factò Calviniani excusant.

Exist. Trip. Patres erant, addit Caluinus, quorum vnus dixit lib. 2. cap. 1. monachum, qui manibus suis non labore, violento, Aug. de op. aut si manibus, latroni iudicari equalem. Et si monachos Caluinus omnes ex animo oderit, si 17.

quis tamē vel monachus aliquid dicat quod suæ causæ scēuire posse videatur, mox eum in patribus numerat. Quod verò ex anonymo hoc patre profert, vt nostræ ætatis monachos exagitet ineprum planè est. Nam cum de illis loquatur, qui ne aliis oneri essent, suis ipsi laboribus victum quærebant, quid mirum si illum violento æqualem esse dixerit, qui cum otio ipse indulgeat, sociorū sudoribus viuunt? Quā ob causam tam multa ab antiquis monachorum patribus, de manuum labore subeundo præscripta sunt, vt ex Palladio, Cassiano, Theodoro, aliisque perspicuum est, cautumque diligenter, ne quis in monasterio otiosus degeret, sed diurnum singuli pensum redderent, quod in commune collarum diuendebatur, ad ea comparanda quibus & vitam illi sustentarent, & quoad eius fieri poterat, pauperū egrorumque inopiam subleuant. Operantur (inquit Aug.) manibus ea quibus & corpus pasci possit, & ad eò mens impediri non possit. Opus autem suum tradunt iis, quos decanos vocant, eo quod sint deis præpositi, vt neminem illorum cura sui corporis tangat. Et paulò post: Nullo modo fatagunt vt hæc sibi abundant, sed omni modo agunt vt nō apud se remaneat quod abundauerit, vsque ad eò vt oneratas etiam naues

August. de mor. eccles. cap 32.

ad ea loca mittat quæ inopes incolunt. Hinc illud apud Cassianū, ab antiquis patrib. sanctam sententiam esse, operantē monachum demone vno pulsari, otiosum verò innumeris. Iam verò vbi maiori Christianorum liberalitate cœnobiis vel annui proventus, vel quotidianæ elemosynæ abūdē suppeditatur, nō equus certè est rerum estimator, quisquis iniquo animo fert tempus illud quod manuū labori tribuebatur, rebus longè maioribus, populòque christiano vtilioribus esse concessum. Illud etiam Caluinum, vitæ nimirum monasticæ prorsus ignarum, fefellit, quod priscorum monachorum perpauci sacerdotes fuerint, pauci literarum studiis vacarint, vt diuini verbi prædicatione, aliisque ecclesiasticis functionibus, vtilissimam ecclesiæ operam nauarent, quibus nunc plerique cū summo ecclesiæ fructu vacant. Quanquam neque hodie desunt, qui cum rebus maioribus operam dare non possint, manibus etiam laborent. *At pater etiam erat* (inquit) *qui dixit non licere monachis ex alieno viuere, etiamsi assidui sint in orationibus, in contemplationibus, in studiis.* Augustinum hic intelligit, cuius tamen sententiā planè ignorat. Eos enim ille monachos reprehendit qui sibi laborandum non esse prolato illo scripturæ testimonio confirmabant: respicite volatilia cœli, quoniam neque serunt, neque metunt: considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant neque nent. De

quibus rectissimè Augustinus, verè volatilia cæli, sed per superbiam in altum se extolendo, & fœnum agri, sed carnaliter sentiendo. Hos, inquam, monachos ille iure optimo reprehendit, qui pigritiæ suæ ac desidiaz hanc excusationem quærebant, quod orationibus, psalmis, lectioni, & verbo Dei vacarēt: nunquam tamen putauit, vt Calvinus existimat, non licere monachis manuum labore abstinere, ac hiscerebus se totos dedere, immo contrariam sententiam disertis sanè verbis expressit. Si autè alicui sermo erogandus est, inquit, & ita occupatur vt manibus operari nō vacet, nūquid omnes hoc in monasterio possunt? Quis hic nō videt Aug. iudice hanc iustam esse causam, cur monachi à corporis labore abstineant? Quod verò addit: quamquam etsi omnes possent, vicissim facere deberent: nihil hoc priori sententiæ repugnat. Causam enim mox reddit, quod in iis quæ ad necessarios vitæ vsus pertinebant, plerosque versari oporteret, vt simul omnes verbo vacare non possent. Nihil ergo ineptius quàm hoc Aug. testimonio aduersus eos vti, qui se totos ita studiis ac rerū celestium cōtēplationi addixerūt, vt manuum labori nō vacēt, quasi eadē in domo Martha & Maria esse nequeāt. Quod si Calvinus in veteri ecclesia, laboriosos fuisse monachos omnes putat, cur nō tales saltem ipse aliquos in sua synagoga instituit, si veterē imitari ecclesiā voluit: at Caluianū monachū cernere quale mōstrū esset?

Ibid. ca. 18.

Bene habet tamen quod si qui apud nos monachi sunt otiosi, vt ipse queritur, & doliares vt ait ventres habeant, illi fere ad ipsius castra transfugere, à nobis soleant, quo liberius sua dolia repleant. Et certè si cui vnquam monacho doliaris venter fuit, Martino Luthero vel maximè fuit, eorum omnium iudicio qui probè hominem norunt. Addit verò Cal. *Pater erat qui dixit horrendam esse abominationem videre depictā vel Christi, vel sancti vilius imaginē in Christian. templis.* Immo nullus hoc vnquam pater dixit. Non ignoro ab hæreticis similia quædam Epiphani. tribui, sed illius non esse, vel ex eo perspicuum est, quod cum imaginum vsus, & ab initio nascentis ecclesiæ, & ipsa Epiphani j a tate Christianis fuerit longè celeberrimus, & hæretes ille omnes summa diligētia collectas refutarit, imaginum quidem vsus ne verbo quidem vno, in illo opere reprehendit. Et in septima synodo, vbi hæc de imaginibus quæstio diligentissimè fuit disputata, cum omnia Iconoclastæ ex Epiphanio quæ corradere poterant obiecissent, hunc tamen locum quo nullus se apertior potuisset, ne attigerunt quidem eum & cum obscuriora quædam ex quadam Epiphani j ad Theodosium epistola produxissent, supposititia esse patres euicerunt, quod illius epistolæ vix quatuor extarent exemplaria, eaque recens inuenta, aut potius iconomachorum fraude supposita, nihil vt mi-

Epiphani. in
epist. ab.
Hier. verba

7. Syn. sess. 6

rum videri debeat, eos qui integram etiam epistolam Epiphano affixerunt, partem aliquam cuidam illius epistolæ affluere postea ausos esse. Et certè cum Epiphaniij scripta omnibus Synodi patribus notissima essent, frustra in aliis refellendis tantopere laborassent, si quid ille eiusmodi in hac epistola scripssisset, quæ omnium tunc manibus terebatur. Quare ab heretico aliquo hoc adiectum esse certissimum est. Quod & si nullo constaret alio argumento, vel sola epistolæ series stilique in eo fragmento dissimilitudo luce clarius ostendit. Nam & ante hæc verba eleganter conclusam ab Epiphano epistolam fuisse nemo non videt. Deus autem pacis, inquit, præstet nobis iuxta suam clementiam, ut conteratur Satanas sub pedibus Christianorum, & abiiciatur omnis occasio peruersa, ne scindatur in nobis vinculum charitatis, & pacis, & rectæ fidei prædicatio. Hæc Epiphanius. Quibus ineptissimè illa tam male cum prioribus coheretia quidam nouo veluti exordio adiecit: præterea quos audiui quosdam murmurare contra me, quando simul pergebamus ad sanctum locum qui vocatur Bethel, & quæ sequuntur cum Epiphaniij ingenio, tum Hieronymi stilo, à quo illa epistola versa est adeo indigna, ut lectori etiam patentiissimo nauseam ac fastidium pariant. Denique Gregorius Pontifex in ea epistola quam ad Serenum scripsit episcopum, qui zelo quo-

Gregor. lib.
9. epist. 9.

dam, sed non secundum scientiam, sanctorum imagines confregerant, apertissime indicat nihil ipsius ætate de Epiphano huiusmodi fuisse auditum. Sic enim ad Serenum scribit. Dic frater, à quo factum sacerdote aliquando auditum est quod fecisti? Si non aliud, vel illud te non debuit reuocare, ne despectis aliis fratribus, solum te sanctum, & esse crederes sapientem: Quomodo hæc quæso scripssisset Gregorius, si quid de Epiphano huiusmodi auditum fuisset? cuius tamen epistola illa, in qua hæc nunc leguntur, ante Gregorij ætatem ab Hieronymo erat in latinum sermonem translata. *At in Concilio Elibertino decretum fuisse addit Calvinus, ne quod colibert. can. tur in parietibus depingatur. Quis hic summam; 6. impudentissimi hominis fraudem non admiretur? qui contra imagines illud argumendi loco affert, quod pro illarum honore Elibertini concilij patres decreuerunt, ne scilicet in parietibus depingerentur: quia huiusmodi imagines defluentibus paulatim parietum crustis facile corrumpebantur, & paganorum, quorum eo tempore magnus erat numerus, incursionibus ac ludibrio exponerentur, dum fugientibus christianis auferri non possent: hæc vero patrum mentem fuisse vetus illa Hispaniæ consuetudo, ubi Synodus Elibertina habita fuit in hodiernum penè diem seruata ostendit, qua nullæ in templorum parietibus imagines depinguntur, sed in tabu-*

Concil. con
stā. can. 73.

Lib. 1. cod.
lege vnica
cod. Nemi-
ni licere.

lis depictæ appenduntur. Quod ad sacrarum imaginum honorem pertinere constat, quæ admodum & illud quod in sexta synodo constitutum legimus. ne crux Christi in pavimēto sculpari ne scilicet in ambulantium pedibus cōculcetur. Quod & antiqua illa Theodosij Imperatoris lege cautum est. Cum sit nobis, inquit Imperator, cura diligens per omnia superni numinis religionem tueri, signum saluatoris Christi nemini liceat vel in solo, vel in cilice, vel in marmoribus humi positus insculpere vel pingere. Mira ergo impudentia hunc Elibertini concilii canonem Calvinus profert. *Alius pater consuluit* (inquit) *vt officio humanitatis erga mortuos in sepultura defuncti, sereremus eos quiescere.* Ambrosium hic nobis obiicere voluit, cuius neque verba ille, neque mentem caller. Et surrexit Abraham à mortuo inquit scriptura: in quæ verba Ambrosius, Docemur inquit, vt non diutius inhæreamus mortuis, sed quantum satis est officij deferamus. Quæ fanè nihil aliud quam immoderatum mortuorum luctum prohibent, preces verò pro defunctis & sacrificia offerre, vt Calvinus putat, nequiquā. Quod innumeris Ambrosij testimoniis probari possit. Atque vt cætera omittam, an non pro Satyro fratre defuncto sacrificium ipse obtulit? Cape, inquit, propitius ac serenus fraternum munus, sacrificium sacerdotis. Et de Valentiniano ac fratre Beati ambo, si quid

Amb. de obi-
tu Satyri.

meæ orationes valebunt. Nulla dies vos silentio præteribit, nulla in honoratos vos mea transibit oratio, nulla nox non donatos aliqua precum mearum contextione transcurret, omnibus vos oblationibus meis frequentabo. Clamet nunc Calvinus nos positos ab Ambrosio limites perrumpere, quando crebras Deo preces pro mortuis fundimus. *Ex patribus erat* (inquit) *qui substantiam panis & vini testatur in Eucharistia ita permanere, & non desinere, sicut manet in Christo domino substantia & natura hominis iuret diuina.* Hoc vero testimonium, & si Gelasij esse concederem, quod iure optimo negare possem, nullas tamen aduersus catholicum de transubstantiatione dogma vires haberet, vt supra ostendi, cum non dissimilem Theodoretum locum explicarem. Addit deinde. *Patres erant qui vt vniuersa ecclesia vnâ dumtaxat Eucharistiâ exhibebant, atque vt inde arcebat flagitiosos & sceleratos, ita grauissimè damnabant omnes eos qui præsentibus ea non communicarent.* Chrysostr. in cap. 1. epist. ad Ephes. Calixtus papa de conc. dist. 2.

Chryf. in
cap. 1. epist.
ad Ephes.
Calixtus pa-
pa de con-
c. dist. 2.

præsertim ætate, qua quotidie communi-
 care Christiani fere solebant. tamen ne ipse
 quidem sacrificare dubitauit, quando non
 omnes, imo rari, vel nulli eucharistiam su-
 mebant. Frustra, inquit, ad hunc modum
 offertur hostia salutaris. Nec quicquam adsi-
 stimus aris. Nemo est qui dignè participet.
 Quibus verbis non quidem omni fructu ca-
 rere eos significat, qui præsentés sacrificio
 non communicabant, nam & pœnitentes,
 quibus communicare non licebat, ad tem-
 pus vsque communionis haud sine magno
 fructu intererant: sed eo tamen fructu sese
 priuabant, quem ex digna Eucharistiæ sump-
 tione, maximum percipere potuissent. Quod
 verò de vna scribit Eucharistia vanissimum
 est. Nullo enim neque Christi præcepto, ne-
 que ecclesiæ catholicæ more ac consuetudi-
 ne veritum esse ostendit, sapius vna die Eu-
 charistiam eadem in ecclesia offerre, cum
 præsertim tanta nunc Christiani populi
 multitudo sit, tamque variis vitæ generibus
 occupata, vt neque vno tempore, nec loco,
 conuenire omnes commodè possint. Quos
 tamen huius sacrificij fructu carere minimè
 æquum est. Ob quam sanè causam, vt hic
 alias omittam, sapius eadem die, atque in
 eadem ecclesia offerri Eucharistia consue-
 uit. Quod & olim à doctissimo illo san-
 ctissimoque pontifice Leone præceptum
 legimus. Illud quoque, inquit, volumus cu-

Leo epist. 81

stodiri, vt cum solennior festiuitas conuen-
 tum populi numerosioris indixerit, & ad eam
 tanta multitudo conuenierit, quam recipere
 basilica simul vna non possit, sacrificij obla-
 tio indubitanter iteretur, & cæt. Eadem etiã
 vanitate queritur Calvinus, priuatis interdum
 in locis, ac Christianorum ædibus, contrave-
 terem ecclesiæ morem sacrificium à nobis of-
 ferri. Vidit enim callidus veterator publicum
 in templis sacrificij offerendi morem in om-
 nium patrum scriptis tam frequenter occur-
 rere, vt nisi sprete eorum authoritate nihil
 haberet quod in hac re nobis obiiceret. Sed
 neque à veteris ecclesiæ more alienum fuisse,
 vt in priuatis interdum locis sacrificium of-
 ferretur: vel illud diui Augustini, vt alia præ-
 terea exempla satis ostendit, quod de suo
 quodam presbytero in hæc verba scribit. Vir
 tribunitius Hesperius qui apud nos est, ha-
 bet in territorio Fussalensi fundum Cubedi
 appellatum, vbi cum afflictione animalium
 & seruorum suorum domum suã spirituum
 malignorum vim noxiam perpeti comperis-
 set, rogauit nostros me absente presbyteros,
 vt aliquis eorum illò pergeret, cuius oratio-
 nibus cederent. Perrexit vnus. Obrulit ibi
 sacrificium corporis Christi, orans quantum
 potuit vt cessaret illa vexatio, Deo protinus
 miserante cessauit. Pergit Calvinus. Patres
 erant quorum vnus ab vsu sacre Christi cœne in to-
 tum submonendos decreuit, qui alterius speciei par-

Aug. lib. 22.
 de cont. c. 8

Cypri. epist.
 2. lib. 1.

ticipatione contenti, ab altera abstinebant: alter fortiter pugnat non denegandum populo Christiano domini sui sanguinem, pro cuius confessione sanguinem suum effundere iubetur. Ac prior ille quidem pater Gelasius est, quem testium inopia pressus veluti nouum contra nos resem de nouo producit, sed quam ineptè id supra ostēdi, cum de patrum firmamenti disputarem. Alter vero Cyprianus est cuius testimonio supra quam dici potest impudenter abutitur, quasi tum pro vtriusque speciei communione Cyprianus pugnasset, quam omnibus ea ætate liberam fuisse supra ostendimus. Verum nihil ille aliud, quam pœnitentibus Eucharistiam vrgente persecutione concedendam esse contēdit, vt sacro Christi sanguine ad prælium confirmarentur, qui suum pro illo sanguinem essent fusuri, vbi perspicuum est ob allusionis tantum elegantiam sanguinis illum meminisse. Neque Caluini cæcitatē mirari satis possum, qui hic non viderit Cypriano iudice, tam verè Christi sanguinem martyres sumere, quàm suum ipsi funderent. Addit deinde Calvinus. Pater erat qui temeritatem esse asseruit, de re obscura in vramnis partem definire sine clavis atque euidentibus scriptura testimoniis. Rursus hic nobis Augustinum præ aliorum testium penuria obiicit: à cuius tamen sententia vt solet longissimè aberrauit. In obscurissimam enim eo loco quæstionem de origine animæ Augustinus incidere,

Aug. lib. 2.
 de pec. mer.
 & remis. ca.
 vlt.

incidere: de qua cum nihil neque ex traditione, neque ex vilo ecclesiæ decreto posset elicere, nõ immeritò sanè in hæc verba scripsit. Vbi de re obscurissima disputatur, non adiuuantibus diuinarum scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in alteram partē declinando. Id verò quis negat? Sed obicura profectò quæstiones Augustino non sunt, de quibus clara extat vel maiorum traditio, vel ecclesiæ sanctio, licet apertis scripturarum testimoniis demonstrari non possint, vt his ille verbis difertè testatur. Proinde quamuis huius rei certè de scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen scripturarum etiam in hac re à nobis teneretur veritas, cum hoc facimus, quod vniuersæ iam placuit ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat authoritas, vt quoniam sancta scriptura fallere non potest, qui quis falli meruit huius obscuritate quæstionis, eadem ecclesiæ de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate sancta scriptura demonstrat. Pater erat (inquit Calvinus) qui Montano inter alias hæreses exprobrauit quòd primus ieiuniorum leges imposuisset. Et hoc quoque mendacium est. Apollonius quidem apud Eusebium, quem hic testem Calvinus citat, de Mótano sic loquitur. Iste est qui nuptiarum diuortia perdocet (in quo Calu. dogma de dissoluēdo matrimonio agnoscas licet) qui nouas ieiunij leges sancit.

Aug. lib. 1.
 cōtr. Cresc.
 cap. 33.

Euseb. li. 6.
 cap. 17.

Theod. li. 3. h̄eret. fab. Hieron. in cap. 9. Matt. ubi nihil minus apollonius, quā primū Montanū ieiuniorū leges instituisse ait, sed nouas leges, & veteribus contrarias inuexisse, quæ quales fuerint ex Theodoro, Hieronymo, aliisque satis constat. Sic enim de eo Theodororus. Mōtanus vt matrimonium solueretur constituit, & noua ieiunia præter Ecclesiæ consuetudinem induxit. Et Hieronymus in illud Christi: Auferetur à vobis sponfus, &c. Nonnulli, inquit, putāt idcirco post dies quadraginta passionis ieiunia debere committi, licet statim dies Pentecostes, & Spiritus sanctus adueniens, indicant nobis festiuitatem. Et ex huius occasione testimonij Montanus, Prisca, & Maximilla, etiam post Pentecosten faciunt quadragessimam, quod ablato sponso filij sponfi debeant ieiunare. Ecclesiæ autem consuetudo ad passionem Domini, & resurrectionem, per humilitatem carnis venit, vt spiritali ieiunio sagina carnis præparemur. Et ad Marcellam de erroribus Montani verba faciens. Nos vnā, inquit, quadragessimam secundum traditionem Apostolorum toto anno, tempore nobis congruo ieiunamus, illi tres in anno faciunt quadragessimas, quasi tres passi sint Saluatores. Hæc de Montano. Ex quibus singularem Caluini in referendis patrum sententiis candorem liquet agnoscere. Illud ergo apud Caluinum sequitur. *Pater erat qui negauit ecclesiæ ministris interdicens coniugium, castitatem pronunciauit, cum propria vxore concubitu. Neque hic sibi*

Hieron. ad Marcellam.

Hist. Trip. lib. 2. ca. 14.

Caluinus à mendacio temperat. Paphnutius enim, quem huius sententiæ patronum facit, illud tantum Niceni concilij patribus, teste Socrate suadet, vt qui in clerum ante ascripti erant quàm duxissent vxores, hi secundum veterem ecclesiæ traditionem, deinceps à nuptiis se abstinerent: non tamen quenquam ab illa, quam iam pridem cum laicus erat, vxorem duxisset seiungi debere: vbi antiquissimam ecclesiæ traditionem obseruare in primis debuisset, qua sacerdotibus vxores ducere nequaquam licebat. Neque vllum etiam concilij Niceni decretum fuit, vt ipse falso existimat, quo sacerdotibus liceret cum iis vxoribus quas ante sacros ordines susceptas duxisset, consuetudinē habere. Quod ex eiusdem concilij canone tertio perspicuū est. Omnibus modis interdixit sancta synodus, neq; Episcopo, neque presbytero, neque diacono, neque vlli clericorū omnino licere habere secū mulierem introductā, nisi fortē mater, aut soror, aut auia, aut amita, vel matertera sit. Quod certē concilij decretum, aut potius perpetuam Ecclesiæ traditionem, intellexisse mihi concilij Carthaginensis patres videntur, cum hunc canonem ediderunt. Omnibus placet vt Episcopi, presbyteri, & diaconi, & qui sacramenta contrectant, pudicitæ custodes, etiam ab vxoribus se abstineant. Cuius rei causa supra redditur, vt quod Apostoli do-

Socrat. li. 1. cap. 8.

Cōcil. Nic. can. 3.

2. Syn. Cathag. can. 2.

cuerunt, & ipsa seruaui antiquitas, nos quoque custodiamus. Quò & Epiphanius, vt supra dixi, spectauit, cum Ecclesiasticis repugnare canonibus dixit, vt sacerdotes cum iis vxoribus, quas ante sacerdotiũ duxerãt consuetudinem haberent vllam. Quamobrẽ etiam si Paphnutij iudicio standum esset, non video equidem quo iure Martinus Lutherus, cæterique apostoli vestri vxores duxerint. *Pater erat,* inquit Calvinus, *qui censuit vnum Christum audiendum esse, de quo dictum sit, ipsum audite, nec respiciendum quid alij ante nos, aut dixerint, aut fecerint, sed quid qui primus omnium est Christus præceperit.* Non me latet similia apud Cyprianum interdum legi. Cùm enim de hæreticorum Baptismo quæstio magna contentione ageretur, multaque essent scripturæ testimonia, quibus suam ille sententiam clarissimè probari existimabat, traditio verò, qua penè sola nitentur, qui rectius sentiebant, obscurior videretur: vt hoc se argumento facilius expediret, non tam aliorum exempla, quàm Christi verba inspicienda respondit. Irruente itaque, inquit Augustinus, tam magna quæstione, cum de remissione peccatorum, & de spiritali hominis regeneratione vtrum posset apud hæreticos, vel apud schismaticos fieri, difficilè ratio redderetur, & præcederet authoritas Agrippini, & nonnullorum qui ei consenserant hominum in hac quæstione deficientium, qui maluerunt aliquid nouum moliri quàm tenere consue-

Lib. 2. cõtr.
Don. cap. 7.

tudinem, cuius defensionem non intelligebant: irruerunt in oculos animæ verisimiles rationes, & intercluserunt iter peruestigandæ veritatis. Magna est igitur Caluini impudentia, quem non puduit aduersum nos illud ex Cypriano proferre, quod nunquam ab eo, nisi ad confirmandum errorem vsurpatum est, quodque in illo omnes catholici deinceps reprehenderunt: non quin Christus ante omnia esset audiendus, sed quod magna esset temeritatis, spreta ecclesiæ traditione, qua Christi nobis doctrina veluti per manus est tradita, quid Christus dixerit, suo sibi iudicio statuere. Atque si vir tantus hanc viam ingressus, quam Calvinus inuestigandæ veritatis vnicam esse, ac certissimam tanto opere cõtendit, in errorem tam perniciosum lapsus est, quid de Ioanne Caluino omnibusque Caluinianis erit sentiendum? quibus merito nunc idem catholici respõdemus quod Donatistis olim ab Augustino responsum legimus. Nolite nobis obiicere authoritatẽ Cypriani, sed tenere nobiscum exemplum Cypriani. Et rursus. Si authoritas Cypriani sequenda est, magis sequenda est in vnitatem seruanda, quàm in ecclesiæ consuetudine commutanda. Denique vt hunc locũ cum eodem Augustino concludam, quicquid hic à beato Cypriano erratum est, quia in ecclesiæ catholice vnitatem permãsit, & charitatis vbertate compensatũ est, & passionis falce purgatũ.

Aug. lib. 2.
contr. Don.
cap. 7. & c. 2

Cōtr. Crefc.
Gram. c. 2.

Pergit Caluinus: *Pater erat qui contendit ecclesiam non debere se Christo præponere, quia ille semper veraciter iudicet, ecclesiastici autem iudices sicut homines plerumque fallantur.* Quid vero ineptius dici potuit? Quasi ecclesiam Christo præponendam esse vllus vnquam christianus senserit. *At ecclesiastici iudices,* inquit Caluinus, *Augustino teste, sicut homines plerumque falluntur.* Nihil sanè huiusmodi eo quem Caluinus indicat loco Augustinus scripturè reliquit, quæcunque tandem lib. contra Cresconiũ scriptũ intelligat. Equidem non ignoro Augustini sententiam esse, etiamsi illi qui in causa Cæciliani iudices fuerant, tanquam homines errare potuerint, non propterea peccasse orbem terrarum, qui causam illã malos iudices habuisse nesciuit, & eos male iudicasse non credidit, de quibus iudicare non potuit. Neque quisquam est qui nesciat Ecclesiasticos quoscunque iudices, in facti, vt loquuntur, quæstione errare interdum posse, vbi humanis tantum testimoniis, ac coniecturis vtendum est, quo in genere Cæciliani causa, quam August. defendit, versabatur: quamquã & in ea causa errasse iudices August. pernegat. vbi verò de fide, vel de moribus agitur, fallax esse ecclesiasticum iudiciũ, neque Augustin. sanè, neq; vllus vnquã scriptor catholicus affirmavit. Summãq; hic Caluinus cæcitate laborat, qui dum incertũ esse iudiciũ ecclesiasticũ

Cont. Petil.
cap. 2.

cōtendit omnẽ synagogẽ suẽ iudicãdi auctoritatẽ se tollere non animaduertit. Illud iam superest quod ait, *Patres omnes vno pectore execrati sunt, & vno ore detestati sanctum Dei verbum Sophistarum argutijs contaminari, & dialecticorum rixis implicari.* Quis verò catholicus Dei verbum Sophistarum argutijs, contaminandum dixit aliquando? Nam quod hoc nos crimine per calumniam onerat, seipsum certè Sophistam prodit, quod hæreticis omnibus commune esse Clemens Alexandrinus testatur. Quomodo enim Theologia Scholastica, quam hic Caluinus obliquè perstringit, Sophistica cèseri potest, quæ Sophisticas omnes argutias dignoscere, & vitare docet? vt ea qui careat Sophisticis ac fucatis hæreticorum argumentis facile succumbat. Qua & Augustinus, & Basilius, & Nazianzenus, & quicunque demum hæreticorum Sophismata fœliciter refutarunt, quam optime instructi fuerunt. Ex quorum monumentis vndique posteris magno labore collegerunt, quæ nunc certo ordine, faciliq; methodo in scholis summo cum omnium fructu traduntur. Dum verò nobis vitio vertit quod in tradenda theologia dialecticorum præcepta sequamur, quid aliud quàm vnum se esse ex Epicuri discipulis prodit? Sed meminisse vir bonus debuerat, idem olim beato Augustino à sui tẽporis hæreticis fuisse obiectum: quorũ ille incitiã acumine sanè dialectico demonstrauit,

Clem. lib. 3.
strom.

Aug. lib. 1.
cõtra Crefc.
gram. c. 13.

nihil vt opus sit ad has Caluini ineptias refellendas pluribus vti argumentis. Atque hæc illa sunt Vvhitakere, vt ad te nunc redeam, quæ ex innumeris antiquissimorum patrum voluminibus & Calvinus in medium proferre potuit: paucissima, vt vides, & ea tamen ipsa partim omnino falsa, partim suppositicia, partim fœdè deprauata, atque ab illorum mente qui ea scripserunt longissimè detorta. Iam vero vt quæ protulit, omnia essent verissima, neque nostram deteriozem, neque ipsius causam meliorem redderent. Non enim vnus forte, alteriusve patris sententia, sed communis patrum consensus, ad fidei dogmata stabilienda, firmum theologo argumentum suppeditat, quam nullo vnquã suo in dogmate proferre Calvinũ posse, qui hanc prærationem aliquando legerit, ignorare omnino non potest. Tantũ enim abest vt patrũ consensio, qui diuersis seculis floruerunt, proferat, vt ne vnus quidem ætatis patres proferre vnquã potuerit. Sed quid ego de vna ætate loquar, cũ ad res singulas nõ nisi singulos ferè patres citarit? vt pater erat qui dixit Deũ neque edere, neq; bibere. Pater qui monachos laborare iussit, pater qui voluit vesci carnibus, aliaque id genus. Quid verò magis ridiculum, quã nos tam impudenter accusare, quasi patrum limites transgrediamur, cum verò ad rem ventum fuerit, tam turpiter in probatione deficere?

Nam ne in ciuilibus quidem iudiciis audiuntur illi qui vt reum mortis aliquẽ peragant, testes aliquot proferunt, quorum vnus furtũ, alter homicidium, alter nescio quid aliud à reo perpetratum testetur. Plures enim vnus esse criminis testes necesse est. Quod si in causis plerumque tã leuibus testis vnus minimè sufficit, cerrè qui tantum nobis crimen obiicit, vno teste contentus esse non debuit, præsertim cùm singulis ætatibus innumeri extiterint, qui eadem de re testimonium dicere potuerint, imo & dixerint & scriptum reliquerint. Et certè si timotheum Paulus tam serio admonuit, vt ea fidelibus commendaret, quæ ab ipso per multos testes audisset, maiori nunc iure veris ecclesiæ pastoribus idem esse præceptum censebimus, cùm testium numerus in ecclesiã multò nunc frequentior, quam diui pauli ætate existat. quod tamen præceptum nefariè Calvinus contemnit, cùm ea fidelibus commendat quæ non à multis testibus, sed si verum fateri velit à nullo, si quantum ille postulat largiamur, ab vno tantum aut altero teste didicit. Quo magis illorum hominum imprudentiam admiror, qui ob paucula hæc testimonia, tam veterariè tantaque fraude prolata, præfationem hanc adeo suspiciunt, & admirantur, vt Manichæi olim epistolam fundamenti. Sed diu subsistere domus illa non potest, quæ tã infirmo, tanque male iacto nititur funda-

2. ad Tim. 2

mento. Hæc ego pluribus quàm statueram scripsi, vt nemo non intelligat vestram esse non catholicorum illam differendi rationem quam tu nobis Vvhitakere paulo antea obiecisti, non ex communi parum consensione, sed ex vnus alteriusue testimonio, eoque perperam intellecto perpetuò argumentari. Atque hæc de Sophismatis vestris.

DECIMA RATIO.

Omne genus Testiu.
Isa. 35. v. 8.

Nec erit vobis directæ via a, ita vt stultis non errent per eam. Quis enim, quâuis hebes in plebecula, dummodò salutis cupidus parumper attende- rit, semitam Ecclesiæ tam egregiè complan- tam, non videat, non teneat, vepres & cautes, & auia detestatus? Erunt hæc etiâ rudibus explorata, sicut Isaias vaticinatus est, vobis igitur, si voleris, exploratissima.

Cælitēs.

Theatrum vniuersitatis rerum ponamus ob oculos: quicquid est vsquam peragemus: omnia nobis argumentum suppeditant. Eamus in cælum: Rosas & lilia contemlemur: purpuratos nempe martyrio, candidatos innocentia. Romanos, inquam, Pontifices b tres & triginta continenter occisos: Pastores terris omnibus, qui suum pro Christi nomine sanguinè oppignorarunt: Greges fidelium, qui Pastorum vestigiis institere: Diuos omnes cælitēs, qui turbæ hominum, pu-

a Aug. serm.
37. de Sanct.

b Dam. in vi.
Pont. Roma.

ritate & sanctimonia præluxere. Nostros hinc vixisse, nostros hinc emigrasse reperias. Noster fuit, vt pauca delibemus, ille martyrissimissimus Ignarius, c, qui in rebus Ecclesiæ neminem, ne regem quidem d, æquavit Episcopo: qui traditiones quasdam apostolicas, quarum testis ipse fuerat, ne dilaberentur, scripto a mandauit. Noster, Anachorita Telephorus, qui ieiunium Quadragesimæ sancitum ab Apostolis obseruari b seuerius iussit. Noster Irenæus, qui à successione cathedræque Romanæ, fidem c Apostolicam, declarauit. Noster, Victor Pontifex, qui Asiæ edicto d coërcuit vniuersam: quod cum aliquibus, atque etiam huic Irenæo viro sacratissimo videretur asperius, nemo tamen attenuauit vt exoticam potestatem. Noster Polycarpus qui super quæstione e Paschatis Romanam adiit, cuius ambustas reliquias, Smyrna collegit, anniuersario die ritumq; legitimo f, suum Episcopum venerata. Nostri Cornelius & Cyprianus, aureum par Martyrum, ambo magni præfules, sed maior ille qui Romanus Africanum errorem g resciderat, hinc nobilitatus obseruantia, qua maiorem est profequutus amicissimum sui, noster Sixtus, cui ad aram solennibus sacris operati h, ministrarunt è clero septemviri. Noster Laurentius huius Archidiaconus i, quem aduersarij de suis fastis eiiciunt, quem ante mille ducentos annos vir Consularis Prudentius a sic orauit:

c Hier. in ca.
script.

d Igna. In
epist. ad Smy.

a Euf. li. 3. c.
30.

b Da. in vit.
Teleph. Tom.

1. con. de. con-
secrat. d. 4.

c Iren. Li. 3.
c. 3.

d Euf. 5. hi. c.
24.

e Euf. 4. hi.
c. 13.

f Euf. 4. hist.
cap. 14.

g Euf. 7. hist.
2. inter. Ruf.

h Prud. in
hym. de S.

i Vide Aug.
ser. 1. de S.

Laur. Amb.
lib. 1. offic. 41

li. 2. off. cap.
28. Leo. ser.

indie. S. Laur.
a Prud. in

hym. de. S.
Laur.

Quæ sit potestas credita,
 Et muneris quantum datum,
 Probant Quiritum gaudia,
 Quibus rogatus annis.
 Hos inter, ô Christi decus,
 Audi & Poetam rusticum,
 Cordis fatentem crimina.
 Et facta prodentem sua.
 Audi benignus supplicem

Christi, reum Prudentium.

b Metaphr.
 Amb. ser. 90.
 To. 3. & li.
 1. de Virg.
 Ado. Tre. in
 martyre.
 c Ruf. li. 1.
 ca. 8.
 d Ex Aug.
 lib. 9. confes-
 sio. cap. 7. vs
 que ad 13.
 e Hier. in
 epist. Paul.
 f Hier. in
 cat. script.
 g Athanasius
 in vita San-
 cti Antonii.
 2 Amb. in
 era. fut. de
 Satyro.
 b. loa. Diac.
 c Seuer. Stul.
 Metaph.
 d & p. l. 2.
 dial.

Nostræ, virgines illæ perbeatæ *b*, Cecilia,
 Agatha, Anastasia, Barbara, Agnes, Lucia,
 Dorothea, Caterina, quæ decretam pudici-
 tiam aduersus & hominum & dæmonum ty-
 rannidem firmauerunt. Nostra Helena quam
 Dominicæ crucis inuentio *c* celebravit, No-
 stra Monica, quæ moriens orari & sacrificari
 pro se mortua *d* ad altare Christi, religio-
 sissimè flagitauit. Nostra Paula *e*, quæ ex vi-
 bano palatio, & opimis prædiis, in speluncam
 Bethleemicam tantis itineribus peregrina
 cucurrit, vt ad Christi vagientis cunabula de-
 liret. Nostrum Paulus, Hilarion *f*, Anto-
 nius *g*, seniculi solitarij. Noster Satyrus *a*,
 Ambrosij Germanus frater, qui tremendam
 illam hostiam circum se gestans in oratio,
 naufragus insiliit in Oceanum, & fide ple-
 nissimus enatauit. Nostrum Nicolaus *b* & Mar-
 tinus *c* Episcopi, exerciti vigilis, paludati
 cilicis, ieiunio pasti. Noster Benedictus *d*,
 tot Monachorum pater. Chiliadas istas de-

cennio non exequeret. Sed nec illos repero
 quos in Ecclesiæ doctoribus antè posueram.
 Memor sum breuitatis meæ. Petatista qui
 volet non solum ex abundanti veterum histo-
 ria, sed multo etiam magis ex grauissimis au-
 ctoribus qui penè singuli Diuos singulos
 memoriæ *e* reliquerunt. Renunciet mihi de
 christianis illis antiquissimis & beatissimis,
 quid autemet, vtrius doctrinæ fuerint, ca-
 tholicæ an Lutheranæ. Testor Dei solium, &
 illud tribunal ad quod stabo, rationem harum
 & Dicti Facti redditurus, aut nullum cælum
 esse, aut nostrorum esse. illud execramur, hoc
 ergo defigimus.

Nunc è contrario, si liber, inspiciamus in Damati
 Tartara. Crementur incendio sempiterno,
 qui? Iudæi. quam Ecclesiam auersati? no-
 stram. qui? Ethnici. quam Ecclesiam crude-
 lissimè persecuti? nostram. qui? Turci,
 quæ templa demoliti? nostra. qui? Hæretici,
 cuius Ecclesiæ perduelles? nostræ. Quæ enim
 Ecclesia præter nostram, omnibus inferorum
 portis *a* se opposuit?

Cum, pulsus hebræis, christiani *b* suc-
 crescerent Hierosolymis, Deum immorta-
 lem! qui concursus hominum ad loca sacra
 fuit *c*, quæ vrbis religio, quæ sepulchri, quæ
 præsepis, quæ crucis, quæ monumentorum
 omnium, quibus velut exuuiis mariti Ecce-
 sia sponsa delectatur? Hinc manauit in nos
 Iudæorum odium, ferum & implacabile.

c Vide sex
 tomos Surii
 de vit. Sanct.

a Mat. 16. v.
 18.

Iudæi.
b Enf. 4. hist.

c Hier. in
 epist. Paul. Et
 in epist. ad
 Marcel. &
 pasim in ep.

Queruntur etiam nunc, maiores nostros maioribus suis exitio fuisse. A Simone Mago & Lutheranis nullum ictum acceperunt.

In Ethnicis violentissimi fuerunt, qui toto imperio, trecentis annis, per interualla temporum, etumnosissima christianis supplicia machinata sunt. Quibus? Patribus & filiis nostre fidei. Cognoscite vocem Tyranni qui Diuum Laurentium torruit in craticula.

Hunc esse vestris Orgiis.

Moremque et artem proditum est:

Hanc disciplinam scederis,

Libent ut auro antistites.

Argenteis scyphis ferunt,

Fumare sacrum sanguinem,

Auroque, nocturnis sacris,

Adstare fixos cereos,

Tunc cura summa est fratribus,

(Ut sermo testatur loquax)

Offerre, fundis venditis,

Sestertiorum millia.

Addicta auorum praedia

Fœdis sub auctiombus

Successor exhaeres gemit,

Sanctis egens parentibus.

Hæc occuluntur abditis

Ecclesiarum in angulis:

Et summa pietas creditur

Nudare dulces liberos.

Deprome thesauros, malis

Suadendo quos prestigis

Pruden. in
hym. de S.
Laur.

Exaggeratos obtines,

Nigrante quos claudis specu.

Hoc poscit usus publicus,

Hoc fiscus, hoc ararium,

Ut dedita stipendiis

Ducem iunet pecunia.

Sic dogma vestrum est, audio,

Summ quibusque reddito,

En Caesar agnoscit summ

Numisma, nummis inditum

Quod Caesaris scis, Casari

Da: nempe iustum postulo.

Ni fallor, haud ullam tuus

Signat Deus pecuniam.

Nec cum veniret, aureos

Secum Philippos detulit,

Præcepta sed verbis dedit

Inanis à marsupio.

Implete dictorum fidem,

Quæ vos per orbem venditis

Nummos libenter reddite,

Estore verbis diuites.

Quis videtur? In quos furit? Cuius Ecclesie sacra, lychnos, ritus, ornamenta conuellit? Cui patellas aureas, & argenteos calices, & sumptuosa donaria, & opulentam gazam inuidet? Profecto lutherizat. Quod enim aliud velum suo latrocinio nostri Nenrodes a Gen. 10. v. obtenderunt, cum depecularentur Ecclesias, & Christi patrimonium dissiparent? contra verò Magnus ille Constantinus, Christomasti-

b *Da. in Syl.* *gon* terror, quam Ecclesiam tranquillauit?
Nice. li. 7. ca. Illam, cui Pontifex Syluester præfuit *b*, quem
 33. in Soracte latitantem accersit, vt eius opera,
Zonaras. nostro Baptismate tingeretur. Quibus auspiciis
Cedrenus. victor? signo *a* crucis, Qua matre glori-
a Euf. lib. 2. osus? Helena. Quibus se Patribus adiunxit?
de vit. const. Nicenis. Cuiusmodi? vt Syluestro, vt Mar-
cap. 7. 8. 9. co, vt Iulio, vt Athanasio, vt Nicolao. Cuius
Sozom. lib. se precibus commendauit *l*? Antonij. Quam
1. cap. 8. 9. sellam postulauit in *c* synodo? vltimam. O
 quanto regalior hac sede, quam qui reges ti-
 tulum non debitum ambierunt: Singula nar-
 rare longum est. Sed ex his duobus, altero
 nobis infestissimo, altero nobis amicissimo,
 licebit singula coniecere, quæ sunt horum si-
 millima. Etenim, vt nostrorum illa fuit Epi-
 tasis turbulenta, sic nostrorum hæc euasit di-
 uina Catastrophe.

Turci.
 d *Zonaras*

e *Vide Vola-*
ter. Iouium.
Aemiliuli. 8.
Elöd. l. 9. de.
 2.

Turcica videamus: Mahometes, & Ser-
 gius *d* monachus apostata, in profundo bar-
 athro iacent vlulantes, & suis & posterorum
 sceleribus onusti. Hæc portentosa & efferata
 bellua, Saraceni, Turci, nisi à nostris ordi-
 nibus militiæ sacræ *e*, nisi à nostris Princi-
 pibus & populis accisa fuisset, ac repressa, per
 Lutherum quidem (cui gratias hoc nomine
 Solymanus Turcus literis egisse dicitur) &
 per Lutheranos regulos (quibus Turcorum
 progressio letabilis existimatur) hæc in quâ,
Erimys furiosa & exitiosa mortalibus, rotam
 iam depopularetur & vastaret Europam, ne-
 que

que indiligentius altaria & signa crucis, quam
 ipse Calvinus euerteret. Ergo nostri hostes
 illi sunt proprij, vt pote nostrorum industria
 à Christianorum iugulis repulsi.

Despectemus in Hæreticos, feces, & fol-
 les, & alimenta Gehennæ. Primus occurrit
 Simon Magus: Quid ille? Eripiebat homini *a*
 liberam *a* voluntatem: solam Fidem *b* percre-
 pabat. Mox Nouatianus: Quis? Antipapa *b*
 Cornelio Pontifici *c* Romano, hostis Sacra-
 mentorum Pœnitentiæ & *d* Chrsimatis. Dein
 de Manes Persa: Hic docebat, baptismum *d*
 salutem *e* non conferre. Post, Aërius Arria-
 nus: preces damnabat pro mortuis *f*, con-
 fundebat Episcopis Sacerdotes. Hinc Aërius
 solam *g* & ipse Fidem personabat: cognomi-
 natus, *Atheos* *h* non minus quam Lucianus.
 Sequitur Vigilantius *i*, qui Diuos orari non
 ferebat: ac Iouinianus *j*, qui virginitatem &
 nuptias æquiparabat: denique colluuius vni-
 uersa, Mece donius, Pelagius, Nestorius, Eu-
 tyches, Monothelita, Iconomachi, cæteri,
 quibus Lutherû & Caluinum posteritas ag-
 gregabit. Quid isti? Omnes mali cornu, eo-
 dem ouo geniti, ab Ecclesiæ nostræ Præfuli-
 bus descuerunt, & ab illis eucti & exinaniti
 sunt.

Deseramus Auernum, reddamur terris. Terræ.
 Quocunque me oculis & cogitatione con-
 uertero, siue Patriarchas intueor, & Sedes
 Apostolicas: siue Antistites cæterarum gen-

tium: siue laudatos Principes, Reges, Cæsares: siue christianorum cuiusque Nationis initia: siue vllum indicium vetustatis, aut lumen rationis, aut honestatis decus: nostræ Fidei seruiunt & suffragantur omnia.

Sedes Apostolicæ.

a A. g. Epist. 162.

b Vide Tert. de præsc. Au.

li. 2. de Doct. Christ. cap. 8.

Disiunctissimæ tetrac.

Hier. in cat. scrip. Eccl. et alii.

Testis Romana successio, in qua semper Ecclesia, (vt cum Augustino a loquar) Apostolicæ Cathedræ viguit principatus: Testes illæ reliquæ Sedes Apostolicæ, in quas hoc nomen insignitè conuenit, quòd ab ipsis Apostolis horumue auditoribus exadificatæ b fuerint. Testes vbius gentium pastores, loco disiti, religione nostra cõcordes. Ignatius & Chrysostomus Antiochiæ: Petrus, Alexander, Athanasius, Theophilus, Alexandria: Marcarius & Cyrillus, Hierosolymis: Proclus, Constantinopoli: Gregorius & Basilius, in Capadocia: Thaumaturgus, in Ponto: Smyrnæ, Polycarpus: Iustinus, Athenis: Dionysius, Corinthi: Gregorius, Nissæ: Methodius, Tyri: Ephreemus in Syria: Cyprianus Optatus, Augustinus in Africa: Epiphanius in Cypro: Andreas Cretæ: Ambrosius, Paulinus, Gaudenrius, Prosper, Faustus, Vigilus in Italia: Irenæus, Martinus, Hilarius, Eucherius, Gregorius, Saluanus in Gallia: Vincentius, Orosius, Hildefonfus, Leander, Isidorus in Hispania: In Britannia, Fugatius, Damianus Iustus, Mellitus, Beda. Denique ne ambitiosus videar in nominibus, quecunque vel opera, vel fragmèta supersunt eorum

qui disiunctissimis terris Euangelium seuerunt, omnia nobis vnã Fidem exhibent, quam hodie, Catholici profiteamur. Christe, quid causæ tibi afferã, quòd minus me de tuis extermines, si tot luminibus Ecclesiæ, tenebricosos homulos, paucos, indoctos, dissectos, improbos antetulero?

Testes item Principes, Reges, Cæsares, horumque Respublicæ, quorum & ipsorum pietas, & ditium populi, & pacis bellique disciplina, se penitus in hac nostra doctrina Catholica fundauerunt. Hic ego quos ab Oriente Theodosios, quos ab Occidente Carolos, quos Edouardos ex Anglia, Ludouicos è Gallia, Hermingildos ex Hispania, Hèricos è Saxonia, Vvenceslaos è Boëmia, Leopoldos ex Austria, Stephanos ex Hungaria, Iosaphatos ex India, quos orbe toto dynastias atque toparchas possim arcessere: qui exemplo, qui armis, qui legibus, qui sollicitudine, qui sumptu, nostram Ecclesiam nutrierunt? Sic enim præcinit Isaias: *Erunt reges nutricii tui, & Regina nurrices tuæ.* Audi Elizabetha, Regina potentissima: tibi tantus Propheta canit, te tuas partes edocet. Narro tibi: Caluinum & hos Principes vnũ cælum capere non potest. His ergo te Principibus adiunge, dignam maioribus, dignam ingenio, dignam literis, dignam laudibus, dignam fortuna tua. Solùm hoc de te molior ego, & moliar, quicquid de me fiet, cui tâquã

Principes

vide sex. T. 6.
Sonn de
Saut

Isa. 49. v. 23

hosti capitis tui toties iā isti patibulum omni-
nantur. Salue bona crux. Veniet, Elizabetha,
dies ille, ille dies, qui tibi liquidò commo-
strabit, vtri te dilexerint, Societas I E S V, an
an Lutheri progenies. Pergo.

Nationes ad
Christum
eductae.

I. Cor. I. V. 13.

I. Reg. 5. v. 4.

Testes iam omnes oræ plagæque mundi,
quibus Euangelica tuba post Christum natū
insonuit. Parūne hoc fuit, Idolis ora clau-
dere, Dei regnum gentibus importare: Chri-
stum Lutherus, Catholici Christum loqui-
mur. Num diuisus est Christus? minimè. Aut
nos, aut ille falsum Christum loquimur:
Quid ergo? Dicam. Christus ille sit, & illo-
rum sit, quo Dagon inuēto ceruices frege-
rit. Noster Christus opera nostrorum vti vo-
luit, cum Ioues, Mercurios, Dianas. Phœba-
des, & illam noctem seculorum atram, Ere-
būque tristem, e tot populorum cordibus
relegaret. Non est otium longinqua perqui-
rere: Finitima tantū atque domestica spe-
culamur. Hiberni ex Patritio, Scoti ex Palla-
dio. Angli ex Augustino, Romæ sacratis, Ro-
ma missis, Romam venerantibus, fidem, aut
nullam, aut certè nostram, id est, Catholicam
insuxerunt. Res aperta. Curro.

Cumulus te-
stium.

Testes Academiæ, testes legum tabulæ, te-
stes vernaculi mores hominum, testes electio
Cæsarum & inauguratio, testes regum ritus &
inunctio, testes equitū ordines, ipsæque chla-
mydes, testes fenestæ, testes numi, testes vrba
næ portæ domūsque ciuicæ, testes auorum

fructus & vita, testes res omnes & reculæ,
nullam in orbe religionem nisi nostram, imis
vnquam radicibus infedisse.

Quæ mihi cum suppeterent, & certè sic af-
ficerent meditantem, vt his omnibus nunciū
remittere christianis, & confociari cum per-
ditissimis quibusque, videretur insolentis in-
fanix: non diffiteor, animatus sum & incen-
sus ad conflictum, in quo nisi Diui de cælo
deturbentur, & superbus Lucifer cælum re-
cuperet, cadere nunquam potero. Quo mihi
sit equior Chærcus, qui me tam immaniter
concepit, si hanc animulam peccatricem
quam tanto Christus emit, viæ tutæ, viæ cer-
tæ, viæ regiæ malui credere quàm Caluini sco-
pulis dum etiæ suspendere.

Ecc iij

CONFUTATIO RESPONSIO-
NIS VVHITAKERI.



VoD olim Garizitanis ac-
cidit, qui suum illud schif-
maticum templum coram
Ptolomæo rege defendere
voluerunt, idem tibi nunc
Vvhitakere, in re certè non
dissimili video accidisse. Andronicus enim
Iudæorum orator, vt Iosephus testis est, or-
sus ex lege approbare Hierosolymitani tem-
pli sanctitatem, ac religionem: ostendit per
continuas pontificum successiones sacerdo-
tij vsque in sua tempora propagationem, &
ab omnibus Asiæ regibus maiestatem eius lo-
ci honoratam donariis. Quæ cum essent cer-
tiora, quàm vt negari à Garizitanis possent,
quibus nulla pontificum successio, nullus ho-
nor à regibus olim habitus, nulla donaria
templo exhibitâ, nulla denique vel leuissima
antiquitatis monumenta suppetebant, facile
Ptolomæo Iudæi persuaserunt templum hier-
osolymitanum esse ex sententia Moysis con-
ditum, Garizitanum verò à schismaticis ex-
structum. Eandem contra vos disputandi ra-
tionem sequutus Campianus, innumera pe-
nè antiquitatis monimèta protulit, quæ sum-
mam Romanæ ecclesiæ apud omnes dignita-
tem semper fuisse demonstrarent. Tu verò
cum res maximè postularer, vt vel falsum di-

Ioseph. li. 13.
antiq. cap. 4

xisse Campianum ostende: es, vel Calvinianæ
vestræ Synagoge, si non expressam imaginem,
vmbra saltem aliquam aliquando extitisse
certis indiciis fidem faceres, tantum abest, vt
hoc præstes, vt nihil in responsione tua nisi
leuissimū, & quod vanum potius in scholis
rhetorum declamatorem, vel certè circumfo-
rancū pharmacopolâ, quàm theologum de-
ceat: vt mihi tuâ garrulitatem miranti in mē-
tem veniat suspicari, hanc te artem aliquan-
do exercuisse. Memini enim cum ante annos
aliquot in Academia Louanensi Theologiæ
operam darem, plurimique in Belgio circum-
foranei in foris omnibus cernerentur, mox
vbi euangelium vestrum spargi in vulgo cæ-
pit, repenti id genus hominum disparuisse.
Quod cum plerique initio mirarentur, non
prius mirari desierunt, quàm re conperta il-
los ex circumforaneis pharmacopolis in Cal-
uiniani euāgelii ministroseuassisse didicissent:
quàm artem priori sua non paulo quæstuo-
liorè tam sedulò exercuerunt, vt vix vnus aut
alter in ea prouincia circūforaneus visus fue-
rit, donec Albano duce ministros seuerius
catechizante, periculum metuentes ad pristi-
nâ artem vt tutiorem redierunt. Sed quis vel
modo sis, vel fueris aliquando nihil interest,
illud certè circumforaneum potius quàm theo-
logum decet, quod initio Camp. respondes.
*De secè nunc hauris multa Campiane, atque omnino
desperatissimum prodis egestatè, ac mendicitatè tuâ.*

Et rursus. *Miseret me profecto tui, pudetque vehe-*
menter, quem tanto conatu meras agere nugas video.
 Denique: *satin' hunc hominem sanum putemus,*
tam ineptē, tā alienē, tam pueriliter calorū inferiorū,
terrarū spacia dimētiētem, & sibi quæ placet, attri-
buentē, quæ nō placet abiudicantē. Indignus es Cam-
 pianus cui quisquā de istis somniis respōdet. *Vnā nega-*
tionis litura totum hoc caput deleri potuit. Quis ee
 hic tergiuersari non videat? cū Cāpiano ran-
 tam pro se testium nubem producenti, nihil
 aliud quam meras eum nugas agere respon-
 des. Hoccine est nugari V whitakere? Tem-
 pora omnia, loca, nationes omnes, regna,
 prouincias, episcoporum sedes, pontificum
 successiones, hostes ecclesie, turcas, hereticos,
 ethnicos, aliaque id genus animo & cogita-
 tione perlustrare, atque ex iis certissima fidei
 nostre argumenta depromere? Audes tamen
 Campianum ridere, *quod nunc in calum subuo-*
let, nunc in Tartara dilabatur, nunc Indeos, Ethni-
cos, Turcas inuisat, vt vndique fidei suæ ac re-
 ligionis, quam tu blasphemio ore supersti-
 tionem appellas, monumenta conquirit. In
 quo si quid risu dignum est, prophetā etiam
 rideas licet, eadem celeritate vniuersitatem
 hanc peragrantem, immo etiam in ipsis te-
 nebris clarissimam veritatis lucem ostenden-
 tem. Et Paulum à prophanis etiam poëris
 veritatis testimonium petentem, quale est
 illud τὸ γὰρ καὶ γένος ἑσμέν ipsius enim

Psal. 138.

Act. 17.

& genus sumus, aliaque nonnulla. Vel si ex
 iis rebus quas Campianus recensuit, nulla
 peti argumenta veritatis ac testimonia vis, ex
 quibus quæso petenda erunt: aut quæ tu certi-
 tiora, huiusque loci magis propria proferre
 potes? Et tamen quæ es impudentia, modo
 indigna esse omnia respōsione clamitas, mo-
 dō vna posse negationis litura deleri. Nimi-
 rum hæc tua esse respōsio solet, cum præter
 meras nugas nihil quod firmissimis argu-
 mentis respondeas habes, quod cum sæpe
 ante expertus sum, tum isto loco omnes cla-
 rissimè vident. Semitam ecclesie tam tritam,
 tamque egregiè complanatam fore ex pro-
 phetæ testimonio Campianus ostendit, vt
 quiuis eam etiam rudis ac imperitus, modò
 animū medio eri diligentia aduertat, minimo
 tenere negotio possit. Et erit, inquit Isaias, ibi
 semita & via, & via sancta vocabitur, non
 transibit per eam pollutus, & hæc erit vobis
 directa via, ita vt stulti non errent per eam.
 Hanc tu prophetæ prædictionem cum ne-
 gare non audeas, ridicula interpretatione
 eludere conaris. *Alitum,* inquis, *ad Christi ec-*
clesiam propheta describit, planam, & facilem, &
admodum expeditum: sed ista via ad vestrā ecclesiam
minimè perducit. Quo loco magna sanè igno-
 ratione prophetam ais viam in Christi eccle-
 siam describere, cum nō viam ille in ecclesiam,
 sed ecclesiam ipsam, quæ vnica in calū recta

Isaię 35.

Isa. 2. &
Mich. 4.

CONFVT. RESP.

via est, nobis ob oculos ponat, vt ex alio eiusdem propheta loco perspicuū euadit. Et erit in nouissimis diebus pręparatus mōs domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent, Venire, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius, quia de Syon exiit lex, & verbū Domini de Hierusalem. Quis hic non videt ecclesiam ipsam viam esse ac semitam qua in cælum tēdimus, illamque esse, in qua ne stultos quidem erraturos propheta prędixit: extra quam certè via nulla est, sed deuia atque inuia omnia: Hanc ergo viam quam tam tritam atque complanatam fore Isaias prędixit, quomodo tot anteaactis seculis, quotquot Christiano nomine censebantur, si vobis credimus, ignorarunt? Quomodo in qua ne stultos quidem erraturos aliquando idem propheta pręmonuit, eam tot viros sapientiæ laude præstantes tenere minimè potuisse contēditis? Tuum erat profectò Vhitakere, Gebennensem vestram ecclesiam, hanc esse semitam tritam & complanatam, de quo ille loquitur demonstrare. Verū cum hoc te minimè posse intelligas, prudenter sanè ne attingis quidem. Quomodo enim trita esset ac complanata via, quam nemo hactenus mortalium videre potuit, & in qua

WHITAKERI.

406

nullius ante Lutherum vestigia conspecta sunt? Miseros certè, amentes, suęque salutis pro rigos esse eos oportet, qui semitam hanc ecclesię adeo complanatam & omniū Christianarum gentium, vt Isaias prędixit, pedibus tritam deserunt, vt Caluini aut Beze deuia sequantur, qui deserto monte in vertice montium, in quo domus Domini ædificata est, vt omnium oculis parere possit, obscuras in tenebrosis vallibus caernas quærūt, qui Euāgelij lucem, non in candelabro, in quo eam Christus posuit, vt ab omnibus videri posset, totique ecclesię perpetuò luceret, sed cum Luthero, Caluino, aut Beza sub modio quærunt. Videamus tamen quo tu nobis argumento suadeas vt hanc viam tam tritam deseramus. Hanc, inquis, huiusmodi fore propheta prędixit, vt nullus in ea vel homo pollutus, vel leo, vel omnino fera truculent. reperiat: vestra autem via omnes & ab impurißimis hominibus, & à bestiis immansißimis obsidentur. Hęc si ita se habēt, vera esse ecclesia non potest, quę homines peccatis cōtaminatos pollutosque continet, nullamque in terris ecclesiam esse fatendum est: si enim dixerimus quoniā peccatum non habemus, inquit Ioannes, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Et quis non miretur, te tam repentè ex Caluiniano Donatianum euasisse? quam hæresim tuus quātus est est Augustinus tot libris tam accuratè con-

futauit. Immo quis sine risu legat quod in vestris synagogis non nisi sanctos, impollutos, & segregatos à peccatoribus inueniri scribis, qui eorum mores propius norit, qui quintum hoc euangelium, vel condiderunt, vel propagarunt, vel omnino sectantur. Sed ut prophetæ sententiam à qua tam longè aberras, paucis aperiã, non ille quidem de eorum vita & moribus qui in ecclesia sunt loquitur, sed ut patres intellexerunt, viã hanc ecclesiæ pollutis hominibus inaccessam esse ait, id est iis qui sacro baptisinate emundati non sunt. Nemini enim in ecclesiam aditus nisi per baptismum patet, quem quisquis ritè susceperit, absterfis peccatorum sordibus impollutus mundusque efficitur. Quod autem viam nostram ab impurissimis obsideri hominibus ais, ingenuè tibi apertèque respondeo, esse quidem in ecclesia multos, vitæ, licet non satis probatæ, non adeo tamen perditæ quàm tu fingis, multos nulla singulari morum sanctimonia conspicuos, omnes etiam qui sancti sunt, variis animi infirmitatibus obnoxios. Scimus tamen multos criminibus contaminatos, per pœnitentiam cum Deo in gratiam redire. Scimus & Christo docente audiendos esse, qui in vnitatis cathedra sedentes veram nobis fidei doctrinam proponunt, nihilque eorum improbos atque impuros mores illis nocere, qui improbitati minimè consentiunt. Sed vos qui estis qui iudicatis alienos seruos? & qui innocens est inter

vos, primus in nostros lapidè iactet. Peccat catholici in ecclesia. Scimus whitakere, & dolemus. Sed vel per Dei timorè, & salubrem pœnitentiã vitam in melius commutant, vel legû metu, & ecclesiastica disciplina ad officium coguntur, aut certè timidius malè agunt. Vobis verò, qui ex vestri etiã euãgelij lege ac instituto omnè timorè adeo abiicistis, vt ne tremendū quidè illū iudicij diè pertimescendum esse doceatis, qui pœnitentiã omnè, & corporis afflictionem, quam pro peccatis ecclesia catholica subeundam semper docuit, tanquam supersticiosam ridetis, qui vel sola baptismi recordatione omnia vobis peccata condonari creditis, immo verò, modò Caluini vestri fidem teneatis, nulla vobis facinora quantumuis horrenda imputari, qui Dei legè peccare prohibentem seruari ab hominibus nõ posse, neque vt seruetur datam esse qui humanas leges non propter cõscientiam vt Paulus ait, sed ob ciuilem tatum politiam seruandas, qui periisse è rebus humanis libertatem, & peccandi necessitatem hominibus esse impositã docetis: vobis, inquã, quibus hæc adeò persuasa sunt, quis Dei timor esse potest, quæ legum obediẽtia? quis de peccatis dolor? quare in vestris hominibus tantã videmus peccandi licentiã. tantum legû omnium diuinarũ humanarũq; contèptũ, vt qui vos penitè cognosceret, existimare facilè posset frõrem omnè atq; pudorè vobis periisse. Desine igitur in malis quorũdã catho. morib.

latebras quærere errori tuo : atque vt nihilo, quod absit, vobis meliores essemus, aliam tamen esse de fide ac religione, aliam de vita ac moribus quæstionem disce. Iam quid ad ea respondeas fidei nostræ argumenta, quæ Cæpianus protulit, expendamus. Eamus, inquit ille, in cælum & rosas & lilia cõtemplemur. Purpuratos nempe martyres, candidatos innocentia, Romanos, inquam, pontifices tres & triginta cõtinenter occisos, &c. Tu contra, Vereor, inquis, *ne vobis non liceat Iesuitis. Est enim Christianorum non Iesuitarum cælum.* In mentem venit quod eleganter olim à Seneca scriptum est. Male (inquit) de te loquuntur
 » homines, Sed mali. Mouerer si de me Marcus
 » Cato, si Lælius sapiens, si alter Cato, si duo
 » Scipiones ista loquerentur. Et nos, Vvhitakere, moueremur sanè, si tu vel Angelus, vel Propheta, vel Apostolus esses, sed cum nihil aliud quàm Guilielmus sis Vvhitakerus, nõ nemiũ profectò tua hac sententia cõmouemur.
 » Non enim vllam, vt idem ait, auctoritatem
 » habere sententia potest, vbi qui damnandus
 » est damnat, & vbi malè loquuntur, qui benè
 » nesciunt loqui. Quibusdam enim canibus sic
 » innatum est, vt non pro feritate, sed pro consuerudine latrent. Eadem deinde auctoritate addis. *In omni cælo nullum Papistam aspicias, cum agno enim nulli consistunt in monte quæ testis a nomine & char. Et re vult sunt.* Vacuum ergo cælũ christianis hæctenus fuit. Nulli enim qui in

Seneca, de
rem. fortui.

cælestes illas fedes migrarent vel Lutherani, vel Caluiniani in orbe fuerunt. Ac valdè profectò nobiscum miserè agitur, qui Britannia Vvhitakere incolimus, vt nihil de reliquo orbe christiano dicam. Nam si omnes illius insulæ partes, omnes angulos perlustres, & prisca illa tempora tecum reuoluas, quibus primum maiores nostri Christo nomina dederunt, quotquot catholici cõlebantur, eandè fidem coluerunt, quam ij quos tu nunc nouo nomine Papistas appellas. Ab iis Christo per Baptisma sunt geniti, ab iis fide ac religione imbuti, ab iis cælesti Eucharistiæ pabulo enutriti, ab iis ex hac vita migraturi, viatico salutis, & vnctionis extremæ sacramèto muniti : ab iis denique Christiano more factis in locis tandem sepulti, conquiescunt. Hos si è cælo omnes excluseris, nullos certè Britannos vsque ad Lutheri tempora cælum recepit. Expectandus nimirum erat Lutherus qui cælum & reliquo orbi christiano, & certè Britannis aperiret, quibus antea quia Lutherani non erant, clausum fuerat. Sed absit vt Deus frustra mortuus sit, absit vt Christi sanguis tam citò exaruerit, quin potius Vvhitakere, solus cum sua Borrha Martinus Lutherus ad inferos demergatur, quam vt tot Angliæ reges, tot reginæ, tot duces, tot comites, tot denique omnium ordinum præstantes viri sedibus illis cælestibus excludantur. Opera pretium est tamen audire quàm

firmis argumentis tu maioribus nostris cę-
lum occluseris. *Cum agno*, inquis, *nulli consistit*
in monte, qui bestię nomine & caractere inusti
sunt, aut aliquid cum Antichristo commercii ha-
bent. Semper hæc vobis bestia in ore est, vt
plurimū cum ea cōmercij habere vos credā,
& tamen dum quod hic obiicitis negamus,
petimusque à vobis, vt tantū rem ponderis
atque momenti, aliquo saltem argumento ve-
risimili probetis, ne sola autoritate vestra,
qua nihil non potestis, nos maioresque no-
stros cęlorum regno exclusisse videamini,
magis muti estis quàm bestię. Quid
enim nobis cum illa bestia commune vnquā
fuit? Nam qui nos, quod cum cathedra Pe-
tri communionē iungamur, bestię caracte-
re inustos mentiuntur, ipsis se bestiis min-
us habere iudicij ac rationis ostendunt. Cum
hac enim cathedra, quod supra satis probaui-
mus, non Antichristi mancipia, sed quicun-
que Christo hæcenus seruiuerunt, arctissimo
pacis vinculo coniuncti fuere. Ad vos quod
attinet, si vera sunt quæ de Antichristo ante
annos ferè mille quadringentos sanctissimus
martyr hippolytus scripsit, illius profecto
characterem geritis. Dabit enim, inquit ille,
characterem in dextra manu, & in fronte, ne
quis dextra sua pretiosam illam crucem pin-
gat in fronte. Et rursum: dicimus fortasse
scripturam illius sigilli esse *α. π. β. μ. η. γ.* id est,
nego. Hęc quam in vos apte conueniant, ne-
mo

Hippol. de
consum.
mun di-

mo est qui non videat. Etenim à signo crucis
non minus quàm dæmones ipsi abhorretis.
α. π. β. μ. η. γ. verò quàm sit vobis familiare, qui-
cunque vos norunt satis experti sunt. Quid
enim Calvinianis omnibus frequentius in
ore est, quàm si de scripturis agamus, *nego*
hunc librum esse in canone, si clarissima patrum
testimonia proferamus, *nego omnes patres*, si
apertissima conciliorum decreta, *nego omnia*
concilia, si totius Christiani populi consensio-
nem, *nego quidquid ante Lutherum Christiani cre-*
diderunt, nisi quantum ille probauerit. Si verò
dogmata vestra expendamus, mox illa occur-
runt. *Nego efficere Deum posse vt Christi corpus in*
Eucharistia præsens sit, nego septem sacramenta, ne-
go gratiam per sacramenta conferri, nego liberum
hominis arbitrium, nego bona opera, nego pro de-
Beza contra
Beatum.
sanctis orandum, nego Christum natum ex virgine,
nego ad inferos descendisse, nego sanctorum commu-
nionem, nego remissionem peccatorum. Denique
in vna, vt tuo verbo vtar, negationis litura
rota vestra religio consistit, neque vllavnuā
hæresis ex tam crebris conflata negationibus
extitit. Sed hæc res vtcumque se habeat, ne-
gari certè illud non potest, magnā vos apud
Antichristum gratiam merito iniuisse, qui
illius regnum quod semestri supra triennium
spatio prophetæ concluderant, mille quin-
gentis aut eo amplius annis apud omnes gen-
tes obtinuisse, & Christi etiam ipsius regnum
quod omnium regnorum inuictissimum fo-

San. 7. Apo
cal. 17.

re prædictum est in tenebras compulisse contenditis? donec vester ille Helias Germanicus, veluti Christo opem laturus, illud è tenebris in lucem reuocauit. Sed nimium tuis his nugis immoror, Romanos pontifices triginta tres continenter pro Christo occisos suæ fidei testes laudat Campianus: Tu verò, *sunt*, inquis, *in celo pontifices tres & triginta, & multo etiam plures, non dubito: verum existis triginta tribus vnum mihi nomina, si potes, tuum Campiane.* At ego omnes pro illo nomino. Quibus, inquires, testimoniis? Iisdem certe quibus tu eos homines aliquando fuisse, & pontifices Romanos, & quidem sanctos extitisse probabis. *Sed si illi, inquis, tres & triginta pontifices Romani sint in celo, uti proculdubio sunt, quam multos potui commemorare pontifices recentiores, qui esse vbi illi sunt nullo modo possunt, ita sunt illis omni modo dissimiles.* Desine quæso toties iactare quid possis, & aliquid tandem præsta. Vnum, inquam, ex recentioribus nomina, si potes, qui veteri religione deferra, quam primi illi tres & triginta professi sunt, noua dogmata in ecclesiam inuexerit. Id enim à te iam factum oportuit, si quam tibi fidem adhiberi voluisses. Sed nihil in te est præter Thraonicam illam iactantiam, qua pares ego tibi perpaucos, superiorem Vvhitakere noui neminem. Iam ad singulos à Campiano nominatos accedamus. Ignatius, inquit ille, noster est, qui in

rebus ecclesiæ neminem, ne regem quidem æquauit episcopo, qui traditiones quasdam apostolicas, quarum testis ipse fuerat, ne dilaberentur, scripto mandauit, Quo tu loco sanè tergiuerfandi libidinem prodis singularem. *Non est episcopo, (inquis) quisquam æquandus in iis rebus quæ ad episcopi munus pertinent. Is enim sacris præesse solus debet: id est populum docere, sacramenta celebrare, clauis regni cælestis tractare, ista summa sunt, & regiam etiam auctoritatem superant.* Hæc si ita episcoporum sunt, vt regum esse nullo modo possint, te in indice Vvhitakere caput esse regina ecclesiæ Anglicanæ non potest. Quale enim, quæso, caput est, quod earum quæ ecclesiæ propriæ sunt functionum exercere nullam potest? Neque enim docere, neque sacramenta celebrare, neque cælestis regni clauis tractare potest. Quid ergo reliquum est? Nihil profecto. Monstri igitur simile est quod fingitis. Addis verò: *Episcopis reges opibus, amplitudine, imperio, maiestate superiores esse.* Quis hoc ignorat? aut quid hoc ad rem de qua agitur pertinet? An quia in his omnibus superiores sunt, etiam in rebus ecclesiæ episcopis superiores erunt? *At possunt, inquis, reges episcopos officii sui admonere, sique deliquerint, coercere.* Admonere quidè officij quiuis potest, coercere verò, si minus officio rectè fungatur, nūquam profecto, Vvhitakere regij esse mune-

neris ostendes. Episcoporum enim hæc esse munera tu ipse professus es, populum docere, sacramenta administrare, ecclesiæ clauis tractare: quæ te etiam iudice authoritatem longè regiam superant. quomodo ergo episcopus, si praua doceat, à rege coercetur, cū nullam rex de doctrina iudicandi potestatem habeat? Hac enim qui præditus est, docendi quoque authoritatem habeat necesse est: qua si caruerit, quis eius iudicio parere uolet? Neque verò absurdius esse quidquam potest, quàm eos episcoporum iudices ac magistros facere, qui in fidei ac religionis mysteriis episcoporum esse discipuli debent. Tecum ergo, ut soles, hoc loco pugnas, cum & iudices episcoporum suo in munere reges facis, & tamen omnem illis docendi authoritatem adimis. Etenim si, quod fateris, docere Angliæ regina non potest, quo tandem modo diffidèrium in doctrinâ episcoporum iudex esse poterit? Quomodo ad illius tribunal causas omnes ecclesiasticas, quas antea Romanus pontifex definiebat, reuocatis? Quomodo denique caput eam esse ecclesiæ tanta religione asseritis, ut qui hoc negarit, grauioribus apud vos suppliciiis afficiatur, quam si Sacrosanctæ Trinitatis numen blasphemio ore violasset. At longe profecto aliter principes olim Christiani, qui tantum abest ut se episcoporum, in iis quæ ad eorum munus pertinent, iudices esse exi-

stimarint, ut immunes esse in ciuilibus etiam Cod. de sac-
causis à suis tribunalibus clericos vniuersos
ros sanct. &
Cod. de Ep.
& Cler.
C. de episc.
Audient. voluerint. Quod ex magni illius Constanti-
ni, Theodosij, aliorumque legibus, quas Ign. Epist.
ad Smyr-
nenses. hic commemorare nihil opus est, satis constat. Alterum quod ex Ignatio Campianus protulit illud erat, quod traditiones quasdam apostolicas, quarum ipse testis fuerat, ne dilaberentur, scripto mandauit. Cui tu ita respondes. *Traditiones apostolicas quas scripto mandauit Ignatius, si sint apostolicis scriptis conuenientes, suscipimus, si non sint repudiamus.* Acute sanè, quasi quæ cum scripturis pugnant apostolicis, traditiones esse apostolicæ possent, aut sanctissimus martyr Ignatius, si nihil præter scripturas recipiendum putasset, traditiones apostolicas, ne dilaberentur, literis commendare voluisset. Ignatium Telephorus Danaf. in a
ut Telef. sequitur, qui ieiunium quadragesimæ, inquit Campianus, sancitum ab apostolis obseruari seuerius iussit. *Nego, inquis, ab apostolis sancitum omnino fuisse ieiunium quadragesimæ, nego à Telephoro iussum seuerius obseruari.* Agnosco hic rursum Antichristi illum de quo hippolitus loquitur characterem ἀπὸ μὴν. Ego verò iis testibus probo, quos nemo, nisi tuè illius bestia characterè inustus, negare poterit, Augustino, inquam, Hieronymo Aug. lib. 30. Basilio, Ambrosio, Epiphania, Clemente, aliisque innumeris. Tu pro tuo

ἀπὸ τῶν μὲν vel vnum, si potes, testem profer. Nam quod de Clemente addis: *Illius constitutiones in quibus hoc perscribitur non habent satis magnum auctoritatis pondus.* Quid ergo apud te pondus aliquod auctoritatis habebit, si ne Petri quidem Apostoli discipulus habeat? Video tamen quid te hic tam difficilem, & Clemēti iniquum reddat. Nam si quam ille fidem meretur, de vestro certē quinto euangelio actum est. At fidem Clementi habuerunt Ignatius, Irenæus, Athanasius, Epiphanius, Basilus, Asterinus, Eutelius, Anastasius, Damascenus, Photius, Philastrius, vt alios taceam. Qua de re consule, si lubet, eruditam Turriani nostri in Clementis libros præfationem. Quod autem te mirari ais, si ieiunium hoc ab apostolis præscriptum fuit, deinceps fuisse intermissum, vt Thelesphoro opus esset seniores huius ieiunii obseruatione præcipere. Si ferid loqueris, nimis imprudens es rerumque humanarum inexpertus, qui nescis ita esse natura comparatum, vt leges quantumuis sanctæ temporis progressionem negligentius ab hominibus seruentur, & ni assidua pastorum diligentia occurrat, in oblivionem veniant. Sed hic denuo ad vestrum illud ἀπὸ τῶν μὲν conuolas. Illam, inquis, Thelesphori epistolam in qua de septem hebdomadarum ieiunio mandat, ranti æstimo, quam reliquis illis pontificum epistolas decretales, quæ non ab ipsis san-

Ætissimis episcopis conscriptæ, sed ab impudentissimis ecclesiæ Romanæ assentatoribus confictæ fuerunt. Conuitium hic non argumentum audio: pudebat te, credo, argumentis agere, quod, quæcunque contra has epistolas Magdeburgici tui excogitarunt, meras esse calumnias Franciscus Turrianus euicerit, ac sempiternum impostoribus illis silentium imposuerit. Irenæum non pateris nostrum esse, cum à successione cathedraque Romana, vt Campianus ait, fidem apostolicam declarauit. *Id, inquis, ille tum facere potuit, qui cum episcopatus successione Chrisma veritatis certum tenuerunt.* At supra satis ostendimus non Irenæum modo, sed & alios patres legitimam episcoporum Romanæ ecclesiæ successionem certissimi argumenti loco ad quatuor hæreses refellendas sumpsisse. Ad hanc enim ecclesiam, vt Irenæus, inquit, propter potentiorē principalitatem necesse est omnem conuenire ecclesiam. De Victore cum loqueris, singulari sanctissimum martyrem iniuria afficis, quam eo iniquiori animo ferro, quod huic nos pontifici acceptam Christi fidem Scoti debeamus. In vetustissimis enim annalibus nostris legimus Donaldum Scotorum regem anno circiter salutis ducentesimo Romam legatos ad Victorem ducentes misisse pontificem, vt ad se doctores mitteret, qui se gentemque suam sacris Christi

Tur. contra
Magdeb.

Iren. lib. 3.
cap. 5.

Veremundus
in ann.
Scotiac.

mysteriis initiarent. Hoc enim pontifice nos fidem suscepisse adeo nostræ omnes historiæ testantur, vt in omnium ore tritissimus illerithmus in hodiernum vsque diem versetur.

*Christi transfactis tribus annis atque ducentis
Scotia catholicam cepit habere fidem.*

Quod verò à Palladio fidem Scotos infuxisse scribit Campianus, ad Pelagianæ hæresæos tempora referri debet, à qua vt gentem nostram Cælestinus defenderet, sanctissimum ad nos Palladium episcopum misit. Nec verò segniori cura, inquit Prosper, ab hoc eodem morbo (de Pelagianæ hæresi loquitur) Britannias liberauit, quando quosdam inimicos gratiæ, solum suæ originis occupantes, etiam ab illo secreto exclusit Oceani, & ordinato Scotis episcopo Palladio dum Romanam insulam studet seruare catholicam, fecit etiam barbaram christianam. Orcadas enim insulas ad Christi fidem Palladius conuertit, & Pelagianam è Scotia hæresim expulit, quæ sæculis aliquot extincta, cum ab improbis quibusdam hominibus suscitaretur, non defuit rursus piæ Apostolicæ sedis cura ac diligentia. Ioannes enim qui Sencrino successit pontifici, cum adhuc esset electus in Pontificatum, literas, inquit Beda, Scotorum genti magnâ authoritate atque eruditione plenas direxit, quibus vt ab illa

Victor
Diet. lib. 6.

Prosper. cont.
collat.

Beda lib. 2.
cap. 2. hist.
Angl.

sibi peste, quam apud eos reuiuiscere didicerat, diligenter cauerent hortatur. Epistolæ principium est. Dilectissimis & sanctissimis Tomiano, Columbano, Chromano, Dimano, & Bagitano episcopis, Chromano, Hermianoque, Laustrano, Sullano, & Segiano, Presbyteris, Sarono cæterisque Doctoribus seu Abbatibus Scotis, Hilarius Archipresbyter, & seruans locum sanctæ sedis Apostolicæ, Ioannes Diaconus, & in Dei nomine electus. Item Ioannes primicerius, & seruans locum sanctæ sedis Apostolicæ, & Ioannes seruus Dei, consiliarius eiusdem Apostolicæ sedis, &c. Et paulò post exposita Paschalis obseruantia ratione, de Pelagianis ita viri sanctissimi scribunt. Et hoc quoque cognouimus, quod virus Pelagianæ hæreseos apud vos denuo reuiuiscit: quod omnino hortamur vt à vestris mentibus huiusmodi venenatum superstitionis facinus auferatur. Nam qualiter ipsa quoque execranda hæresis damnata est, latere vos non debet: quia non solum per istos ducentos annos abolita est, sed & quotidie à nobis perpetuo anathemate sepulta damnatur. Et hortamur ne quorum arma combusta sunt, apud vos eorum cineres suscitentur. Sed ad Victorem redeo, cuius supremâ in omnes ecclesias authoritatè agnitâ fuisse ostendit Camp. quod Asiam ille vniuer-

sam edicto coërcuerit. Tu voluisse quidem coërcere, sed non potuisse, respondes. Quando enim ecclesijs Asiaticis persuadere se non posse sensit, vt Pascha Romano more celebrarent, excommunicare simul omnes voluit, homo nimium iracundus. Hunc sese insolentius efferentem, suaque auctoritate non-nihil abluentem Irenæus repressit, ac coërcuit. Victoris factū Irenæo asperius visum fuisse quis negat? an non hoc ipsum Campianus palam faterur? Sed neque Irenæus, neque vllus sanè alius hanc Asianas ecclesias excommunicandi potestatem Victori negauit: quin potius cum in illo aliud nihil reprehenderent, quàm quod leuiori de causa quā par erat, in tot ecclesias tam grauitè animaduertisset, satis indicarunt profectò summā se illius in omnes ecclesias potestatem libenter agnouisse. Neque enim alioquin tam facti acerbitatem, quàm auctoritatis, qua carebat, vsurpationem improbassent. Erras igitur cum Victorem ab Irenæo coërcitum fuisse scribis, quem ab eo non nisi admonitum Eusebius testatur. Ille enim, vt & cæteri episcopi, pontificem hortatus est, ne tam facile tot populos maiorum præsertim traditionem conseruantes ab ecclesiastica communione separaret. Sic enim Hieronymus de Irenæo scribens: feruntur eius & aliæ ad Victorem episcopum Romanum de questione Paschæ epistolæ, in quibus commonet eum non facile debere vnitatem

collegij scindere. Probas deinde voluisse quidem Victorem Asiam decreto suo coërcere, sed non potuisse, quia lis de Paschate, adeo non potuit ab eo constitui, ac dirimi, vt ad Nicænum vsque concilium durauerit. Quæso te qui vis tam dialecticus videri, & Campiani collectiones tam acutè, vt tibi quidem videtur, obseruas, quæ est ista colligendi ratio? Lis de Paschate ad conciliū vsque Nicænum perdurauit, ergo Victoris decretum nihil potuit in coërcenda Asia Eodem enim argumento efficies ne decretum quidem Nicænx Synodi ad eam litem decidendam aliquid ponderis habuisse. Multos enim post illius concilij tempora decreto de paschate minimè paruissè palā est. Cuius rei ne longè exempla petamus, quæ domi gesta sunt, breuiter ascribam. Osualdus, inquit Beda, mox vbi regnū suscepit, desiderans totam cui præssè capit gentem, fidei Christianæ gratia imbui, cuius experimenta permaxima in expugnandis barbaris iam cœperat, misit ad maiores natu Scotorum, inter quos exultans ipse baptismatis sacramenta cum his qui secū erāt militibus cōsequutus erat, petēs vt sibi mitteretur antistes cuius doctrina ac ministerio gens quam regebat Anglorum, dominicæ fidei, & dona disceret, & susciperet sacramenta. Neque aliquanto tardius quod petebat impetrauit. Accepit namque Pontificem Aydanum summæ mansuetudinis &

Hieron. in
Catal.

Beda lib. 3.
hist. cap. 3.

pietatis, ac moderaminis virum, habentem-
que zelum Dei, quamuis non plenè secun-
dum scientiam. Nam diem Paschæ domi-
nicum more suæ gentis, cuius sæpius men-
tionem fecimus, à quartadecima Iuæ, vsque
ad vigesimam obseruare solebat. Hoc ete-
nim ordine septentrionalis Scotorum pro-
uincia, & omnis natio Pictorum, illo adhuc
tempore Paschæ Dominicam celebrabant,
æstimans se in hac obseruantia sancti ac lau-
de digni Patris Anatolij scripta sequutam.

Beda lib. 2.
cap. 19. Quin & Honorium Pontificem idem refert,
trecentis post Nicenum concilium annis,

literas genti Scotorum misisse, quos in ob-
seruatione sancti Paschæ errasse compere-
rat, solertèrque eos Pontifex hortatur: ne
paucitatem suam in extremis terræ finibus
constitutam, sapientiolem antiquis, siue
modernis, quæ per orbem erant Christi ec-
clesiis æstimarent: nè contra Paschales
computos, & decreta synodalia totius or-
bis, pontificumque, aliud Pascha celebra-
rent. Sed hi profectò aliique ne veritatem

Aug. hæref.
29.

Theod. li. 3.
hæf. fab.
Damaſc.
hæref. 50.
Soer. lib. 6.
cap. 20.

agnoscerent vel ignoratione impediti, vel
hæreticorum fraudibus decepti, vel certè
hæretici fuerunt: quorum illi hæreticorum
numero sunt ascribendi, qui Victoris decre-
to in Asia non paruèrunt. Nam & quarto-
decimanos Augustinus inter hæreticos nu-
merauit, & Theodoretus, & Damasenus,
& alij: quin & Chrysoſtomus eos non se-
cus quàm Nouatianos ecclesiis expellebar,

quod & Leontium Ancyre Episcopum fe-
cisse Socrates author est. Polycarpus, inquit
Campianus, noster est, qui super quæstione
Paschatis Romam adit. Quo tibi loco hoc
tantum quod responderes occurrit. *Nihil te scho-
la nostra mouet tam pueriliter σφιγεροντα?* quo
certè modo omnibus argumentis responde-
re per facile est. Ac nisi tu Sophista esses, non
dissimulasses Vhitakere quanti Polycarpus
apostolicæ sedis sententiam fecerit, quam vos
adeò contemnitis: qui cum Pium Põtificem,
eum qui postea obtinuit celebrandi Pascha-
tis ritum suo decreto confirmasse videret,
nec posse summi pastoris sententiã sine sce-
lere contemni, probè intelligeret propter hæc
de die Paschæ quæstionem Romam Hieron.
teste profectus est. defunctòq; iam Pio, cum
Aniceto colloquutus, ab eo impetrauit, vt
ecclesiis illis acceptum ab Ioanne Apostolo
morem retinere liceret. Neque credibile om-
nino est Polycarpum, non episcopum modo,
sed & Ioãnis Apostoli discipulum, ob huius-
modi causam Romanum pontificem aditu-
rum, nisi ad eam ecclesiam, propter poten-
tiorẽ principalitatem, omnem conuenire
ecclesiã esset necesse, vt ex Ireneo Polycarpi
discipulo supra retuli. Quod vt familiari ex-
emplo discas, quis non miraretur si Theodorus
Beza, Caluini præsertim apostoli discipulus,
deserta Gebennesi Synagoga in Angliam ve-
nirer quod tuã vhitakere sententiã, de graui
aliqua controuersia expectandam iudicaret.

Hieron. in
catal.

Iren. l. 3. c. 3.

Si verò tu Theodorum Bezam, ac Geben-
nensem excōmunicares ecclesiam, quis apud
te pro iis intercederet? immo quis tenō mo-
do iracundum, vt tu Victorem appellas, sed
& amentem, ac stultum non diceret? Rides
autem Campianum, quod ambustas Poly-
carpi reliquias Smyrnā collegisse scribat,
anniuersario die ritūque legitimo suum Epi-
scopum veneratam. *Reliquias*, inquis, *illius Ec-
clesia Smyrnenfis collegit, non vt coleret, sed vt*
conderet quemadmodum apud Eusebium eodem in
» loco legimus. Smrntnenis igitur ecclesiæ chri-
» stianos apud Eusebium loquentes audiamus.
» Inuidus, inquit, odiosus, & iustorum ho-
» minum generi semper infestus diabolus, cum
» martyrij eius amplitudinem (de Polycarpo
» loquitur) cūmque incorruptam & integram,
» vsque à teneris vnguiculis viuēdi rationem,
» immortalitatis corona remuneratam, eūmq;
» ipsum propterea stabili & certo præmio vitæ
» æternæ donatum cerneret, omni cura & co-
» gitatione eo incubuit, ne corpus eius à nobis
» inde, auferretur: idque ad eō cum permulti ex
» nostris permagna cupiditate ducerentur, &
» huius rei efficiendæ & sanctæ illibatæ carnis
» perfruendæ. Nam certi homines Nicetam pa-
» trem Herodis, Dalcæ fratrem submonebant,
» vt præsidem exoraret, ne corpus eius cuiquā
» daret, ne Christiani, inquit, crucifixo illo
» derelicto, hunc venerari incipiant. Atque hæc
» Iudæis submonentibus, obnixèque instanti-

Euseb. lib.
4. cap. 14.

bus aggressi sunt. Iudæi autem nos, quibus in
animo erat illum ex igne eximere accurate
obseruabant, at illud quidem miseri penitus
ignorabant, nimirum nos non aliquando in
animum posse inducere, vt vel Christum de-
feramus, qui pro salute omnium qui in toto
mundo salui sunt futuri, crucis tormēta per-
pessus sit, vel alium quempiam colamus, vt
Deū. Illum enim qui verè Dei filius est ado-
ramus, martyres autē vt discipulos & imita-
tores Domini, propter incredibilem eorum
beneduolentiam, quam in proprium regem &
magistrum declarauerunt, meritò amplexa-
mur. Quorum nos cum in pietate discipulos,
tum confortes in gloria fore optamus. Cen-
turio autem cūm videret Iudæos instare con-
tentius, corpus martyris in medio poni, & vt
gentium mos fert, igni comburi iubet. Sic
nos postea ossa eius, potiora lapillis pretio-
sis, auròque puriora, ex cineribus selecta
eo loco reposuimus qui illis erat decorus cō-
sentaneusq; vbi sanè nobis in vnum aliquan-
do coactis dominus præstabit, vt celebrem
eius martyrij diem instar natalis festi cum
exultatione & gaudio, quantum fieri potest
maximo recolamus. Idque cum ad martyru
memoriam, qui antea tale certamen confe-
cerunt, tum ad eorum exercitationem, men-
tisque ad talem cōstantiam præparationem,
qui postea Christum eo genere mortis inge-
nuè confessuri sunt. Profer nunc, si quid po-

Hier. con-
tra Vigil.

tes Vvhitakere, in quo ab historiarū fide Campianus discesserit. Quod & si non possis, rūperis tamen inuidia, in tanto martyrum reliquias honore apud Christianos haberi, in quo certè Iudæorum te, adeoque ipsius dæmonis imitatore præclarè ostendis. Doles nimirum cum sacrilego illo Dormitatio, martyrum reliquias pretioso operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel proiici in sterquilinum: nosque martyrum cultores quasi immānis sacrilegij reos agis. Sed idem tibi hoc loco, quod tuo olim Dormitatio Hieronymus, respondemus. Ergo sacrilegi sumus quando Apostolorum Basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus imperator qui sanctas reliquias Andreae, Lucae, & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij (Vvhitakeri) illorum se sentire præsentiam confitentur? Sacrilegus dicendus est & nunc Augustus Arcadius qui ossa beati Samueles longo post tempore de Iudæa transtulit in Thraciam. Omnes episcopi non solum sacrilegi, sed & fatui iudicandi, qui rem vilissimam & cineres dissolutos, in serico & vase aureo portauerunt. Stulti omnium ecclesiarū populi, qui occurrerunt sanctis reliquiis & tanta lætitia, quasi præsentem viuentemque prophetam cernerent, susceperunt: vt de Palestina vsque ad Calcedonem iungerentur populorum examina, & in Christi

Hier. con-
Vigilant.

Christi laudè vna voce resonarent? Videlicet adorabant Samuelem, & non Christum, cuius Samuel & leuita & propheta fuit. Ignorare certè non potes quanto in honore martyrum reliquias veteres Christiani semper habuerint, quas gemmis aut atque argento lapidibusque pretiosis certatim ornare consueuerunt, sanctissimaque martyrum pignora thesauri maximi loco perpetuo duxerunt, quorum exempla, vt Helena quondam, Pulcheria, Theodosii aliorumque, cum omnibus notissima sint, referre nihil opus est. Certè catholicorum omnium nomine hanc cum ad Marcellam scriberet. Hieronymus fidem profiteretur. Martyrum ubique sepulchra veneramur, & sanctam fauillam oculis apponentes, si liceat, etiam ore contingimus. Tibi hæc Vvhitakere, ac tuis superstitiosa videntur, at priscis illis Christianis, nihilo minus vobis religiosis, nequaquam. Nec mirum, cum tot illi miraculis martyrum cultum deo esse, quam gratissimum tam sepe experti sint. restè si requiris, tuum tibi quātus quātus est Aug. profero. Ad aquas, inquit, Tibilitanas episcopo afferente Proiecto reliquias martyris gloriosissimi Stephani ad eius memoriam veniebat magnæ multitudinis concursus & occursum, ibi cæca mulier vt ad episcopum portante pignora sacra duceretur orauit, flores quos ferebat dedit, & recepit, oculis admonit, protinus vidit, stupetibus cunctis qui aderat: præ-

Aug. lib. 22.
de ciuit.
cap. 8.

Lib. 9.
Confess.
cap. 7.

CONFVT. RESP.

bat exultans, viam carpens, & viæ ducem
vltcrius nõ requirens. Et alio loco. tunc me-
morato Antistiti tuo, de Ambrosio loquitur,
per visum aperuisti quo loco laterent marty-
rũ corpora Protasij & Geruasij, quæ per tot
annos incorrupta in thesauro secreti tui re-
cõdideras, vnde oportunè promeres ad coer-
cendam rabiem fœmineam, sed regiam. Cũ
enim propalata & effossa digno cum hõno-
re transferrentur ad Ambrosianam basilicam,
non solum quos immundi vexabant spiritus,
confessis iisdem dæmonibus, sanabantur, ve-
rũ etiam quidam plures annos cæcus ciuis, ci-
uitatiq; notissimus, cum populi tumultuã-
tis lætitię causam quæsisset atque audisset, exi-
liuit, eoque se vt duceret, suũ ducẽ rogauit:
quo perductus, impetrauit admitti, vt suda-
rio tangeret feretrum pretiosẽ in conspectu
tuo mortis sanctorum tuorũ. Quod vbi fecit
atque admouit oculis, confestim aperti sunt,
&c. Ac ne plures hic testes commemorem,
quam frequentia olim ad memorias martyru
miracula fierent, quæ à prudentio viro cõsu-
lari in honorẽ Hemiterij & Chelidonij His-
paniæ martyrum scripta sunt fidem abunde
facient.

*Hic caletres hausit undas eade tinctus duplici
Illitas cruore sancto nunc arenas incolæ
Confrequentant, obsecrantes voce, votis, munere,
Exteri, nec non & orbis, huc colonis aduenit,
Fama nam terras in omnes præcucurrit proditrix,*

WHITAKERI.

418

*Hic patronos esse mundi, quod precantes ambiat.
Nemo prius hic rogando frustra congestit preces
Lætus hinc tersis reuertit supplicator fletibus,
Omne quod iustum poposcit impetratum sentiens,
Tanta pro nostris periculis cura suffragantum est.
Non sinant inane vt vllus voce murmur fuderit,
Audiunt, statimque ad aurem regis æterni ferunt,
Inde larga fonte ab ipso dona terris influunt,
Supplicum causas petitisque medelis irrigant.
Nil suis bonis negavit Christus vnquam testibus.*

Hæc atque huiusmodi alia in martyrum
gratiam collata diuinitus humano generi be-
neficia haud exiguum nobis fidei argumen-
tum suppeditat, dum eum esse verum Deum
demonstrant, cui martyres se uerunt, eaq; ue-
ram religionem pro qua illi mortem op-
petiuerat, vt fusè Theodoretus contra ethni-
cos ostendit. Quomodo enim ad martyru se-
pulchra miracula fierent, nisi quem marty-
res in vita coluerunt verus Deus miraculo-
rum omnium atque bonorum author esset?
Et vos qui omnem martyrum memoriam,
ex animis hominum pro vitibus delere stu-
detis, quomodo non maximis celeris rei estis,
dum & tam illustri nos fidei professione, &
tam firmo aduersus infideles omnes argumẽ-
to impiè atque sacrilegè spoliatis? Argutè ta-
men nos perstringere tibi videris, dum mar-
tyrum nos reliquias, non condere modo ve-
ru etiam colere ais, vt olim Vigilantius hereti-
cus sui temporis christianis obiecit, cui quod

Theod. lib.
8. de cur.
græc. affect.

Hier in
epist ad Ri-
par.

tū pro catholicis grauiter & eruditē hieron. respondit, idem tibi à nobis responsum puta. Ais Vigilantium, inquit, os fœtidum aperire contra sanctorū reliquias, & nos qui eas suscipimus appellare cinerarios & idololatrias, qui mortuorum hominū ossa veneremur. O infœlicem hominem! qui cum hæc dicit, non intelligit se esse Iudæum, atque Samaritanū, qui corpora mortuorum pro immundis habet. Nos autem nullam creaturā adoramus, honoramus autem reliquias martyrum, ut eum cuius sunt martyres adoremus, honoramus seruos, ut honor seruorum redundet ad dominum, qui ait, Qui vos suscipit, me suscipit. Et paulō post: Ergo Petri & Pauli immundæ sunt reliquię, ergo & Moysis corpus immundum est, quod iuxta hebraicam veritatem ab ipso sepultum est domino: & quoties martyrum Basilicas ingredimur, toties idolorum tēpla veneramur, accensique ante rumulos eorū cerei idololatrię insignia sunt. Plus aliquid dicā, quod redundet in Authoris caput, & insanum cerebrum vel sanet aliquando, vel debeat, ne tantis sacrilegiis simpliciū animæ subuertantur. Ergo & domini corpus in sepulchro positum immundum fuit, & angeli qui candidis vestibus utebantur mortuo cadaueri atque polluto præbebant excubias, ut post multa secula dormitātius somniaret, immo eructaret immundissimā crapulam, & cum Iuliano persecutore

sanctorum basilicas aut destrueret, aut in tēpla conuerteret. Queris deinceps cur nostrū esse Cornelium, cur Cypr. dicat Camp. & quam ille rationem breuiter indicauit, quia refellere non potes, rides pro tua consuetudine. Ambo magni præfules, inquit Campianus. Maior ille, qui Romanus Africanum errorem resciderat, hic nobilitatus est obseruātia, qua maiore est prosequutus amicissimū suū pro tuo acuminē: *O mirificam*, inquis. *Leſuit. vñ di. alēticam. Quis non huiusmodi argumētis incredibiliter moueatur?* Immo verò ò mirificam Vvhitakeri stultitiā: quis nō audita huiusmodi direſpōſione adeo tibi familiari stomachetur? Quis enim non videt summam in omnes ecclesias romani pontificis auctoritatem ex eo demonstrari, quod Africanum ille errorem resciderit, licet non Africanus, sed Romanus esset episcopus? Quis obseruantiam erga illum Cypriani maximam, quia in Petri cathedra sedebat, eiusdem rei argumentum esse firmissimū nescit? Factus est, inquit, Cornelius episcopus de Dei & Christi eius iudicio &c. Cum Fabiani locus, id est cum locus Petri, & gradus cathedræ sacerdotalis vacaret: quo occupato dei voluntate, atque omnium nostrorum consensione firmato, quisquis iā episcopus fieri voluerit, foras fiat necesse est. Nec minori Stephanū pontificem obseruantia coluit, ab ipso licet sententia alienū. Ad duci enim omnino non potuit ut à cathedræ

Cypr. in
epist ad Ma-
gnū.

Petri, in qua Stephanus sedebat, cōmunionē discederet. Stephanus, inquit Aug. abstinendos putauerat qui de suscipiēdis hereticis prifcam consuetudinem conuellere conarentur. Ite autem quæstionis ipsius difficultate permotus, & sanctis charitatis visceribus largissimè præditus, in vnitatē eis manendum, qui diuersa sentirent. Ita quamuis commotus, sed tamen fraterne indignetur, vicit tamē pax Christi in cordibus eorum, vt in tali discrepatione nullū inter eos malū schismatis oriretur. Noster Sixtus, inquit Camp. cui ad aram solennibus sacris operati ministrarunt è clero septemuiri: Quæ tu præclare, vt omnia, interpretaris. *Sixto cœnam dominicam procuranti septē diaconi inservierunt.* At qui de Sixto veteres loquuntur, nullū de profana vestra cœna, nullum de mensa vestra erratica, nullū de procurante ministro verbum faciunt: sacerdotem, aram, sacrificium, diaconum, & leuitam crebrò repetunt. Quæ catholicorum, non Calvinianorum verba sunt.

Sic enim Prudentius,

Hic primus è septem viris

Qui stant ad aram proximi

Leuita sublimis gradu

Et cæteris præstantior

Et paulò post: Laurentium diaconum tyrannus sic alloquitur.

Hunc esse vestris Origis

Moremque & artem præditum est,

Hanc disciplinam saderis,

Libent vt astro antistites,

Argenteis cyphis ferunt

Fumare sacrum sanguinem.

Et illa apud Ambrosij Laurentij Sixti diaconi Amb. lib. 1. off. cap. 4. Quo progredieris sine filio pater? quo sacerdos sancte sine diacono properas? Tu nunquā sacrificium sine ministro offerre consueueras. Vos quidem Vvhitakere, neque sacrificiū, neque aram, quibus ad cœnā procurandam (vt tu loqueris) procuratore tantū opus est, qui ne panis desit, ac vinū diligēter curet. Sixtus certè non procurator, sed Sacerdos fuit, & propriū noui testamēti sacrificium obtulit, quod ne Laurentius quidem, primus licet inter diaconos offerre poterat. Iāne vides Vvhitakere Sixtum Romanū pontificem, Sacerdotē, diaconis astantibus in altari sacrificantē corpus & sanguinem Christi nostrū esse, Calvinianū esse nō posse? Nec minus noster est Laur. Sixti diaconus, quem de vestris fastis eiectū Camp. obseruat. Quod tu dissimulas quidem, sed negare non audes. Nos, inquis, illum vt sanctum, & Christi amicum religiosa memoria prosequimur, non vt Deum veneramus. Cur ergo è fastis vestris eiecistis? Hoc cōtine est religiosa illum memoria prosequi? an potius omnem illius recordationem ex animis hominū sempiterna oblivione delere? Longè profecto aliter Prudentius, qui & inuictā martyris constantiam, ne vlla vnquā ætas illius laudes conticesceret, ele

ganti carmine ad posteros trāsmisit, & quod
peius te habet, fortissimum Christi martyre
supplex orauit. Itaque respondes: *Da Poeta
Campiane vt apostrophis poeticis interdum utatur,
& quibus nihil ad firmum argumentum suppeditatur.*
Næ ista tua responsio nimis poetica est, & à
Prudentij mente prorsus aliena, qui absit vt
in rebus tam grauibus ac religiosis quod cum
ipsa pugnaret religione quicquam per figu-
ras poeticas admiscuerit. Hoc non Pruden-
tij, sed Bezæ tui ingenium est. Qui res sacras
ita versibus expressit, vt non tam christianum
poëtam, quàm Catullum aliquem aut Pro-
pertium referat. Si exemplum requiris, en tibi
quibus ille versibus hominum animos ad
pœnitentiam, & lachrymas præparauit, cum
psalmum illum, *Miserere mei Deus*, doloris
ac pœnitentiæ plenum carmine esset reddi-
turus. Sic Bersabeen describit.

*Miratus patula radiantem frontis honorem.
Purpureasq; genas, pulchri & discrimina nasi,
Os roseum, & flauos per eburnea colla capillos
Marmoreumq; sinum, porrectaq; brachia longè,
Et teretes digitos. Et paulò pòst:
Illa illum sensit venientem, & lata recepto
Hospite, nil præter Veneris iam cogitat artes.
Omnibus arridet pulchræ sibi consèia formæ,
Nunc finit extrema crispanti frons capillos
Ludere, nunc varia discriminat arte vagantes.
Iam celare sinum simulat, mammæsq; coerces.
cætera pudor adscribere prohibet. Sed vt ad*

Prudentium redeam, quam ille non poëticè,
sed ex animo, longèque alio quam Beza men-
tis affectu hæc scripserit, satis ipse toto suo
opere declarat, siue per apostrophen marty-
res inuocet, siue absque vlla figura, quod res
est apertè pronúciat. Apostrophe est ad Vin-
centium martyrem

Adesto nunc & percipe,
Voces precantum supplices,
Nostri reatus efficax,
Orator ad thronum patris.
Per te, per illum carcerem,
Honoris augmentum tui,
Per vincla, flammas, vngulas,
Per carceralem stipitem,
Per fragmen illud testium,
Quo parta creuit gloria,
Per quem trementes posteri
Exosculamur lectulum.

Miserere nostrarum precum,
Placatus vt Christus suis
Inclinet aurem prosperam,
Noxas nec omnes imputet
Si ritè solemnem diem,
Veneramur ore, & pectore,
Si sub tuorum gaudio
Vestigiorum sternimur.
Paulisper huc tu illabere
Christi fauorem deferens,
Sensus grauari vt sentiant,
Leuamen indulgentiæ, &c.

Sed hæc apostrophe quid aliud exprimit, quam quod idem de Himiterio & Chelidonio sine apostrophe quod supra citauī scripsit & quæ de Cypriano.

Nec minus inuoluita terris, nec ab hæc recedit orbe

Differit, eloquitur, tractat, docet, instruit, prophetat.

Nec Lybiae populos tantum regit, ex usque in ortum

Solis, & usque obitum, Gallos fouet, imbuat BRITANNOS,

Præsidet Hesperia Christum seruit ultimis Hyberis.

Denique doctor humi est, idem quoque martyr in supernis

Instruit hic homines, illinc pia dona dat patronus, &c.

Nulla hic apostrophe Vvhitakere, nulla figura, quæ poëticam tuam responsionem verisimilem faciat. Itaque alio te vertis. *Si fuit Prudentius paulo plus quam debuit superstitiosus, nostra quid refert? Hoc est nimirum ingenuè respondere, Prudentium, & totam cum illo veterem ecclesiam superstitionis damnare, neque aliud vos facere contendimus. Ad virgines pergit Campianus, quæ decretam pudicitiam aduersus hominum, & dæmonum tyrannidem firmauerunt. Quid, inquis, istæ fecerunt ut nostræ esse non possint? Dicam vno verbo Vvhitakere, Virginitatem matrimonio*

ex Christi & Apostolorum doctrina prauulerunt, hanc Deo singulari religione vouerunt, hanc semel votam tam constanter reddiderunt, vt nulla non supplicia perferre, quam nuptias experiri maluerint. Vos contraria omnia & facitis, & docetis. Nostra Helena inquit Campianus, quam dominicæ crucis inuentio celebravit, respondes: *Quæ apud Ambrosium de Helena leguntur ea suspecta admodum sunt: Calvinianis quidem & Magdeburgicis suspecta, sed Ambrosio & catholicis omnibus certissima sunt. Neque tu cur hæc referenti Ambrosio tórque aliis patribus minime credamus argumentum vel leuissimum affers. Nam quod Gelasium ais. Quæ de crucis inuentione ferebantur nouellas reuelationes appelle. Nihil ad Ambrosij reliquorumue patrû scripta pertinet, sed ad alia quædam obscura atq; anonyma, quæ tamen nõ vt falsa aut superstitiosa damnat pontifex, sed cum iudicio & examine legenda monet. Item scripta, inquit, de inuentione sanctæ crucis dominicæ, & alia scripta de inuentione capitis B. Ioannis Baptistæ, nouellæ quidem reuelationes sunt, & nonnulli eas catholici legunt, sed cû hæc ad catholicorum manus peruenerint, B. Pauli sententia præcedat: omnia probate, quod bonum est tenete. Addis vero, Helena crucem inuenit, Esto: non enim magni interest. Num autem ador.uit? Id enim ad causam pertinet. Ambrosium audi. Inuenit titulum, regem adorauit,*

Ambr. orat. de obitu Theod. Centuria 3. cap. 13.

Distinct. 13. c. Sancta Roman.

r. Thef. 5.

non lignum vtrique quia hic gentilis est error & vanitas impiorum. *Quamquam ergo crucem inuenit, non tamen vestra fuit, quia crucem vobiscum minime adorauit.* Noli quæso, whitakere, quod non intelligis tam temere reprehendere. Non enim catholici ita crucem adorant, vt crucem Deum putent, quemadmodum fingitis, vt nobis apud populū inuidiam cōstetis. Quod vt breuiter explicem. Adorare propriè nihil est aliud, quàm exhibito hōnoris ac reuerentiæ signo, quam de aliquo opinionem excellentiæ animo inclusam habemus, proderè ac profiteri: Ex quo illud efficitur, ea demum propriè ac propter se adorari, in quibus ea excellentia cernitur, cui adoratio meritò debeat. Quamobrem cum aliam esse diuini numinis excellentiam, aliam verò sanctorū hominum qui illi in hac vita laudabiliter seruiuerunt sciamus, longè alium Deo, quàm sanctis adorationis cultum exhibemus. Diuino enim numini supremum honorem, tanquam rerum omniū opifici, bonorumq; omnium fonti, deferimus, quæ Græci *λατρεία* vocant. Estque hic honor, vt Augustinus ait, quædam propriæ diuinitati debita seruitus. Sanctos autem tanquam Dei amicos colimus tantum, & obseruamus. Iam verò cum crucem exosculamur, aut coram ea prosterminur, non hoc agimus vt diuinitatem illi aut excellentiam inesse aliquam profiteamur,

qua in re *εἰδωλολατρεία* cōsistit, sed vt excellentiæ opinionem quātam possumus maximam Christo qui cruci affixus est conciliemus. Ex quo fit vt alio sensu crucem, alio Christum ipsum adorare dicamur. Christum enim adorantes eam quæ in ipso est diuinitatis excellentiā profiteamur, crucem non aliter adoramus quàm quia circa eam, honoris significationem actione aliqua exhibemus, qua hanc eandem Christi excellentiam profiteamur. Quis vero nō intelligit ea quæ sic adorantur, non tam ipsa per se, quàm in ipsis prototypa adorari? Quis eos qui hoc sensu crucem adorant ab omni idololatriæ suspitione longissimè abesse non videat? Nam & antiquus ille populus Iudæorum testamenti arcam summo in honore habuit, atque si vobis credimus, etiam adorauit. Sic enim illud psalmi 98. exponitis: adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est, vt per pedum scabellum arcam intelligatis, quam sine vlla idololatriæ suspitione Iudæos adorasse conceditis, quod in arca deum honorarent. Eleganter sanè Leontius quondam Episcopus Neapoleos Cypri: Quemadmodum Iacob

Leontius
lib. 5 Apo-
logiæ pro
Christ. contra
Iud.

accipiens à filiis suis vestem sanguine conspersam Ioseph, cum lachrymis eam osculatus est, suisque oculis circumposuit, non ipsam vestem diligendo aut honorando hoc fecit, sed per eam arbitratus est se Ioseph

osculari & habere in manibus: sic christiani omnes imaginem Christi aut Apostoli, aut martyris in manibus tenentes, nostraque carne osculantes animo videmur nobis ipsum Christum aut martyre amplecti. Et de Paula Hieronymus: Prostrata ante crucem quasi pendentem Dominum cerneret, adorauit. & Ambrosius: Sapienter Helena egit quae crucem in capite regum leuauit & locauit, ut crux Christi in regibus adoretur. Non insolentia ista sed pietas est, cum defertur sacrae redemptioni. Et paulo post: Ecce & clauus in honore est, & quem ad mortem impressimus remedium salutis est, atque inuisibili quadam potestate daemones torquet. Et Ruffin. de Helena scribens, ligni vero, ipsius salutaris partem detulit filio, partem vero thecis argenteis conditam dereliquit in loco: quae etiam nunc ad memoriae sollicita ueneratione seruuatur. Paulinus quoque eadem de re. Ergo crux Domini, inquit, tot opera aetatibus, & Iudeis in tempore passionis abscondita, neque gentibus in aedificatione fani terram sine dubio ad ipsam fabricam egerentibus reuelata est: nonne diuina manu latuit ut tunc inueniretur, cum religiose quaereretur? Ita, ut crucem Christi decuit, experimento resurrectionis inuenta & probata crux Christi est, dignoque mox ambitu consecratur, condita in passionis loco basilica quae aetatis corusca

Hier. in epi
taph. Paul.
ad Eustoch.
Ambr. de
obitu Theo
dof.

Ruffin. l. 10.
cap. 8.

Paulinus
epist. 11.

laquearibus, & aureis diues altaribus, arcano positam sacratio crucem seruat: quam episcopus eius quotannis cum Pascha Domini agitur adorandam populo princeps ipse uenerantium promit. Et Sedulius Scotus qui sub Theodosio floruit Imperatore.

*Protinus in patuli suspensus culmine ligni,
Religione pia mutans discriminis iram,
Pax crucis ipse fuit, violentaque robor a mem-
bris*

*Illustrans propriis, paenam uel finit honore:
Suppliciumque dedit signum magis esse salutis,
Ipsaque sanctificans in se tormenta beaui.
Neue quis ignoret speciem crucis esse colendam,
Qua dominum portauit onans ratione potenti,
Quatuor inde plagas, quadrati colligit orbis.*

Hinc Chrysostomus. Hoc lignum, inquit, in quo positum sanctum corpus Domini, & crucifixum est, totus orbis habere contendit, ut qui paruum quiddam ex illa habent, hoc auro includant, tam uiri quam mulieres, & ceruicibus suis aptant, hinc ualde honestari, & magnifici, muniti, & protecti, licet condemnationis fuerit lignum. Plura hic non commemorabo, cum uel ista abunde sufficiant ut ab omnibus semper christianis adoraram fuisse crucem intelligas. Uhitakere, qui tamen ab omni idololatriae crimine longissime certe absuerunt. Intelligebant enim in cruce Christum ipsum adorari, ut & ho-

Sedul. in car.
Pasch.

Chryf. hom.
quod Chri-
stus sit deus

not imaginis in prototypum redundat. Nam
 Syn. 7. act. vt eleganter septimæ Synodi patres: Cum
 „ imagines colimus, non in materia, aut in co-
 „ loribus, honorem constituimus, sed per hoc
 „ officium nostrū, quod ipsis, quorum typum
 „ imagines gestant, debemus, impartimur, cum
 „ sciamus secundum Basili magni senten-
 „ tiam, quod imagini honor exhibitus ad
 „ ipsum prototypum referatur. Neque maio-
 rem hæc res obscuritatem habet, quàm si à
 vobis quis peteret cur absente etiam regina
 illius cathedram honoretis. Adeone cruce ini-
 qui estis, vt plus suæ reginam cathedræ, quia
 in ea sedet aliquando, quàm Christum suæ
 cruce quam proprio sanguine sacrauit, digni-
 tatis tribuisse existimetis? aut in cathedra re-
 ginam honorari, in cruce Christum adorari
 non posse putatis? Sed Ambrosius inquis,
 Helenam ait regem adorasse, non lignum. At
 causam quam addidit non attendis. quia (in-
 quit) hic gentilis est error, & vanitas im-
 piorum. Neque enim gentilium more Hele-
 na lignum adorauit, neque nos hodie ado-
 ramus, sed eum in ligno adoramus, qui in li-
 gno pro nobis pepedit. Vt enim gentiles ido-
 lolatræ lapides ac ligna pro diis habere, ac di-
 uinis ea honoribus prosequi consueuerunt,
 sic christianos non alia crucem ratione ado-
 rare putarunt, quàm suum ipsi Iouem aut Mer-
 curium adorabant, quod illa Tertulliani ver-
 ba satis ostendunt. Sed & qui crucis nos reli-
 giosos

giosos putat, confectaneus noster erit, cum
 lignum aliquod propitiatur. Et illæ apud
 Arnobium minæ gentilium. Ecce vobis sup-
 plicia, tormenta, & iam non adorandæ, sed
 subeundæ cruces. Qui sanè gentilium error
 non aliunde est ortus, quàm quod ab illius
 ætatis Christianis eodem in honore crucem
 haberi cernerent, in quo & hodierna die à
 nobis habetur. Nondum enim nati erant
 Calviniani, qui si ea ætate vixissent, nullam
 profecto huius calumniæ vel leuissimam sus-
 picionem gentilibus vnquam dedisset. Quis
 enim credidisset crucem eos adorare, qui ne
 crucis quidem conspectum ferunt, qui cru-
 ces quascunque possunt vlticibus flammis
 absumunt? Eo enim impietatis tandem estis
 progressi, cum parens ipse vester Lutherus
 nihil aliud initio improbarit, quàm quod
 crucis particulas catholici tanta vi auriatque
 argenti, tot gemmis vndique exornarent. Ve-
 rum impias Apostatæ fraudes Martyr Mo-
 rus, qui viuus, & vita functus Britannia no-
 stræ decus est & ornamentum singulare, &
 eruditè refutauit, & festinè profecto risit.
 Nostra Monica, inquit Campianus, quæ mo-
 riens orari, & sacrificari pro se mortua ad
 altare Christi religiosissime flagitauit. Tu ve-
 rò, Id, inquis, *Monica minime flagitauit, vt Mis-
 sa sacrificium pro ipsa fieret, quo peccata delerentur
 atque expiarentur. Neque hoc modo vel orauit
 pro Monica, vel sacrificauit Augustinus, Quid*

Arnob. lib.
 8. contra
 gentes.

Aug. lib. 9.
cap. 12.
confels.

Ibid. cap. 13.

ergo Vvhitakere flagitauit? *Id tantum*, inquis, *petiit vt inter Eucharistian celebrandam assidua quaedam commemoratio, sui que mentio fieret, quia se vnam esse ex illa caelesti ac diuina sanctorum societate non dubitauit.* Num tu nobis certius quid illa petierit, quã ille ipse à quo petiit filius indicabis? Illam igitur, si placet, audiamus. Cum ecce corpus clarum est, imus, & redimus, sine lachrymis. Nam neque in iis precibus quas tibi sudimus, cum offerretur pro ea sacrificium pretij nostri, iam iuxta sepulchrum posito cadauere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet. Nec in iis precibus ego fleui, sed toto die grauiter in occulto mœtus eram &c. Vbi quis non intelligit illud à filio factum quod mater adhuc viua his verbis postulauit? Non ista mandauit nobis, sed tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desiderauit, cui nullius diei pretermissione seruierat: vnde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum quod erat contrarium nobis. Nihil ergo apertius, quàm quod Campianus scribit, flagitasse Monicam, vt pro ea corporis & sanguinis Christi sacrificium offerretur. Quod enim aliud est, vel esse potest pretij nostri sacrificiũ, vel quæ alia victima, qua deletum est Chirographum quod erat contrarium nobis? Neque est responsione tua quicquam ineptius. Nam si nihil aliud quam quod tu dicis Monica postulauit?

quorsum pro ea Augustinus vel ipse orauit, vel sacrificium offerri procurauit? Vetera hic tibi subterfugia repetenda sunt. *Orauit*, inquis, *Augustinus pro matre, non nego.* Hoc tamen petiuisse matrem impudentissimè negas. Negare verò non potes communem fuisse tunc Christianorum morem, pro vita functis Deo preces fundere. Itaque veterem hic nobis cantilenam occinis. *Mos hic preces pro mortuis faciendi, qui multis in locis inualuit, non à verbi auctoritate fluxit, sed à summo quodam eorum qui vixerunt, in suos amore, nimique pietate.* De verbi auctoritate satis me arbitror supra dixisse, neque tu idoneus esse iudex potes, qui quasi de sublimi loco in totum orbem sententiam feras. Sed nostram esse Monicã, nostrum Augustinum ob eas quas Campianus retulit causas contēdo. Alio igitur te vertis. *Id quidem constat*, inquis, *quam parum crediderit Augustinus, esse in pureatorio matrem, vt ipsius precibus admodũ possit subleuari.* Sic enim ait. **Dimitte domine, dimitte obsecro, ne intres cum ea in iudicium, & credo quod iam feceris quod te rogo, sed volũtaria oris mei approba domine.** Ridiculè profectò. Nō enim dubitauit Augustinus num viuorum preces defunctis prodesse, sed num ipsius precibus, cum hæc multis post annis scriberet, adhuc mater egeret, an potius à peccatis iam purgata in cælum euolasset: quod Num sperare iubebat, & vita illius sanctissimè acta, &

Aug. lib. 9:
confel. c. 13

mors tali vita digna subsequuta. Sed quia seueritatem diuini iudicii metuebat, nec satis constabat quis in eo modus, aut quæ mensura pœnarum etiam leuibus peccatis purgandis statueretur, securus esse non potuit. Tandem omnibus subsidiis destitutus extremam hanc anchoram re desperata iacis. *Sed ut non nihil & Monica, & Augustinus errarint, tamen nec illam, nec hunc proinde esse vestrum potes concludere: patres enim non ex vno aliquo iudicio, sed ex perpetua de maximis causis sententia æstimandi sunt.* Sed & hæc, Vvhitakere, causa longè grauissima est, & quacunque aduersum te causam hæcenus defendimus, in ea nostros esse patres euicimus. Paulam adiungit Campianus Paulum, Hilarionem, & Antonium, heremitas. *Horum, inquis, nullus papista fuit, nullus vester fuit. Erant illi omnes Christiani, & solitudinem sequebantur, ut eo modo possent liberius supra ac caelestia meditari.* Cur ergo solitariam vitam ita Calviniani damnatis, vt ex vestro grege nemo hæcenus inuentus sit, qui eremum cum Antonio ac Paulo coluerit, qui Hierosolymam cum Paula religionis ergo adierit? Nostros verò esse hos omnes tam certum est, quàm in terris aliquando versatos fuisse. Iisdem enim testibus vtrumque ostenditur. Tu Calvinianos fuisse, ne leuissimo quidè argumento ostendes vtrquam. Quis enim aliquando Calvinianus tam religiosè loca sancta obiuit, eam obiisse Paulam Hier. scribit? Ingressa, inquit, sepulchrum, resurrectionis osculaba-

tar lapidem, & ipsum corporis locum, in quo Hieron. ad iacebat dominus, quasi sitiens desideratas Eustoch. aquas fidei ore lambebat. Et post ostēdebatur illi columna, ecclesie porticum sustinēs, infecta cruore domini, ad quam vincus dicitur, & flagellatus, &c. Et iam iam moritura digitum ad os tenens crucis signum pingebat in labiis. Quis Calvinianus cum Hilarione, vt de aliis eremi cultoribus nihil dicam, tunica sacca, cuculla, & palliolo vsus fuisse? Quis ad cohibendum maris æstum crucis signa pinxit, in sabulo? quis ad impediendam demonis prestigias aquam benedictam adhibuisse? Quis benedictum à se panem populo eslagitati dedisset? Que omnia de hilarione Hieronymus, summa cum illius laude testatur. Si qui hæc nunc faciunt, Vvhitakere, vestri sunt. Antonius certè & Paulus & hilarion ceterique vestri erunt. Sin hæc tanquam superstiosa dānatis, ne vestra quidem ipsorum sententia vobis eos vëdicare potestis. expectas fortasse vt hos aliquando papistas fuisse vocatos ostendā. Hoc enim in nomine causæ tuę presidiū ponere videris, cum ais. *Horū nullus Papista fuit.* At cum Papistæ nomine eos significetis, qui Papā, hoc est Romanum pontificem Christi in terris vicarium agnoscunt, papistas quoque eos fuisse ne cesse est. Quid enim de Pōtificis autoritate Athan. Hier. alique patres senserint, qui eadem cum illis fide imbuti fuerunt supra comemorauimus. Et quia catholi-

Hier. in vita hil.

cis Papistæ nomen per ludibrium tribuis, illud mihi velim respondeas, à quo nos Papa Papistas appelles, vt à Caluino vos Calviniani estis appellati: & cum recens hoc nomen, atque à vobis excogitatum sit, profer obscuro antiquum nomen, quo ante vestra tempora nos orbis terrarum vocauit. Aliquod enim, opinor, nobis nomen fuit. At nullam certè aliud, vt omnia perquiras quam catholici nomen inuenies. Quo ergo iure vos, homines tam noui, antiquo nos nomine spoliatis, & nouum nobis pro vestro arbitrio imponitis? cum neque legislatores sitis, neque profecto sapientes, quibus solis nomina rebus imponere licet. Hæc vt de nomine dicerem, tua me Vvhitakere impudentia coegit. Nunc vt ad eremitas reuertar: *Noli*, inquis, *cum istis tuos comparare monachos, qui sunt ex alia secta, et genere monachorum.* At ego neque genere, neque specie, differre aio. Id vero tu eleganter sanè, & qua decet modestia probas: *illi*, inquis, *sancti, laboriosi fideles, pleni bonorum operum: vestri impuri, otiosi, idololatæ, heluones, porci, boues, asini.* Scurram hic Vvhitakere, non theologû, agis. Vno tamen hoc nomine venia dignus es, quod tales illi fuerint monachi quos tu pene solos vel de nomine nostri, Bucerus, Munsterus, Martyr, Pomeranus, Ochinus, Marleratus, & quæ primum nominare debui, MARTINVS LVTHERVSVS: cui hæc tua monachorum elogia cõueniunt *et ceteris enim ille vestris*

monachis, *id est, apostatis nostris, ad omnem ingluuiem atque libidinem facem prætulit.* Cum ergo monachos tu nostros porcos, heluones, boues, asinos appellas, nihil profecto aliud, quam vos ipsos porcorum helluonum, bouû, asinorum, filios esse ingenuè profiteris: Monachi enim, sed apostatæ fuerunt, à quibus ecclesiæ vestræ iacta sunt fundamenta: quorû labore ac studio ad eum què nunc obtinet apostasia gradum peruenit: vt si illis adhuc spoliectur, veluti misera cornicula implumis penitus, & aspectu fœda sit permâfura: ac nisi his fulcris quatuuis putridis vtcûq; sustentaretur, protinus sit ruitura. De iis verò monachis qui in catholica ecclesia vitâ minime monasticâ agût, sed instituti sui immemores sese vitiiis turpiter dedunt, nihil tibi aliud respondeo, quã quod manicheis olim vestro more monachorû mores insectâtibus Augustinus respondit. Nec mirum est, inquit, in tanta copia populorum, quod non vobis desint, quorû vita vituperâda decipiatis incautos, & à catholica salute auertatis, cum in vestra paucitate magnas patiamini angustias. August. de Mor. eccl. cap. 35. Nunc ad alia. Noster Satyrus, inquit Camp. Ambr. germanus frater qui naufragus insiliit in Oceanum, & fide plenissimus enatauit. *Dignus certè, inquis, qui vester sit quia potuit natate. Nam quid est hic aliud argumenti?* Hoc nimirû Vvhitakere quod cû te nimium vrgeret, silètio prætereundum putasti. Non enim

quia enatauit, nostrū esse Satyrū Camp. dixit, sed quia tremendā illā hostiā gestās in oratio, fide plenissimus in Oceanū naufragus insiliit, & enatauit. Nunquam enim, mihi crede, nisi aliā de Eucharistia fidem quā Caluiniā habuisset, tantum ex ea presidij vel sperasset, vel certē consequutus fuisset aliquando. Quis enim ex vobis Caluiniāna cœna munitus idē prœstaret? Immo quis id vestrū non ridiculū ac superstitiosum putaret? cū extra communionē nullum esse Eucharistiæ vsum puteris: Et si aliud forte argumentū requiris, quo nostrū esse Satyrum probemus, recordare Satyrū eos solos cœnisse catholicos, qui cū Rom. ecclesia fidei ac religionis cōmunionē serua-rēt. Aduocauit (inquit Amb.) ad se episcopū, nec vllam verā putauit, nisi verā fidei gratiā, percontatūque ex eo est, vtrūnam cū episco-pis catholicis, hoc est cū Rom. ecclesia cōueniret. Nunc quod frigidē admodū iocaris, dignū esse Satyrū qui noster sit, quia potuit natate, verius loquutus es quā putaras. Nostri enim verissimē sunt, quidū mare huius seculi errorū procellis estuat, & falsorū dogmatū vndis colliditur, gnauiter natādo laborāt, ne heresim fluctibus in profundū demersi suffocētur. Non enim in solo opere virtutū (inquit Leo) aut in sola obseruantia mādatorum, sed etiam in tramite fidei angusta, & ardua via est, quæ ducit ad vitam, & magni laboris est, magnique discriminis, inter dubias imperi-

Amb. de obi-
tu. Satyr.

Leo ferm 5.
de natal.
dom.

torum opiniones, & verisimiles falsitates, per vnam sanā doctrinæ semitam inoffensis gradibus ambulare, & cum vndique se laquei errorēque opponant, omne periculum deceptionis euadere. Sic nostri natant Vhitakere, sic hæreticorum laqueos inoffenso pede prætereunt, vestri verò dum omni vento doctrinæ vt paleæ circumferuntur, tanquam arbores eradicatæ, & bis mortuæ, non tam natant quam fluctuant. Hæc de Satyro, qui multò quam vos melius natauit. Nostri Nicolaus & Martinus episcopi, inquit Campianus, exerciti vigiliis, paludati ciliciis, ieiunio pasti, respondes: *Vigilia, cilicium, ieiunium non sunt vestrorum episcoporum insignia.* Tu nostrorū episcop. quæ sunt insignia prorūsignoras, qui nihil de illis audire soles, nisi ab hæreticis, qui se coniuratos eorum hostes profitentur. Non enim defunt quāplurimi, qui his insignibus vrantur: sed quæ tua est cæcitas, à zizaniis, ac paleis ad horrei dominici grana oculos nunquam conuertis. Et certē si qui sunt episcopi nostri, apud quos hæc insignia rarius quā par esset cernantur, qua de re tuum non est Vhitakere, iudicium ferre: nullus tamen omnino est, qui hæc omnia apud Deum merito carere dicat, nullus qui hæc tanquā superstitiosa vobiscū damnet. Noster Benedictus tot monachorum pater, inquit Cāpianus. *Potui, ais, non inuitus huic tibi legi Benedictum, quem hominem fuisse nimis profectō superstitiosum constat, sed tu-*

meritorum fuisse vestrum nunquam euincet. Non vos pudet quoties de patre aliquo vobiscum contendimus, illam meretricis illius vocem in ore habere, quæ infantem non suum sibi vendicabat. Nec mihi, nec tibi, sed diuidatur. Nos verò Vvhitakere, liberalitatem hanc tuam nihili facimus, nec ab ea vlllo modo pēdemus. Velis enim nolis Benedictus noster est, immò & totus noster: nunquam enim vel apicem vnū inuenies, quo Calvinianum fuisse Benedictum ostendas. Nam quod hominem fuisse nimis superstitiosum oblatras, quid mirum, cū & eiusdem criminis Augustinum atque Prudentium. aliosque innumeros inculcare audeas? Illud certè mirum, tam superstitiosum hominem, tot tantisque miraculis in Christi ecclesia claruisse, & vos qui ab omni superstitione tam longè abestis scilicet, ne claudum quidem equum vt supra cōmemorari, sanare vnquam potuisse. Nisi fortè illud in causa sit, quòd tam longè à superstitione recedere volueritis, vt omnē simul religionem prorsus abieceritis. His se patribus Chiliadas posse aliorū patrū plurimas adiungere ait Cāpianus. Tu hic Franciscū, & Dominicū ab eo intelligi opinaris, & illa, vt ais, *infinita armenta atratorum & albatorum fratrum*, de quibus & hæc adiciis: *quos ego tibi vniuersos liberalissimè dono, quique istis similes vnquam existerunt omnes esse tuos equissimo animo patior*. Hæc verò nos armenta libenter accipimus, imo suspicimus ac veneramur, vel eā

ipsam ob causam, quam tu per conuitiū vsurpasti, quia armenta sunt, id est quia pastorem agnoscunt, cuius vocem audiūt, à quo in ecclesiæ pascuis nutriuntur: ideòque vos non nisi pro vulpibus, lupisque habere possumus, qui sine pastore per deserta ferino more perpetuo vagamini, nullisque in pascuis, sed ex raptu viuitis. Tu verò Vvhitakere prudentius fecisses, si armentorum nomen tacuisses. Cui enim hoc legenti non continuò in mētem veniet, vos cum ex horum armentorum stercore, Martino scilicet Lutero, Bucero, Martyre, Ochino, Marlorato, aliisque sitis progeniti? nihil aliud quàm scarabæos esse, animalia ex stercore nata, stercore nutrita, bonique omnis, ac suavis odoris inimica. Nam & Lutherus vester, vt ex illius scriptis constat, nihil certè frequentius quàm sterminus in ore habuit, dignus profectò ex quo vos scarabæi nasceremini. Stomachari me fortasse dices, sed tu me coëgisti, qui nullum optimis ac religiosissimis viris maledicendi finem facis. Querit deinde Campianus de tot antiquissimis, & beatissimis quos enumerauit patribus, vtrius doctrine fuerint, catholica, an Lutherana? *Id tibi respondebo*, inquis, *quando à catholica distinctam esse docueris Lutheranam*. Id verò quis non facillimè doceat? cum ea sola sit catholica doctrina, quæ cœpta à Christo & apostolis, per pastores doctoresque legitime ad id munus vacatos, toto orbe diffusa ad nos vsque peruenit, quod in

Kfai. 12.

Lutheranam doctrinam haudquaquam conuenire nemo est qui nō videat. Non enim de Syon exiit Lutheri lex, nec eius verbum de Hierusalem, vt de Christi Euangelio prädicitum scimus, sed de oppido Vvitembergenfi, aut aliquo potius Germaniæ hypocaufto. Quod autem addis Lutherum extitisse non nouæ alicuius doctrinæ authorem, sed antiquæ restauratorem. Si antiquam vocas doctrinam impia quedam dogmata Symonis magi, Aërij, Vigilacij, Iouiniani, Pelagij, Donati, Nouati, quæ Lutherus iam olim sepulta ab inferis reuocauit, equidem nō inficior antiquæ illius doctrinæ instauratorem egregium extitisse. Catholica certè doctrina cum nunquam collapsa sit, sed solis instar suis orbem radiis perpetuò illustrarit, instauratore Luthero, propheta scilicet extraordinario opus non habuit. Vos qui euangeliū vestrum ita collapsum dicitis, vt tot seculis in tenebris latuerit, illum si lubet prophetam & instauratorem doctrinæ vestræ agnoscite. Verū hic tu vicissim à Campiano quæris. *Velim, inquis, mihi renuncies Campiane, ex iis omnibus quos nominasti, quis vnquam Thomista fuit, aut Scotista, aut Dominicanus, aut Iesuita?* Si tibi noster hic labor soli defudaret, equidem hanc quæstionem ne dignaret quidem responsione, quippe quam non ex ignoratione, sed improbitate, ac malitia, rudiorisque fallēdi studio pro-

fectam constat, vel vno certè verbo dicerem eandem horum omnium fidem, eandem religionem fuisse, nec tu in quo discreparēt, ne vnum quidem dogma proferre vnquam posses. Sed vt omnibus consulam, breuiter hoc tibi respondeo. Scotista certè, ac Thomista, non sectarum nomina sunt, vt inter vos Calviniani, Lutherani, Puritani, sed eorum tantum, qui Ioannis Duns Scoti, aut Diui Thomæ sententias sequuntur, contrarias illas quidem aliquando, sed nunquā nisi in iis rebus, quæ vel ad fidem, ac religionem, omnino non pertinent, vt sunt philosophorum problemata, vel salua fidei regula vtramque in partem disputari possunt. Omnes vnā eandemque agnoscunt ecclesiam, cuius se filios profitentur, cuius decretis obtemperant. At Calviniani vestri, Lutherani, Zuingliani, nullā vnā agnoscunt ecclesiam, sed singulis sua est synagoga, quæ ab aliis omnibus in grauissimis fidei mysterijs maximè diffidet. Dominicani verò, Franciscani, Iesuite, non hominum sunt aliter, atque aliter de fide sentientium nomina, sed eorum qui in ecclesiæ catholicæ castris, sub vno Christi communis imperatoris vexillo crucis, quasi per diuersas phalanges, classes, atque ordines sunt distributi: sub eodē omnes imperatore merētes, omnes eadē crucis tessera vtētes, eodem sacramento, eiusdem militiæ astricti, omnes de imperatoris

iure victoria, gloria & triumpho idem sentientes, idem votis omnibus expetentes. Hiramen singuli suis in centuriis ac phalangi- bus ad eam se vitæ ac militiæ normam componunt, quam à ducibus quique suis, aut tribunis præscriptū acceperiat. Nam & in prophanis castris præter communem imperatoris tessaram, pro tribunorum varietate, ac ducum, varia quoque in vestibus, aut armis insignia gestant. Vocari porrò sunt his nominibus, non ab iis sanè qui huiusmodi ordinibus initium dederūt, sed à vulgo hominum, penes quod in huiusmodi rebus, & vis, & norma loquedi est. Non enim Dominicanos vocauit suos siue fratres, siue filios Diuus Dominicus, sed fratres prædicatores. neque Franciscanos diuus Franciscus, sed fratres Minores, quibus adhuc nominibus, vtriusq; ordinis religiosi patres de sua appellatione interrogati vtūtur. Noster vero Ignatius nos minimè Iesuitas, aut vocauit ipse, aut ab aliis vocari, sed suā congregationē nomine I E S V insigniri voluit, vt Societas IESV, vel nominis I E S V diceretur: quo nomine ab iis vocamur qui res nostras propius norunt. Tibi autem si tantopere displicet vulgi licentia, qua suo quodam iure in his, atq; huiusmodi nominibus compendia sectatur, tu si potes, populum corrige, & magnam à nobis gratiam inibis. Illud interea in hac causa maneat, hæc quæ tu rides nomina ordinum esse in ecclesia

non sectarum extra ecclesiam, qualia sunt Calvinistarum ac Lutheranorum, aliorumq; qui à suis singuli, vel hæresibus, vel hæresiar- chis nomen sortiti sunt. Dei solium postremo testatur Campianus, vel nullum cælum esse, vel nostrum esse. Nec immeritò profecto: nostri enim fuerunt, non Lutherani, non Calviniani à quibus & cælum esse didicimus, & qua in cælum via eundum esset. Quibus si viam monstrantibus minimè credimus, cur cælum esse aliquod dicentibus credemus? In illo enim si errarunt, in hoc certè errare potuerunt. Quomodo igitur Lutherus vester, qui commonstrantibus in cælum viam non credit, iisdem cælum esse dicentibus fidem habuit? Illis verò si docentibus non credit, quibus quæso docētibus credidit? fides enim, vt Paulus ait, ex auditu est. Efficitur ergo cælum Luthero nullum fuisse. Quod ille quidē in pectore virus callidè in initio cælauit, sed ple- ri que illius discipuli, Calviniani præsertim, blasphemio ore tandem euomuerunt. Atque vt domestica referamus exēpla. An non fra- tres illi vestri, Scotiæ ministri scripto palam testati sunt ex quo nouum hoc Euangelium vestrum audiri cepit, innumeros illos in re- gno atheos esse cœpisse, ad quam rem signifi- candam nouum ipsi nomen maioribus no- stris inauditum, quod propriè atheum signifi-icaret, excogitarunt. Et cum nuper Naralis quidam ex Calviniano atheos, Metis in Lo-

Rom. 13.

In præfac.
Bibliorum.Godles.
Mense Iu-
nio anno
1582.

tharingia à magistratu comprehensus interrogaretur, qua tãdem via ad atheismum peruenisset, respondit, quod res erat, Caluini institutionibus (quibus iam solis deserta ecclesia catholica fidem adhibebat) hęc se acceptum referre. In iis enim cum legisset peccatorum omnium Deum esse authorem, cõque sine maiorem hominum partem condidisse, vt æternis postea suppliciis afficeret, maluisse se aiebat nullum esse Deũ, quam talem credere. Hoc est enim hæreticorum ingenium, vt cum ad catholicos nunquam redire, semel statuerint, nec in hæresi firmum aliquid quonitantur inueniant, abiecta omni religione infideles tandem euadant, vt olim Samaritanis accidit qui hæreticorum figuram gerebãt, quorum templum per schisma in monte Garizin extructum, Ioui postea hospitali dedicatum legimus. Hic verò præterire non possum quod ais. *In Romana ecclesiã sic viuatur vt cælum esse nullum omnino videatur.* Valde enim de Romanæ ecclesiæ morib. temere, ne dicã audacter, iudicas, qui Romę quid agatur nescis. Neque hic illa repetam, vt tibi prorsus ignota, ita vestris Synagogis rara admodum & insolentia, tantam in omnibus ecclesiis precum assiduarẽ, tam frequentem omnium ordinum ad diuina mysteria percipienda concursum, tantam in Dei verbo audiendo populi diligentiam, tot ibi pauperes ali, tot pupillos, tot viduas, tot egenas virgines nuptui

Ioseph. lib.
11. aut. ca. 8.

nuptui tradi, tam largas captiuis redimendis eleemosynas erogari, tot omnium penè nationum seminaria adolescentibus pietate ac literis excolendis institui, tot ieiunia, tot cilicia, tot alia denique omnis pietatis exercitia. Illud tantum ex te scire aueo si Romæ ita viuatur, vt nullum esse cælum videatur, quomodo qui Roma ad vos in Angliam veniunt, tot se suppliciis, tamque diris cruciatibus ad promerendum cælum sponte obiciunt? Hactenus è cælo testimonia Camp. quæsiuit nunc etiam ex inferno. Si licet, inquit, inspiciamus in Tartara. Crematur incendio sempiterno. *Qui? Iudæi. Quam ecclesiam auersati? Nostram. Qui? Ethnici? Quam ecclesiam crudelissimè persequuti sunt? Nostram. Qui? Turci. Quæ templa demoliti? Nostra? Qui? Hæretici. Cuius ecclesiæ perduellès? Nostræ. Quæ enim ecclesia præter nostram, omnibus inferorum portis sese opposuit? hic cum omnem tibi respondendi viam præclusam cernas, ne verbum quidem vnum respondes. Vidisti enim tam multos sempiternis ignibus addictos Romanæ ecclesiæ, non Gebennensis, quæ illis seculis nondum solem aspexerat, hostes extitisse. Itaque nihil aliud quàm furiosi hominis speciem nobis exhibes, qui cum hostem ferire non possit, vibrato circumquaque ense aerem insanus diuerberat. *Vellè,* inquis, *Campiane posses sedes illas infernas contueri. Quid ita? conspiceres,* ais, *Bonifacios, Innocëtios,**

Sylueftros. Quid hoc ad illud quod de ecclesia eiusque hostibus Camp. proposuit, fuerint fanè horum aliqui, non quidem tam scelerati quàm vos impudentiffimè dicere soletis, sed fuerint moribus deprauatis: qui scis num ante mortem ad Deum conuersi penitentiam egerint, veniamque ab illo impetrarint? vel quis tu es qui iudicas alienos seruos? Omnium certè qui vnquam fuerunt pontificum Romanorum pessimus, Calvinianis omnibus ac Lutheranis vel hoc nomine longè præstat, quod in catholica ecclesia communiõne mortem obierit. Cætera nõ eruditionis tuæ sed furoris ac insanix argumenta hic prætereo, cuius generis est illud. *Christum testor eam esse fidem ac religionem vestram vt illam qui totam ac solidam tenet, in caelis vincere & regnare cum Christo nequeat.* At ego Christum testor qui vel vnum vestræ religionis dogma tenet, cum regnare cum Christo non posse. Verum non hic obtestandi locus erat Vvhitakere, sed Campiani argumentis respondendi. Apud prudentes enim & cordatos viros nihil vestræ obtestationes ponderis aut momenti habent. Nam quod Romanum hic pontificem rursus Antichristum appellas, fati à me supra est refuratum, pigetque de tã manifesto mendacio plura dicere. Illud igitur deinceps expendamus, quod de veterum christianorũ erga res sacras religione Camp. scribit, vt quã horum vos sitis dissimiles om-

nes intelligant. Cum pulsus Hebræis (inquit ille) Christiani succrescerent Hieros. Deum immortalem qui concursus hominũ ad loca sacra fuit! quæ vrbis religio? quæ sepulchri? &c. Hæc tu atque huiusmodi alia illius etatis Christianorũ officia à curiositate potius, quam religione profecta respondes. *Maximũ,* inquis, *fuisse hominũ ad illam urbem concursum factor, partim vt apostolos Christi viderent atque audiret, partim, vt ipsa loca cõspicerent, in quibus Dei filius plurimum versatus est. Et multa erant Hier. quæ homines paulo magis curiosos excitaret, atque ad proficiscendum impellerent.* Sed quia vanissimum hoc esse commentum videbas tuum, mox addidisti. *Quamquam ecclesia istis religionibus plus æquo dedita fuit, & tanquam sponsa exuuiis mariti nonnihil extra modum delebat, atamen à papistica idolomania, atque illis superstitiosissimis profectiõibus, quibus vti vos soletis, longè illis temporibus absunt.* Minus iam miror Vvhitakere, Aug. te, Ambrosium, Hier. Prudentiũ, aliosque patres superbè contemnere, cum & sanctissimam Christi sponsam ecclesiam superstitionis ream peragere non verearis. Quæ fanè blasphemia cũ tanta sit, tãmque in Christum ipsum contumeliosa, illius te bestia mēbrum esse luce clarius ostendit, quæ Ioanne teste aperuit os suum in blasphemias ad Deũ blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius, id est, ecclesiam. Ad nos certè quod atinet, quibus tu idolomaniam nescio quam

Apoc. 17]

Epist. ad
 Marcell. obiiicis, nō nisi in eadem cum maioribus no-
 stris causa versamur, qui non curiositate, sed
 religione loca sacra adierunt. Sic enim de il-
 lis Hier. Lōgū est nunc ab ascensu domini vs-
 que ad presentem diē per singulas etates cur-
 rere, qui episcoporū, qui martyrum, qui elo-
 quentium in doctrina ecclesie virorum vene-
 runt Hier. putātes minus se religionis, minus
 habere scientiā, nec summā, vt dicitur, manū
 accepisse virtutum, nisi in illis Christum ado-
 rassent locis, de quibus primū euangelium,
 de patibulo crucis coruscavit. Quo verò in
 honore Christi sepulchrum apud omnes fue-
 rit, idem alio loco docet. Venerabantur (in-
 quit) quondā Iudæi sancta sanctorū, quia ibi
 erant Cherubin & propitiatorium, & arca te-
 stamēti, Manna, virga Aaron, & altare aureū.
 Nonne tibi venerabilius videtur sepulchrum
 domini, cuius sepulchri gloria etiam ab Isaia
 prophetata est: Et erit requies eius honor,
 quod scilicet sepulture domini locus esset ab
 omnibus honorandus: & psalmista præcipit,
 vt adoremus in loco vbi steterūt pedes eius,
 Et quomodo benedicta loca putāt in quibus
 Petrus & Paulus Christiani exercitus duces
 sanguinem fuderunt pro Christo, & Marty-
 rū vbi que sepulchra veneramus, & sanctam
 fauillam oculis apponentes, si liceat, etiā ore
 contingimus, & monumentū in quo est do-
 minus, quidā existimant negligendum? Si no-
 bis non credimus, credamus saltē diabolo &
 angelis eius, qui quotiescunque ante illud de

obsessis corporibus expelluntur, quasi in cō-
 spectu tribunalis Christi stātes contremiscūt,
 & se dolent crucifixisse quem timeant. Hæc
 Hier. de domini sepulchro non ex sua modo
 & maiorum suorum sententia, sed ex ipsius
 Isaia clarissima prophetia, quam & suo tem-
 pore impleri videbat, & nos hac etiam ætate
 cernimus, idque non à Christianis tantum,
 sed à Turcis etiam, apud quos in maiori pro-
 fecto honore sepulchrum Christi est quam
 apud vos, quibus si tantum iis in locis esset,
 imperii, nemini dubium esse potest quin pro
 vestra consuetudine breui omnem eorum
 memoriam essetis deleturi, quod olim ab
 ethnicis tentatum legimus. Ab Adriani tem-
 poribus (inquit hier.) vsque ad Constantinū,
 per annos circiter centum octoginta, in loco
 resurrectionis simulachrū Iouis, in crucis ru-
 pe statua ex marmore Veneris, à gentibus po-
 sita colebatur, existimantibus persequutionis
 authoribus, quod tollent nobis fidē resur-
 rectionis & crucis, si loca sancta, per idola
 polluissent. Idē vos, si liceret, facturos illa sa-
 tis ostendunt, quæ passim in euertendis san-
 ctissimorum martyrum Basilicis, immo &
 sacris eorum corporibus exurendis impie
 atque sacrilegè gestistis. Sed vt tantum sacri-
 legium aliquo saltem religionis velo rega-
 tis, superstitiosum esse causamini certum
 aliquem ad locum religionis causa profici-
 sci, quasi diuina virtus ac potentia certis

Hier. ad
 Paulin.

locorum finibus concludi possit. Nos verò, Vvhitakere, qui catholici sumus, diuini numinis vim atque potentiã immẽsam esse, neque vllis Deum spaciis posse coerceri minime dubitamus. Scimus tamen eum pro infinita qua hunc mundum administrat sapiẽtia, maiora sepe ac illustriora potentia ac bonitatis suę in vno loco quàm in alio argumẽta ostendere. Nam tametsi Deus domo non egeat, quem cælum ac cæli cælorum capere nequeunt, quis tamen ignorat templa sibi illum delegisse, vbi precantibus largiora dona concederet, & petentium facilius vota susciperet. Argumẽto nobis vel ipsi erunt Iudæi, qui cum apud tabernaculum fœderis, posteaque in templo Ierosolymitano Deo preces funderent, præsentiosem sibi numinis opem persæpe senserunt. Arque hoc rex ille sapientissimus Salomon, & postulauit à deo, & certè impetravit. dixitque dominus ad eũ, inquit scriptura, Exaudiui orationem tuam & deprecationem tuam, quã deprecatus es coram me: sanctificauit domum hanc quam edificasti, vt ponerem nomen meum ibi in sempiternum, & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus. expertus hoc olim Heliodorus ille, liberèque apud regem suum profectus est. Si quem, inquit, habes hostem, aut regni tui insidiatorem, mitte illuc (de templo loquitur Hierosolymitano) & flagellatum illum recipies, si tamen euaserit, eo quod in loco

3. Reg. 9.

2. Macch. 3.

fit verè Dei quædã virtus. Neque verò quicquã interesse putandum est, quod diuini huius cõsilij causam plerumque ignoramus. Sapienter enim Aug. vbiq(ue) (inquit) Deus, nec villo continetur, vel includitur loco, qui condidit omnia, & eũ à veris adoratoribus adorari oportet in spiritu & veritate, vt in occulto exaudiens, in occulto etiam iustificet & coronet. Veruntamen ad ista quæ visibiliter hominibus nota sunt, quis potest eius consilia perscrutari? quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant, Multis enim est notissima sanctitas loci vbi Fœlicis corpus conditum est, quo volui vt pergerent (de duobus suis domesticis loquitur) quia inde nobis facilius, fideliusque scribi potest, quid in eorum aliquo diuinitus fuerit propalatum. Nam & nos nouimus mediolani, apud memoriam sanctorum, vbi mirabiliter & terribiliter demones consistuntur, firem quendam qui ad eum locum venerat, vt falsum iurando deciperet, cõpulsus fuisse confiteri furtũ, & quod abstulerat reddere. Nunquid non & Africa sanctorum martyrum corporibus plena est? Et tamen nusquam hic scimus talia fieri. Sicut enim, quod Apostolus dicit, non omnes sancti habent dona curationum, nec omnes habent diiudicationem spirituum, ita nec in omnibus memoriis sanctorum ista fieri voluit, qui diuidit vniciquæ prout vult. Quod si ad martyrum Basilicas tan-

Aug. in ep.
ad clericum
& pop. hip.

quidem? aut qui vos nouisēt qui heri è lacu Lemano prodiistis. Multas dein de causas esse ais cur nos Iudæi odecint. *Vestra*, inquis, *illa multiplex idololatria perpetuam inos offensionem attulit. Tollite idola. Iudæi ad nos aggregabuntur, atque in Christi causam frequentes aduolabunt.* Idola nobis nulla sunt quæ tollamus Vvhitakere. Vos dum Christi ac sanctorū imagines idola appellatis, quid aliud quam Christū in carne apparuisse, & sanctos illius martyres aliquando extitisse negatis? cum idolum non nisi rei fictæ simulachrum dicatur. Sed quibus hæc rādem, capud quos loqueris? Quali verò obscurum sit plurimos quotannis Iudæos ad Romæ, id est catholicæ ecclesiæ caulas cum Romæ, tum alibi accurrere: ad vos autem, qui ecclesiam scilicet ab omni idololatria planè repurgatam habetis, aut paucissimos aut potius nullos accedere. Catholicos certè ex Iudæis nouimus multos, Calvinianum adhuc audiui neminem. Queris autem quinam fuerint nostri patres à quibus Iudæi suis sedibus eiecti fuerint. Non Titus certè aut Vespasianus Vvhitakere, vt tu nos opinari fingis, quos pro maioribus nostris non agnoscimus, sed tota Christi ecclesia propter quam & sacerdotio carent & regno, quæque eorum cæcitatē, & ex scripturis coarguit, & sua etiam in omnes gentes propagatione ad oculum demonstrat. Magnum verò nobis crimen obiiicis, cum *in ipsa etiam Roma licere ais Iudæis*

sacris pristinis vti, palamque in Christum blasphemis esse, ac modo tributum soluant, nullius sacrilegij aut blasphemix pœnas persolvere. Esse quidem Romæ Iudæis licet, non ob avaritiam quidè vt tu malitiosè calumniaris, neque ita sanè, vt impune in Christam contumeliosi esse possint, sed multis ac grauibus de causis, quarum vnā ego tibi aut alteram à patribus nostris obseruatam proferam. Ac primū quidem Iudaicæ gentis ob sua in Christum scelera dispersionem, propheta Dauid non vno loco prædixit: quam nos prophetiā in Iudæis completam ita cernimus, vt regni omnis ac sacrificij profus expertes diuinæ erga suam gentem vindictæ seueritatem, summamque in alias quas ad Euangelij lucem vocauit clementiam ac benignitatem satis ipsi ostendant. Deinde quis non videt disperfos vndique Iudæos, dū pristinos adhuc ritus, ipsasque adeo testamenti veteris scripturas seruant, & suæ impietatis ac perfidiæ testes nobis satis idoneos esse, & firmissimū aduersus paganos argumentū suppeditare quo scripturas propheticas à nobis minimè confictas esse ostendamus: Ob quas sanè utilitates quæ ex Iudæorū inter christianos conuersione ecclesiæ obueniunt, propheta diuino afflatus spiritu in persona Christi patrem rogauit, ne occidas Psal. 58. eos, ne quando obliuiscantur populi mei. Disperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine. Qui ergo vbi

Aug. in Psal.
58. vide &
lib. 18. de
Ciuit. c. 4.
Genes. 25.
Rom. 9.

christiani sunt nullos debere esse Iudæos cō-
tenditis, quid aliud quàm huic prophetiæ re-
pugnatis? Multo rectius Augustinus quem-
admodum Christi ecclesia toto orbe diffun-
ditur, ita & Iudæos christianæ fidei hostes, si-
mul ac restes, vbiq̄ue dispergendos esse scri-
bit, vt vel hoc modo illa etiam prophetia im-
pleatur: quia maior seruiet minori. Accedit
& hæc causa certè grauissima, vt Iudæorum
reliquiæ, quæ Paulo teste per electionē gra-
tiæ saluandæ sunt, ad fidem paulatim quoad
fieri à nobis possit vocentur, illudque fiat,
quod apud prophetam sequitur, Cōuertan-
tur ad vesp̄eram, &c. vt vsu venire cernimus.
Verum de his plura fortasse quam fuit necesse.
Ad ethnicos deinde progreditur Campi-
anus, quorum qui violentissimi fuere, ærum-
nosissima (inquit) christianis, patribus & filiis
nostræ fidei supplicia machinati sunt. Hoc tu
argumento aliquo probandum, non verbis affirman-
dum vis. At plurimis antea argumentis Cam-
pianus, cum de patrū autoritate dissereret,
suos esse patres demonstrauit, quibus nihil
tu aliud quam errasse patres, vosque illorum
errores deprehendisse respōdes. Atque etiam
hoc ipso loco nostros fuisse patres quos ty-
ranni persequebātur ostendit. Cuius, inquit,
ecclesiæ sacra, lychnos, ritus, ornamenta
Decius tyrannus conuellit? Tu nihil hoc ad
rem pertinere simulas. Deinde, *lychni*, inquis,
nocturno tempore erant necessarij: noctu autem usum

soliti sunt conuenire christiani, quia interdum non li-
cebat. At lychnos clara ac meridiana luce accende-
re, atque adhibere, quemadmodum apud vos fie-
ri solet, summa amentia est. An non hic patres
rursus amentes vocas? Hūc enim lychnorum
ac cereorum ritum vnde nos quæso nisi à pa-
tribus accepimus? Antiquissimum sanè hunc
ecclesiæ morem fuisse, vel illa apud Hierony-
mum patris vestri Vigilantiij verba ostendūt.

Propè ritum gentilium videmus sub prætextu reli-
gionis introductum in ecclesijs, sepe adhuc fulgente
moles cereorum accendi, &c. Tunc aliud in no-
bis Whitakere iam reprehendis, quàm quod

Pier. cōtra
Vigilantiū.

in veterib. illis christianis hæreticus ille dam-
nauit? Augustinus quoque eundem ecclesiæ
morem fuisse satis indicat, cum in sacramen-
tis, & in catechizando, & exorcizando lumen
adhiberi solitum refert. Qua re factum est, vt
statū illum, ac solemnem diem quo baptismi
sacramentum conferri solebat, luminarium
diem christiani appellarēt, quod facibus tum
accensis vterentur. Ita enim Nazianzenus.
Nam in die L V M I N A R I V M, inquit,
quando populus omnis in Ecclesiam con-
uenit, ingressus & ipse, Valens videlicet
Imperator, vbi ordinem Psalmodiæ, cæ-
remonias rite celebratas, aras omni deco-
re ac reuerentia cultas, populum denique
diuino cultui assistentem vidit, admiratus
est. Quin & lumina in funeribus gestari
solita idem his verbis testatur. At nunc no-

August. in
Psal. 65.

In Monodia
in laud Ba-
sil. Magni.

Naz. orat. in
laudē Cæs.

bis egregius ille Cæsarius seruatus est, & cinis pretiosus, laudabile cadauer, ac cum multiplici hymnorum cantu deducitur, celebrique pompa ad Martyrum sedes effertur, sanctisque parentum manibus honoratur, matre accensas faces gestante. Et Hieronymus in Epitaphio Paulæ: translataque episcoporum manibus, & cernicem feretro subiicientibus, cum alij pontifices lampadas cereosque præferrent, alij choros psallentium ducerent, in media ecclesia speluncæ saluatoris est posita. Paulinus etiã sanctissimus Nolę episcopus huius rei de qua agimus antiquitatem his versibus expressit,

Paulinus in
Natal. Ecclie-
cis.

*Aurea nunc mineis ornantur limina velis,
Clara coronantur densis altaria lychnis,
Nocte dieque micant, sic nox splendorque diei
Fulget, & ipsa dies caelesti illustris honore
Plus micat, innumeris lucem geminata lucernis.
Ast alij pictis accendant lumina ceris,
Multiforésque cavis lychnos laquearibus aptant,
Vt vibrent tremulas funalia pendula flammis.*

Hicne vides whitakere clara etiam ac meridiana in luce lychnos accendi in ecclesia solitos: nulla certè necessitate, vt tu Prudentius exponebas, sed religione potius, qua & Deo honorem deferebant, & fidem suam hoc veluti simbolo profitebãtur. Falleris ergo cum existimas ad depellendas tantum noctis tenebras adhibita fuisse lumina, de quibus Prudentius loquitur. Quorsum enim ad altare

tot luminibus opus fuisset quot ex Paulino antea audiisti? Immo & ipse Prudentius hoc te errore liberare poterat. Sic enim ille,

*O res digna Deo, quam tibi roscida
Noctis principio, grex tuus offerat,
Lucem, qua tribuis nil pretiosius,
Lucem qua reliqua premia cernimus,
Tu lux vera oculis, lux quoque sensibus,
Intus tu speculum, tu speculum foris,
Lumen quod simulans offero suscipe,
Tenditum pacifici chrisinatis unguine, &c.*

Cernis opinor whitakere non prophanum hic lumen, sed cereos in Dei honorem sacratos. Vobis certè nullũ esse in ecclesiis vestris luminũ vltum nõ miror. Neque enim fidei lumen, neque Christum habetis, quæ his luminibus mysticè apud catholicos significantur, sed & moribus & vita vniuersa, in tenebris estis. Atque vt ex hac vita migrantes, ad exteriores vos tenebras ire omnes intelligant, lege etiam cauitis ne quæ in funeribus vestris lumina gestentur. Neq; hoc loco prætereundum est quod schismatico Onię templo candelabrũ aureum defuisse Iosephus scriptum reliquit. Sæper enim lucem hæretici ac schismatici fugiunt. Pergis vero in Laurentij historia: *Quod autem de auro, & scyphis argenteis, & sesertiorum millibus tyrannos obiecit, id fictum crimen fuit.* Immo vero falsa hæc tua, ac ficta responsio est. Quod enim Laurentio obiectum à tyranno fuit, verum id quidem fuit,

Prudentius
in benedict.
cerei Paschæ.

Ioseph. li. 7.
ant. cap. 30.

licet à crimine longiffimè abfuerit. Quod vel ex ipfo conftat Prudentio, in hoc eodem carmine.

Clauftris facrorum præerat,

Cæleftis arcantum domus

Fidis gubernans clambus,

Votâsque dispensans opes, &c.

Ambr. lib. 2
offic. c. 28. Et ex Ambrosio, cuius hæc de Laurentio verba sunt. Laurentius qui aurum ecclesiæ ma-

» luit erogare pauperi, quam persequutori re-
» feruare, pro fingulari interpretationis viuaci-
» tate sacram martyrij accepit coronam. Num-
» quid dictum est S. Laurentio, non debui-
» sti erogare thesauros ecclesiæ, vasa sacramen-
» torum vendere? Opus est vt quis fide syncera,
» & perspicaci prouidentia munus hoc im-
» plectat. Sane si in sua aliquis deriuat emolumen-
» ta, crimen est: si verò pauperibus erogat, cap-
» tium redimat, misericordia est. Aurea igitur
» atque argentea vasa ad cultum diuinum
» peragendum etiam tum ecclesia habuit, quæ
» postea aucta sunt christianorum liberalitate
» vt ex innumeris veterum testimoniis ostendi

Optat. lib. 1
contra Par. potest. Erant (inquit Optatus) ecclesiæ ex au-
» ro & argento quamplurima ornamenta, quæ
» nec defodere terræ, nec secum portare poter-
» rat, quæ ipse fidelibus senioribus commen-
» dauit, commemoratorio facto, &c. de Men-
» surio loquitur episcopo Diocletiani tempo-
» ribus. Et Augustinus tradita à Donatistis ma-
» gni pretij ornameta queritur. Et Ambrosius
» cuius

cuius autea themini. Aurum, inquit, habet Ambr. lib. 2.
ecclesia, nõ vt seruet, sed vt erogat. Et paulò off. cap. 28.
post: tunc vas dominici sanguinis agnosco;
cum in vitro que videro redemptionem, vt ca-
lix ab hoste redimat, quos sanguis à peccato,
redemit. Ac ne de prophanis eum calicibus,
loqui existimes, statim adiungit. In his tribus,
generibus vasa ecclesiæ, etiam initiata, con-
fringere, conflare, vendere licet. Optus est vt,
de ecclesia mystici poculi forma non exeat,
ne ad vsus nefarios facti calicis ministerium,
transferatur. Ideo intra ecclesiam, primum,
quæ sita sunt vasa quæ initiata non essent,
deinde comminuta, postremo cõflata, & per-
minutas erogationes dispensata egenibus,
captiuorum quoque pretiis profecerunt. Quod,
si desunt noua, & quæ nequaquam initiata
videantur, in huiusmodi vsus quos supra di-
ximus, arbitror omnia piè posse conuerti. Ac
ne cõgerendis testimoniis proluxior sim, vni-
cum ex Orosio addam quò nihil ad tuam
ἀνιστορησίαν ostendendam apertius dici quear.
Discurrentibus, inquit, per urbem barbaris Orosius lib.
forte vnus Gotthorum, idemque potens, & 7. cap. 39.
Christianus sacram Deo virginem, iam atate
» prouectam, in quadam ecclesiastica domo
» reperit. Cùmque ab ea aurum argentumque
» honeste exposceret, illa fidei constantia esse
» apud se plurimum, & mox proferendum spo-
» pòdit, ac protulit. Denique expositis opibus
» eum attonitum barbarum magnitudine, &

„ pondere, ac pulchritudine, ignota etiam va-
 „ forum qualitate videret, virgo Christi ad bar-
 „ barum ait: hæc Petri apostoli sacra ministeria
 „ sunt, præsume, si audes, de facto tu videris,
 „ ego quia defendere nequeo, contendere non
 „ audeo. Barbarus verò ad reuerentiam religio-
 „ nis timore Dei, & fide virginis motus, ad Ala-
 „ ricum hæc per nuncium retulit, qui cōtinuò
 „ reportari ad apostoli basilicā vniuersa vt erāt
 „ vasa imperauit. Vos autem Vvhitakere huius
 „ etiam barbari immanitatē superastis, qui sa-
 „ cra vasa maiorum pietate diuino cultui dica-
 „ ta, sacrilegis manibus polluistis: vera nimirū
 „ eorum soboles, de quibus tam crebræ tamq;
 „ graues veterū quærelæ extant. Grauius certè
 „ de Arianis olim Athanasius questus est, quod
 „ nec pretiosas ecclesie vestes, nec alia illius or-
 „ namenta reliquissent. Tum sæua Arianorum
 „ (inquit) irrupit insania, tum ecclesiarū fuerūt
 „ rapinæ, tum diuinorū temeratio vasorū, tum
 „ pollutis ethnicorū manib. sacra polluta sunt
 „ ministeria. Et Nazianz. Quorum mysticum
 „ sanguinem cæso miscui sanguine? Quæ mini-
 „ sterij vasa, & populo ad tangendum prohibi-
 „ ta impiorum manibus exposui? Et Optatus
 „ Mileuit. de Donatistis. Hoc tamen immane
 „ facinus geminatum est, dum frēgistis etiam
 „ calices Christi sanguinis portatores, quorum
 „ species reuocastis in massas. Et paulò pōst.
 „ Emerunt forsitan in vsus suos sordidæ mulie-
 „ res, emerunt pagani, facturi vasa, in quibus

Athan. 'in
 epist. ad
 Marc.
 Idem in vita
 Antonii.

Naz. in orat
 de Arian
 & scipso.

Optat. lib.
 6. contra
 Parm.

incenderent idolis suis. Et Victor Vticēsis de
 Genferico Ariano. Mittit, inquit, Proculum
 quendā in prouinciā Cengitanam qui coar-
 ctaret ad tradendum ministeria diuina, vel li-
 bros, cūctos domini sacerdotes, vt primo ar-
 mis nudaret, & ita facilius inermes hostis cal-
 lidus captiuaret. Quibus se non posse tradere
 clamantibus ipse rapaci manu cuncta de po-
 pulabatur, atque de pallis altaris, proh nefas:
 camisias sibi, & femoralia faciebat. Qui tamē
 Proculus huius rei exequutor frustratim sibi
 comedens linguam, in breui turpissima con-
 sumptus est morte. Iam quod de vasis ligneis
 ac sacerdotibus aureis addis ex Bonifacio, ad
 hanc rem quid attinet? Dolet ille quidē po-
 steros à maiorū probitate degenerasse, splen-
 didæ verò, ac pretiosæ suppellectilis vsus in
 ecclesia minimè reprehēdit, neque in eo quē
 citasti canone vllum de sacerdotibus ligneis
 verbum legitur, & tu si canonem inspexisses,
 vidisses certè, Urbani etiam primi tempore
 qui beatum Laurentium ætate præcessit, non
 ligneos sed argenteos calices fuisse: Immo &
 in Triburiensī cōcilio, ex quo ille canon de-
 sumptus est, vbi & illa quæ refers Bonifacij
 verba leguntur, ecclesiast. lege in hunc modū
 statutum est: vt deinceps nullus sacerdos sa-
 crum mysteriū corporis, & sanguinis domini
 in ligneis vasculis, vllō modo cōficere præsu-
 mat. Sed quē hic nobis Bonifaciū cōmemo-
 ras Vvhitakere? hominem sanè Britānum, de

Victor Vtic.
 lib. 1. Vvan-
 dolicæ pete-
 seq.

De consecr.
 dist. 1. cap.
 vasa.

c. 18. concil.
 Tribur.

Mariã. Scot.
lib.2. in vita
Anast.

quo sic ante annos quingētos Marianus Scotus, monachus Fuldensis, historicus sui temporis clarissimus. Gregorius secundus, nonagesimus post Petrū sedit annis sedecim, mensibus octo, qui Bonifacium Scotum ordinauit episc. Moguntinēsem, & per eum Germania verbū salutis audiuit. Atq; hic à Gregor. 2 in Germaniã missus est, vt eandē fidē doceret, ad quam vobis prædicandam Gregorius 13. Campianū misit: qui & pro eadem fide quã, vt Bonifacius suo etiã sanguine ob signauit, plura Britannus à Britannis, in Britannia passus est, quã ille à barbaris. Nihilò igitur causam vestram Bonifacius meliorem facit, quibus sacerdotes omnino nulli sunt, neq; aurei neque lignei. Tãdem huic loco dignam certè ingenio tuo coronidem apponis. *Qui maximã ex ecclesiæ spoliis prædam fecerunt, vestri illi quidē, non nostri fuerunt.* Ecclesias scilicet vestras catholici spoliauerunt, qui ecclesias omnino nullas habuistis. Nostras verò vos euertistis vt nobis credo earum spolia relinqueretis. Quis tam aperta mendacia argumentis refellenda, ac non potius cachinnis excipienda existimet? Iam de Constantino, qui primus omnium Christianã fidem Imperator palam professus est. Hunc Campianus nostrū fuisse ostendit, neque aliam nouisse ecclesiam, quã cui Syluester præfuit Roman. Pont. à quo & baptizatum fuisse Imperatorem dixit. Hinc tu arrepta occasione quod præcipuū in causa

fuit subterfugisti, & de Baptismo Constantini controuersia renouas. *Multis (inquis) annis ante Syluester è viuis excesserat, quam est baptisma tinctus Constantinus, quemadmodum ex Eusebio, Sozomene, Theodorito, Sozomero cognosci potest, qui ab Eusebio Ni comedienfi eoque Ariano tinctum sacra baptismate fuisse Constantinum senem, non iuuenem prodiderunt.* Equidem quid hi quos nominas authores senserint non ignoro: sed neque te latet eorum primum, quem ceteri sequuti sunt, Arianum fuisse, & Romanę ecclesię hostem, vt mirum non fuerit eum hunc honore catholicis inuidisse. Neq; vlla ratione verisimile est tam catholicū Imperatorē, ab Ariano baptizari episcopo voluisse, quod illi tamen factū referunt, neque Constantinus certè Nicenę Synodo sacrifq; aliis christianorū cœtibus interesse vnquam nisi baptizatus potuisset: vt publica hic rei gestę monumenta taceam, quę Romę etiam hodie visuntur: baptisteriū, in quã, à Cōstantino extructū, quod & Cōstantinianū lauacrū Ammian. Marcellinus appellat, vbi & baptizatum fuisse Constantinum Damasus refert, cui res Romanę notissimę fuerūt. Et qui mille circiter abhinc annis vixit. Gregorius Turonensis certã omnium sententiam sequutus, Clodouæum iam baptizandum processisse refert, velut nouum Constantinum ad lauacrum, vt qui lepræ veteris morbū deleturus esset. Neq; Gregorius tantum, sed & Zonaras, Cedrenus, Beda,

Euseb. li. 4.
de vita Cō-
stant. Socr.
lib. 1. ca. 39.
Theod. li. 1.
cap. 32. Soz.
lib. 3. ca. 34.

Am. Marc.
lib. 27.
Damas. in
lib. 27.
Greg. Tur.
lib. 2. cap. 23
Zonar. to. 3
Cedr. in cō-
pend. hist.

Niceph. l. 7. cap. 35. aliisque receptā hāc, atq; omnib. probatā sententiā amplexi sunt. Quin & Niceph. eam cathol. eccles. sententiā nominat. Qui in oriēte,

» inquit, olim Ariane sectę fuerūt Constantinū
 » Nicomedię ab Euseb. eius vrbs episc. iā mori-
 » turū baptisimū suscepisse prodiderūt: propter-
 » ea eum sacrum lauacrum distulisse dicentes, quod
 » id in Iordane fluuio perficere voluerit. Id ve-
 » ro ex eo facile refellitur quod ecclesia à Syl-
 » uestro eum Romę baptizatū esse certo præ-
 » dicat. Quapropter testatū omnibus esse volo
 » vt hoc sic etiam ipsi tuto & opinentur & cre-
 » dant. Ariani enim malè sentientes animo &
 » consilio diabolico hoc cōfinxerunt, non Ro-
 » mę baptizatum eum esse asserentes, aut for-
 » tasse eadem cum illis sensisse astruentes: per-
 » inde atque ab ipsis propterea baptismi gratiā
 » susceperit, quod absurditatis & mēdacij ple-
 » num est. Sed hęc obiter. Non enim ista causa
 » ex Constantini baptismo pēdet. Illud potius
 » Campianus vrgebat, quibus auspiciis victo-
 » ria Cōstantinus potitus fuerit: crucis nimirū
 » signo, quod Euseb. ipse testatur. Nam in qua
 » parte (inquit) istud crucis vexillū visum fuit,
 » hostes fugam capere, victores persequi. Qua
 » re intellecta imperator, sicubi partem exerci-
 » tus laquentem cernebat, ibi salutate illud ve-
 » xillum, tāquam quoddā subsidium ad victo-
 » riam obtinendam locari mandauit, cuius ad-
 » iumentis extemplo parta est victoria: quippe
 » dimicantiū vires diuina quadā potentia fuere

Euseb. li. 2.
 de vita Cō-
 stant. cap. 7.

admodum confirmatæ. Tu hac re callide dis-
 simulata: *Crucis*, inquis, *signo* Cōstantinus quod in
 aere conspexerat, tanquam vexillo vti voluit, &c.
 hanc tamen crucem ab eo fuisse cultam, atque ado-
 ratam nunquam enimes. Satis iam multa Vvhir-
 kere de crucis adoratione diximus, neq; du-
 bium esse potest idem à Cōstātino factum,
 quod ab omnibus christianis fieri solitū eui-
 cimus. Quid ergo ineptius, quàm à Cāpiano
 postulare vt Cōstantinū crucē adorasse ostē-
 dat? quasi nihil ille egerit, quod historici po-
 steritati non cōmendarint. Hęc enim aliāque
 huiusmodi quæ ad historiæ seriem minimè
 pertinent, non nisi obiter historici narrant, &
 vbi res ita exigit, vt sileri omnino non pos-
 sit. Exemplū si postulas, vnū tibi de multis à
 re de qua agimus hand alienū proferā. Clo-
 doueus Francorum Rex, quem alterum Gre-
 gorius Turonensis Cōstantinum vocat, quia
 priusquam Christum agnouisset, christiano-
 rum templa more vestro euertere, crucēque
 passim incendere consueuerat, eum sanctissi-
 mus ille Remigius, à quo salutari baptismatis
 fonte ablurus est, sic alloquitur.

Mitis depone colla Sicamber,

Incende quod adorasti,

Et adora quod incendiisti.

Ostendere nimirum voluit Clodoueu regem
 ex gentili idololatra verū Christi cultorem
 euasisse. Quod crucis adoratione, tanquā illu-
 stri quodā christiani hominis signo expressit.

K k k iij

Iohannes in
 vita Remi-
 gii.

Prudent in
apothecof.

Hoc verò signū Clodoueo regi nō cū Const.
tantū Imperat. sed & cū Imperatorib. cæteris
christianis cōmune fuisse locupletissimus te-
stis est Aurelius Prudent. qui receptā hāc im-
peratorū cōsuetudinem his versibus cecinit.

*Mortua iam multa lugent oracula Cumæ,
Nec responsa refert Libycis in Syrtibus Ammon.
Ipsa suis Christum Capitolia Romula mærent
Principibus lucere deum. Iam Purpura supplex
Sternitur Aeneada rectoris, ad atria Christi,
Vexillumque crucis, summus dominator adorat.*

De cella vero Cōstantini parū referre scribis,
summōq; illū loco ante episc. sedisse conten-
dis, quo nihil à te dici ineptius potuit. Iōgissi-
mè enim ab eo fastu ac superbia abfuit, vt in
concilio superiorē episc. locū sibi deberi exi-
stimarit. Id quod ipsius apud ruffin. verba tes-
tantur. Deus vos cōstituit sacerdotes, inquit,
, & potestātē vobis dedit de nobis quoq; iudi-
, cādī, & ideo nos à vobis rectè iudicāmur, vos
, autē non potestis ab hominib. iudicari. Pro-
, pter quod Dei solius inter vos expectate iu-
, dicitium. Vos quid huiusmodi vnquā præstiti-
stis? cū Imperatori, cui regi, cui principi chri-
stiano, tam piū ac religiosum tātū Imperatoris
exemplū proposuistis? qui faminā etiam ca-
put ecclēsiæ constitutis? qui episc. laicos præ-
ferre, iunmo & omnē Episcoporum ordinē pror-
sus abolere studetis, & quod episcop. munus
est, de summis etiā fidei ac religionis capitib.
iudicandi cerdonibus, ac sutoribus, aut cuius
de fece vulgi potestātē facitis. Alios certè fidei

Ruff. lib. 10.
cap 2.

ac religionis magistros Constantinushabuit, Niceph. li.
qui vt Nicephor. author est, cum ei videretur 8. cap. 16.
vt & ipse in concilium, prodiret prostremus
omniū cū paucis ingressus est. et summissiore
quā amplitudo eius ferret throno, qui ei pa-
ratus fuerat, posito, non prius sibi confiden-
dū putauit, quā id ei ab episc. permetteretur. Sozom. lib.
1. cap. 18.
Te vero vt arbitror illa Sozomeni verba fe-
fellerunt, quibus imperatorem ait ad supre-
mam partem conuentus transeuntem in sella
quadam sibi apparata assēdisse: quibus ver-
bis nihil ille quidem aliud intellexit, quàm
non in primo aulae ingressa mox substitisse, Euseb. lib. 3.
sed vltra progressum, vt eusebius loquitur, ad de vita con-
stant.
supremam aulae partem accessisse, ibique pri-
mum in medio conuentu erectum constitisse.
Ex quo nunquam profecto efficies supre-
mo illum inter episcopos loco sedisse, aut in
ipso etiam episcoporum ordine. Nam cum
parua quēdam cella ex auro fabricata illi suo
esset loco posita, non prius tamen teste Eu-
sebio confedit, quàm episcopi ad id inuis-
sent. Ad alia nunc pergat Campianus. Turci,
inquit, nisi à nostris ordinibus militia sacra,
nisi à nostris principibus & populis accisi fuis-
sent, ac repressi, totam iam depopularentur ac
restarent Europam. Hic tu Campiano histo-
riæ ignorationem obliis. Nam Lutero, in-
quis, tanquam agricola bono sementem euangelii
faciente, subito Turcarum impetus quodammodo cō-
stitit seseque suis finibus tenuit. Rectè tu qui dem

Lutherum euangelij sui sementem in Germania fecisse scribis, quia Lutheri euangeliū non Christi fuit. Sui enim euangelij sementem Christus tot ante Lutherum seculis etiā in Germania fecerat. Videamus tamen quantas vires ad cohibendum Turcici furoris impetum Lutherani euangelij sementis habuerit. *Quis illud Lutheri dogma ignorat. Gerere bellum contra Turcas nihil esse aliud, quā repugnare Deo visitanti, seu flagellanti nostras iniquitates per illos.* O egregiam sementem ad reprimendum furorem Turcicum, quam & alio in libro sibi augendam putauit. Itaque addidit. *Concilia omnia & conuentus principum Germania. Deo permittēte, & principes irridente ad id vsque tempus à diabolo gubernatos fuisse & impeditos, idque non aliam ob causam quā ut ipsius articulus de non bellando contra Turcas à Leone decimo damnatus, indemnatus efficaxque permaneat.* Et explicationem articuli 34. his verbis concludit. *Qui habet aures audiendi audiat, & à bello Turcico abstineat, donec Papa nomen sub celo valeat.* Dixi addendum erat, post pauca. Et eodem, loco eos qui bellum aduersus Turcas suscipiendum suadebant comparat cum prophetis Baal, se verò Micheā prophetā facir. *Quid ergo dicam, inquit, quando hic video plus quam quadringentos prophetas Baal suū achab circumstare, & ut ascendat in Ramoth Galaad suis prophetis animare, & omnia prospera ei nunciare? forte sicut Micheas, qui & ipse odiosus erat, qui a nō*

Lutherus
art. 34.

Lutherus
in libro de
bello cōtra
Turcas.

Luth. in
expl. art. 34.

3. Reg. 23.

prophetabat nisi malum, dicam & ipse meo Achab, ite praeliamini contra Turcas, ut resistatis virgæ Dei, & cadatis, sicut & ille cecidit. Hæc Micheas ille Saponicus, cui si fidem principes Christiani adhibuissent, Turcarum iam mancipia Christiani essemus. Iam quod de Vienna à Turcarum obfidione Lutheranorum copiis defensa scribis, vanissimum est. Constat enim illius exercitus Christiani præcipuos duces vt de militibus catholicis nihil dicam, à Lutherano dogmate vel maximè abhorruisse. Et certè si qui ibi Lutherani fuerunt, euangelistæ suo non satis obtemperarunt, qui Turcico furori haudesse resistendum docuit. Addis deinde. *Nulli plus Turca debent quam Pontifici.* Hocque paulo post præclaro argumento confirmas. *Quousque imperii prouincia, ac ditioes coniuncta erant, suimus cōtra Turcas satis firmi, at post quam Leo papa tertius imperium diuulsit, ac discepit. Constantinopolitanus Imperator, qui prius agrè potuit Turcis resistere, tū plane imperii maxima parte diminutus succubuit.* Quo loco quam Campiano tribuis *αυιστο-προσλα* tuam esse demonstras. Neque enim amissi Orientis imperii ea causa fuit quam tu imperitissime reddis (Id enim sexcentis & eo amplius annis postea contigit) sed quia tum Græci, & natura imbelles erant, minimeque imperio administrando apti, & rerum nouarum cupidissimi. Neque Græcorum imperio Leo quicquam detraxit, vt tu

curpiter hallucinatis, sed iis occidentis prouinciis quas Græci sua ignauia, vel amiserant, vel Barbarorum prædæ reliquerant, Imperatorem designauit: vt non diuifisse imperium, sed conseruasse potius, ac muniuifisse dicendus fit. Nifi enim diuina prouidentia, piâque pôtificis cura ac diligentia id factum fuiffet, nulla iam Romani imperij uestigia superessent. Et certè si quis vnquam imperator Saracenos aliosque barbaros Christiani nominis hostes bello atque armis coercuit, is dubio procul Carolus magnus fuit. Ac ut multa hic à Romanis pontificibus pro Christianæ religionis amplificatione contra infideles foeliciter gesta silentio præteream, vnus nobis Urbanus secundus ad tuam impudentiam ostendendam sufficiet, cuius grauiffima cohortatione ita principum Christianorû animi in fidei hostes exarserunt, vt relicta patria, ac parentibus, iisque omnibus, quibus nihil in hac uita charius esse solet, in Asiam tanto cum exercitu profecti sint, quantum Europa nunquam antea suppeditarat. Quamuis enim Christianorum militum infinita propemodum multitudo variis cladibus deleta fuerit, collatis tamen in Bythinia castris, lustratoque exercitu, peditum quidem sexcenta, equitum uerò centum milia ad pugnam expedita superfuere, à quibus post varios labores, frequentesque uictorias de hostibus reportatas, tandem palæstina subacta est. cu-

Guilielmus
Tyrius in
bello Sacro.

ius gratia iter tam arduum ac difficile aggredi nõ dubitarunt, expulsiisque Saracenis loca sancta honori pristino restituerunt. Quis uero non legit uarios tunc Christianorum militum ordines institutos, à Romanis pontificibus confirmatos, principum liberalitate diuitiis auctos, quorum armis Christiana respublica à Turcarum tyrannide hæcenus defensa est, non certè Lutheranorum uel Caluinianorum quorum ne nomen quidem adhuc in Christiano orbe auditum fuerat. Et ramen audes ita scribere Vvhitakere. *Nulli plus Turca debent quam Pontifici.* Et rursum: *omnia pontificis Romani cum Turcarum rege commercia longum esset commemorare.* Hic tuus est, ut sæpe iam dixi, tergiuersandi mos, ut cum nihil possis, miris tamen modis te efferas. Nam & hostium certè nostrorum testimonio satis constat, nullo vnquam fœdere Romanum pontificem cum Turcis coniunctum fuisse, quin omnia potius aduersus illos bella, hortantibus ac quo ad poterant iuuantibus pontificibus, fuisse suscepta. Quis uerò singularè in te superiorum temporum historiæ cognitionem non admiretur, cum scribis imperatorem constantinopolitanum ante diuisum à Leone pontifice imperiû egrè turcis resistere potuisse? non enim nisi aliquot post seculis Turcarum imperium cæpit, & si alij hostes minimè defuerunt. Neque minus profecto mirum ex tot Lutheranorum ac Calui-

nianorum myriadibus, qui tum in vestris illis ecclesiae tenebris latuerunt, neminem in lucem prodiiisse qui perniciosam Christianae reipublicae hanc imperii diuulsionem futuram ostenderet. Nimium tu Vvhitakere serò venisti, qui id nobis indicares. Superest igitur, ut cum à Turcis oppugnata respublica Christiana non nisi nostrorum opera, id est catholicorum incolumis seruata sit, Turcas ac Saracenos qui se Christianorum hostes profiterentur, non Lutheranis aut Calvinianis, quorum vix nomina audiuerunt, sed nobis infestos esse. Nos enim solos pro Christianis semper agnouerunt. Ac mihi crede Vvhitakere, si nulli essent praeter Calvinianos, ac Lutheranos, qui Turcarum armis ac furori obfisterent, nullo illi negotio vniuersam Europam miserima seruitute opprimerent. Acute verò Campiano respondisse videris, cum *Turcas & Saracenos Graecorum quam Latinorum grauiores fuisse hostes ais, ut si illi (inquis) optimi sint Christiani, quos Turcae pessime oderunt, & acerbissime tractarunt, vobis Graeci legem praestent. Quid hoc ad rem de qua agitur? Quamquam & haec responsio tuam inscitiam egregie prodit. Nam si consentaneum est, ut eos peius oderint, à quibus & plures, & grauiores clades acceperit, & qui eorum adhuc conatibus fortius obstant, quis non facile intelligit maiore Turcas, & Saracenos, latinorum odio quam Graecorum flagrare? Non est hic locus*

ea commemorandi, quae aduersus istos hostes Latini terra marique, non in Europa modo, sed & in Africa, atque Asia fortiter gesserunt, ut nisi Graecis opem Latini persaepe tulissent, multo illi citius in hostium potestatem venissent. Quin & Constantinus ille Graecorum imperatorum vltimus, quia Latinorum auxilio, ad hostes repellendos uti noluit, vitam cum imperio amisit. Pudere sanè te debuit in Britannia natum, cuius principes tot rebus contra turcas preclare gestis floruerunt, latinorum gloriae tantopere inuidere. reliquum erat ad Turcarum odium, non erga sectam vestram, sed erga nos demonstrandum: quod nihilo segnius, ut Campianus ait, altaria & signa crucis quam ipse Calvinus euertant. Hic tu cum facti similitudinem negare non possis, ex qua licet perspicere quam bene vobis cum mahumetanis conueniat, in haec verba respondes. *Quod autem de altaribus, & signis crucis interponis, tanta est idololatria vestrae ecclesiae, quantum & Turcae etiam ipsos pudere soleat. Equidem mihi audire videor veterem illam magorum, ac praestigiatorum vocem, qui cum incredibilem huius signi vim tories experti negare non possent, ne tamen veritati cederent, quod tu modo Turcis, idem illi demonibus tribuerunt. Cuius rei illustre profecto* Greg. Naz. orat. 1. in Iul. Theod. lib. 3. c. 3.

specie qua solent apparentibus, metus coegit
 „ Iulianum signo crucis frontem suam signa-
 „ re. Dæmones igitur dominici trophæi conf-
 „ picari figuram, & suæ ipsorum cladis recor-
 „ dati confestim euanuerunt. Tum prestigia-
 „ tor causa cur fugerent intellecta, Iulianum
 „ obiurgat, qui tum timorem in quo erat de-
 „ clarauit, & se virtutem crucis vehementer
 „ admirari dixit. Nam dæmones quoniam eius
 „ figuram ferre non poterant aufugisse. Cui
 „ præstigiator, ne, inquit, amabo te sic existi-
 „ mes, siquidem non ob eam causam quam tu
 „ affers formidabant, sed tuum factum detesta-
 „ ti, se ab oculis nostris remouerunt. Quod
 Naz. orat. i. quidem præstigiatoris responsum Nazian-
 contra Iul. zenus paucis complexus est. *Abominationi illis
 fuimus, non terrori. Vincit quod peius est.* An non
 tu idem nunc de Turcis dicis, non crucis eos
 terrore, sed horrore idololatriæ in crucis si-
 gna furere, vt & olim gentiles responderunt,
 cum dæmones quos colebant Christi nomi-
 nis vim ferre non possent, quemadmodum
 Arnob. lib. Arnobius testatur. Cuius, inquit, nomen au-
 10. aduersus ditum fugat noxios spiritus, imponit silen-
 gentes. tium vatibus, aruspices inconsultos reddit,
 „ arrogantium magorum frustrari effecit actio
 „ nes, non horrore, vt dicitis nominis, sed ma-
 „ ioris licentia potestatis. Verum quidquid tã-
 „ dem prætexatis, nihil aliud vtrique quàm
 „ dæmonis causam agitis, qui vos nulla re alia
 „ quam ipsius Christi odio, in crucem armat.
 Neque

Neque enim ferre potest, vt quibus in locis
 ipse dominatur Christi trophæum appareat.
 Sed nunc de hæreticis, quorum primus Cam-
 piano occurrit Symon Magus. Hic eripiebat
 homini liberam voluntatem, solam fidẽ per-
 crepabat: Quod dogma vtrumque vestrum
 est. Tu vt excusationem quæras. *Liberam, in-*
quis, voluntatem in omni re sustulit, nostrum dog-
ma nullum est huiusmodi. Scio equidem Philip-
 pum Melanchtonem cum prius Martini Lu-
 theri Stoicum dogma quo libertas omnis è
 rebus humanis tollitur mordicus defendisset,
 illius absurditate permotum in rebus mediis,
 quas indifferentes vocant, postea libertatem
 concessisse. Verum Caluini, cuius te discipu-
 lum profiteris, longe alia fuit sententia. *Qui*
huic doctrinæ, inquit, inuidiam facere voluit, ca-
lumniantur esse dogma Stoicorum de fato, quod &
Augustino exprobratum aliquando fuit. Nos & si
de verbis inuiti litigamus, sati tamen vocabulum
non recipimus, tum quia est ex eorum genere, quorum
prophanas nouitates refugere nos Paulus docet, tum
quia eius odio conantur grauari Dei veritatem. Dog-
ma vero ipsum falso nobis, ac malitiose obiectatur.
 Non enim cum Stoicis necessitatem commiscimur ex
 perpetuo causarum nexu, & implicita quadam serie,
 quæ in natura continetur, sed Deum constituimus
 arbitrum, ac moderatorem omnium, qui pro sua sa-
 pientia ab vltima æternitate decreuit quod facturus
 esset, & nunc sua potentia quod decreuit exe-
 quitur. Et paulo post quasi Augustini senten-
 tia

tia omnem contingentiam quæ ab hominum arbitrio pendet excludit. A qua sententia quam vehementer Augustinus abhorruerit supra satis ostendimus. Frustra ergo si Calvinianus es, tuum esse hoc Symonis Magi dogma negas, cum adeo Calvinus, omnem e rebus libertatem sustulerit, ut necessitatē Stoicorum fato longè maiorem induxerit. Quis enim non intelligit, si quam rebus necessitatem Dei voluntas imponit, longè eam efficaciorē esse debere, quam quæ ex causarum naturalium seriè, nexuque proficiscitur? Solum etiam fidem Symon percrepabat, operaque bona nihil ad salutem prodesse aiebat, quod vestrum quoque dogma esse negare omnino non potes, excusas tamen ingeniosè. Ille, inquis, quod gratia ac fide iustificamur, habenas omni turpitudini ac scelere remittebat. Quid verò Lutherus vester aliud prædicauit, cum, si quis credat, nihil ei peccata obesse posse scriptum reliquit? Et quid tu ipse aliud prædicas, cum omnia christianorū opera peccata esse, deoque inuisa doces? Simonem Nouatus hereticus apud Campianū sequitur, Antipapa Cornelio pontifici Romano, hostis sacramentorum pœnitentiæ & Chrismatis. Quid hoc ad nos, inquis, pœnitentiæ hostis fuit, quia lapsis pœnitentiā & veniā negauit, nostra alia causa est, quia nullum quem verè pœnitet à veniā excludimus. At neque Nouatus propterea pœnitentiæ hostis ab ecclesia iudi-

Ireneus lib.
1. cap. 20.

Luth. de ca
pitiuit. Bab.

catus est, quod à veniā quenquā excluderit, sed quia pœnitentiæ sacramentum, in quo sacerdotes peccata remittunt, sustulerit. Omnibus vbique ecclesiis scripsit literas, inquit de eo Socrates, uti eos qui simulachris immo Socrates li. lassent, minimè ad mysteria admitterent, sed 4. cap. 23. hortarentur ad pœnitentiā, remissionemque permitterent deo, qui potest & habet potestatem peccata remittendi: Et de Nouatianis Ambr. Aiunt se domino deferre reuerentiam cui soli remittendorum criminum potestatem referuent: totisque duobus illis de pœnitentia libris contra eos ostendit, etiam sacerdotibus Deum peccata remittendi potestatem concessisse. Atque ut Cyprianum hic, Pacianum, reliquosque Nouatiani dogmatis expugnatores omittam, quæ fuerit Nouatianorum hæresis ex Acefio episcopo Nouatiano audi, qui ab Imperatore Constantino interrogatus, cur cum eadem sentiret quæ cæteri episcopi, ab eorum se tamen communione segregaret, in mediū protulit, inquit Sozomenus, dissensionē quæ regnante Decio inter Nouatum & Cornelium intercesserat, & quomodo qui post baptismum peccato illo, quod peccatum ad mortē sanctæ scripturæ vocant, se obstringerent, mysteriorū communione indigni essent. nam non in sacerdotum, sed in folius Dei potestate situm esse illud peccati genus ignoscere. Iam de Chris-

Amb. lib. 1.
de pœn. ca.

Sozom. lib.
1. cap. 21.

matis sacramento, quod illi suslulerunt, nihil respondes, nec mirum. Summa enim rei perspicuitas, impudentiam tuā quāuis alioquin maximam superauit. Ad Manichæos igitur venio, qui, vt Camp. ait, dicebant baptismum salutem non conferre? *Baptismum iis qui fide carent, inquis, negamus conferre ex opere operato gratiam. At illi baptismum omnino suslulerunt. Sumisue similes? Immo, verò simillimi, quia baptisino omnem prorsus peccata remittendi, ac conferendæ gratiæ vim & efficaciam cum illis detrahitis. Quidquid enim præ te feras, iis tantum qui fide carent baptismum gratiam non conferre ex opere operato, re ipsa tamen iis etiā qui fide sunt præditi ex opere operato gratiam cōferre Caluiniani omnes pernegatis. Aerius sequitur, qui preces damnabat pro mortuis, confundebat episcopis sacerdotes. Aerium, inquis, Epiphanius & Aug. in hæreticis numerant, sed præter hos antiqui pauci. Immo omnes antiqui quotquot de Aerio quicquā scripserunt: Et tu sanè per quam ridiculus es, si Epiphanio quemquā antiquiorem huius rei restem desideras, cum eadem fere ætate uterque vixerit. Cumque ea quæ Epiphanius atque Aug. de hæresibus scripserunt, omnium catholicorum iudicio probata sint, nunquā certè efficias quin eorum iudicio Caluiniani hæretici sitis. Quod verò Hier. scribis Aerij probasse sententiā dū presbyteros iure diuino episcopis æquales esse statuit, falsissimum esse supra ostendi. Sed valde tibi oculus vi-*

deris, cū non Aerium illum, sed Aetiū atheū fuisse appellatum obseruas. Debueras sanè eadē diligētia appellationis huius causam ex historia obseruare, nimirū quia cū esset rudis, & parū in sacris literis exercitatus, veterū omniū scriptorū interpretationes reiiceret, quod à vobis nunc fieri videmus, quibus nō minus rectè Aetij hæc appellatio, quam Aerij hæresis tribuitur. Vigilantius, inquit Camp. habitus est hæreticus quia diuos orare non ferebat, & Iouinianus quia virginitatem nuptiis æquiparabat. Respondes, *Vigilantium te & Iouinianum nec defendere, nec certè magnopere accusare.* Acute sanè. Horum enim dogmata si defenderes, veterem ecclesiam vniuersam hæreseos damnare: Si vero accusares, magnam nimis Gebennensi Synagogæ, cuiuste filium profiteris, erroris notā inureres. Sed nihil his ambagibus proficis V whitakere. Alterū enim facias necesse est, vt vel cū veteri ecclesia hæreticos illos pronuncies, vel vniuersam ecclesiam hæreseos damnes. Neque est quod hic à nobis postules, vt eos cōtra scripturas aliquid docuisse conuincamus, cū hoc totius ecclesiæ iudicio iam olim sit præstitutum, quæ certè scripturas ignorare non potuit, de quibus & nos supra, cum de hac hæresi ageremus, satis multa ad tuam impudentiam ostendendam diximus, Hieronimum deinde tacite mordes. *Hieronymi iracundia, inquis, tantum valere non debet, vt quemquam hæreticum faciat.*

Socrates li.
 2. cap. 28.

Pium videlicet ac religiosum sanctissimi viri zelum iracundiam vocas, qui si ob vnam heresim in istos ita exarsit, quibus te coloribus Vvhitakere ac tuos depinxisset, quorū secta nihil aliud quā omnium fere hæreseon colliuies est. Vigilant. tamē ac Iouinianū nulla certē Hieronymi iracundia, sed quæ illi contra ecclesiam dogmata defenderunt hæreticos fecere. Iā de Pelagio, Nestorio, Eutyche- te, Monothelitis Iconomachis: quos omnes à nostrē ecclesie præsulibus desciuisse, ab illis euietos & exinanitos Camp. dixit. Tu cū nihil hic negare possis, tamen iconomachos in iuria damnatos quereris. *Hi autē postremi, in- quis, nihil admiserunt, quanobrē pro hæreticis haberentur.* Quasi qui ex aliis illis heresibus aliquam ab inferis modo reuocaret, non eodē quo tu iure, parique impudentia ecclesie catholice sententiam iniquā esse dicere posset. Imagines vero catholici ita colimus, vt ab omni idololatriæ, aut superstitionis suspicio ne longissime absumus. Quod me supra satis ostendisse non dubito. Sed vestros iā Patriar- chas apud inferos relinquamus, & terras mē- tis oculis cū Camp. lustremus, in quib. quid- quid est testiū fidei nostræ seruit, siue Patriar- chas intuemur, & sedes apostolicas, vt ille di- xit, siue antistites cæterarū gentium, siue re- ges, siue principes, siue aliud quoduis vetu- statis indicium. Quod cum adeo certū esse ac manifestum cerneret, vt nullis omnino argu-

mentis à te posset refelli, præclare te functum officio putas, si pro firma respōsione insulsū scomma lectori obrudas. Sed opinione tua longissimē falleris, si in re tanta tā leuibus nu- gis vlli te erudito homini satisfacturum existi- mas. Quod enim, vt alia omittam, clarius esse testimoniū potest, quā quod de romanæ ecclesie successione Camp. protulit, in qua teste Aug. semper apostolice cathedre viguit principatus. Hoc cum te vehementer vrgeat, nec vlla tibi elabendi ratio suppetat, tandem ipsa vi veritatis compulsus, *Non nego, inquis, illam summam, primariam, præcipuā, maximā prin- cipē ecclesie esse habitā.* Quidni igitur vvhitake- re qui huic ecclesie præest, eū cæterorū præ- sulū maximū esse adeoque principē, ac sum- mum sacerdotem fateris? *At id, inquis, Aug. ipse in Carthaginensi concilio vetuit, ne primæ sedis episcop. princeps sacerdotū diceretur, aut tali aliquo nomine appellaretur.* O crassā Vvhitakere igno- rantia tuā! qui primæ sedis episcopus quis ap- pelleretur nondū didicisti. nā vt ex Clemēte, & Anacleto aliisque satis constāt, iidē veterib. sunt primates, & primæ sedis episcopi. Nulli archiepiscopi, inquit Auicetus, primates vo- cētur, nisi illi qui primas seder tenēt. Vnde & in Africa plures erant primæ sedis episcopi vt Mauritaniæ Sitifensis, Numidiæ, & aliarū prouinciarum. Et in eodē carthaginensi cō- cilio cautum legimus ne episcopi trans ma- re profiscātur, nisi cōsulto primæ sedis epif-

Aug. epist.
16. 2.

Dist. 80. &
dist. 99. c.
Nulli.

copo, siue cuiuscūque prouinciæ primare, vt ab episcopo præcipuè possint sumere formatā, vel commendationem. Ac iure quidē & merito primæ sedis episcopum principem sacerdotem vocari patres vetuerunt. Nec enim omnino princeps sacerdotum est, qui se superiorem aliquem habet. Quod vero nomē summo sacerdoti tribui potest, si etiā minores summi dicantur? Nihil ergo ad Romani pontificis auctoritatem labefactandam hic canon pertinet, quin porius eam vehemēter confirmat. Propterea enim sic appellari primates, patres vetuerunt, quia vt in Romana ecclesia apostolicæ cathedræ principatum semper viguisse non ignorabāt, ita soli Romano pontificis summi sacerdotis nomē conuenire non dubitarunt, quo maior est tua impudentia, cum Romani pontificis auctoritatem nunquam à patribus illis agnitam fuisse clamas. Qua de re supra satis diximus. Iam ne longum faciam, plurima Campianus catholice fidei testimonia ex disiunctissimis terris, innumeris ad Christi fidem couersis nationibus, florentissimis christianorum academiis, legum tabulis, moribus hominum, Cæsarum regumque ritibus, ac inunctione, aliisque rebus prope innumeris vndique collegit, quibus nihil tu certi quod respondeas habes, sed modo falsum à Campiano affirmari, modo vt verum diceret, nihil vestræ causæ obesse clamitas. *Græci*, inquis, *quorum nullis temporibus*

ad hanc vsque ætatem interrupta successio fuit Episcoporum, vestram fidem auersantur. De interrupta apud Græcos Episcoporum successione frustra equidem hic differerem, cū ad hanc disputationē nihil pertineat. Quo enim tempore schisma illi primum fecerint, seseque ab ecclesia separarint supra ostendi, quale nihil à vobis de Romana ecclesia ne leuissimis quidem indiciis vnquam proferri poterit. Et in hodiernum diem dogmata illi vestra tanquā hæretica aspernantur, nobisq; aduersum vos argumenta suppeditant. Addis deinde apud indos plurima fidei vestræ monumenta reperta. *Novarum*, inquis, *terrarum exploratores multa passim in extremis oris eius fidei quam nos defendimus monumenta reppererunt.* Longè profecto testimonia petis Vhitakere. In eo enim orbe quem hæctenus christiani incoluerunt, inuenire nulla potuisti. Sed quæ tandem fidei vestræ monumēta exploratores illi nouarum terrarum inuenerint silētio præteristi. Apud Osorium certè quem tu hic authorem citas, nulla inueniri certo scio, nisi fortè quod in illis locis homines vestri similes, id est, nulla profus religione imbutos inuenerint. Nunc cum celeberrimos quosque Aphricæ, Asia, Europæ episcopos magno numero Campianus recentuisset, tandēque sic conclusisset. *Christe, quid tibi causæ afferam quo minus me de tuis extermines, si tot luminibus Ecclesiæ tenebricosos homunculos, paucos in-*

doctos, dissectos, improbos, antetulero : respondes. Si tuos pontifices & illa quæ videntur esse apud vos egregia, ipso Euangelio antiquiora esse iudicabis, quid causa Christo afferes, quo minus te de suis exterminet, qui pluris aliquid quam ipsum æstimaris? Sed hos ille pontifices sanctissimos, cæteraque apud nos veræ egregia, non euangelio Vvhitakere, sed nouis vestris tenebrionibus anteferēda purauit. Tu verò Manicheorum more clarā esse apud vos veritatem quæ his omnibus præferri debeat perpetuò iactitas. Sed cum veritas argumentis demonstranda est, penitus obmutescis, nihilque præter inane veritatis nomen apud vos esse ostendis. Quid vero stultius, quam sprete autoritate pastorum ecclesiæ, quos Christus nobis dedit apostolo teste, ne circūferremur omni vento doctrinæ, vobis veritatem tantum pollicentibus credere, vt in eadē causa Manicheis Augustinus respōdit. Theodosios nunc, Carolos, Eduardos, cæterosque orbis christiani principes, fidei nostræ testes appellat, quem tu nominum tantum diuitias ostentare ais, vt Decium fortè tyrānum imitareris, qui christianos verbis tantum diuites per ludibrium dixit. Sed cum neminem ex his principibus Caluinianū fuisse ostēdere possis, non verbis tantum, sed re ipsa diuites nos esse fateris. Nullum ergo salubrius consilium potentissimæ Regine Elizabethæ dari à quo quā potuit, quam vt quoniam Caluinum & hos

principes vnū cælum capere non potest, illo spreto his se principibus adiungeret. Quod Campianus quidem optimo erga principem animo consuluit, quidquid tandem vos principi contra fuaseritis. An vero, quod tu affirmas, tam abundet bonis magistris, & monitoribus, nihil vt indigeat ea in re. Campiani opera, dies domini declarabit. Nos interim illud magis optamus quàm credimus. Ad dis. Id sibi nouit Regina Elizabetha diuinitus esse datum, vt ecclesiæ nutrix & alumna sit. Et nobis certè nihil esse gratius, nihil oprabilius potest, quam vt illa ecclesiæ legitima sit, veraque poterit, quādiu mendaciis decepta vestris Galuini hæresibus autem præbuerit, quas veteres illi imperatores, reges, ac principes christiani, ὡνήσιοι profectò ecclesiæ filij, atque alumni, vel penitus ignorarunt, vel summo perè sunt auerfati. Quos omnes, si tu veros ecclesiæ Christi nutricios fuisse neges, vt hoc elogium reginæ tuæ tribuas, (vtriusque enim tam contraria præsertim sequētibus, conuenire nullo modo potest) Seruatori nostro Christo iniuriam sane grauissimam facis, & Optat. li. 2. quod olim de patribus vestris Donatistis contra Par-Optatus ille Mileuitanus conquestus est, vt men. Christo vnciam concedas rotam illi libram auferre conaris, frustra ergo Romano Pontifici insultas, quem nullis machinis ais Caluinum è cælo posse detrahere, quamquam

& hoc loco verius quàm putaras loquutus sis. Quis enim illū è cælo detrahat, qui nunquam in cælo fuit? Nam cū ea sola sit in cælū via, quam maiores nostri quos supra Campianus recensuit, constanter tenuerunt, no- uam vero Calvinus, & vt de Manichæis quō- dam Augustinus dixit, sacrilegam sibi in cæ- lum viam excogitarit, quomodo ad super- nas illas sedes peruenire vnquam potuit? Ti- bi profectò Vvhitakere multo maiorib. ma- chinis opus erit, quibus eum ex profundissi- mo inferni barathro extrahas. Reliqua nunc videamus. *De te*, inquis, *tuoque sodalitiō quod subiūgis Campiane, nos tibi non crucem sed salutem optamus.* Et hoc quidem tam verum est, quàm cætera quæ hactenus Campiano respondisti: cui crucem & crudelissima quæque supplicia non optastis modo, sed etiam procurastis, imò vero à regina vestra quantumuis ad clem- entiam natura propensa extorsistis: & quod omnium acerbissimum est, innocentissimum hominem iam mortuū falsis criminibus ne- fa-riè onerastis. Sic vos salutem nimirū opta- re soletis. De nostra vero Societate addis. *Illam autem Iesu Societas, in quam tu ascriptus es, totam se pontifici maximo venditat, vt quia Gregorium decimum tertium, tanvehementer diligit, Elizabetham non nimis diligere possit à Gregorio tam valde alienam.* Elizabetham quidem reginam à Grego- rio vos vestris mendaciis, quantum in vobis fuit alienastis, sed ab ea tamè Gregorius adeo

non est alienus, vt illius salutem modis omni- bus exoptet, atque ex animo doleat eam ab auita maiorum suorum religione, nouis ve- stris enthusiasmis abductam tamdiu extra ec- clesie caulas errare: in quam si pastorali au- thoritate sedes apostolica aliquando vsa est, illud quoque non nisi ex amore profectum videri debet. Nam vt eleganter olim Augu- stinus, tunc etiam pastor ouem diligit, quan- do aberrantem flagello ad caulas reuocat. Nostra ergo Societas Vvhitakere non quia Gregorium amat, odit Elizabetham, sed quia illum amat pro huius salute, se suosque fu- rori vestro, ac crudelissimis suppliciis quoti- die obiicere non recusat. Oras iam omnes plagasque mundi, quibus euangelica tuba post Christum natū insonuit, nostræ religio- nis testes Campianus adduxit. Hic tu incer- tus quid agas in omnem te partem vertis. *Debusse*, inquis, *Campiane recentiora ab anti- quis distingere.* Minimè verò Vvhitakere, sed tuum erat ex antiquis aliqua saltem proferre quæ Campianum latuissent, quæque recetio- ribus essent contraria, ac fidem vestram Ge- bennensem confirmarent: Quod cum præ- stare non possis tritam illam Donatistarum, aliorumq; veterum hereticorū viam ingre- deris. *Vt enim*, inquis, *orbis terrarum vniversus cum tuo pontifice contra Christum coniuravit, id om- nino nihil, aut pro vobis, aut contra nos valet. Qui enim ab euangelio recedit is ab ecclesia necessario se- paratur.* Quāto rectius dixisses ab euangelio eos

longissimè recedere, qui vniuersum orbem contra Christum coniurare aliquando posse affirmant! Quid enim hoc est aliud quam Christi regnum perpetuum fore contra tot prophetarum otacula, negare? ô miserrimos Calvinianos! qui fidem suam aliter defendere non possunt, quàm si & suum Christo regnum, & orbi Christiano fidem eripiant! Si enim sic voluntate vestra, vt cum Optato locôtra Parm. quar Mileuitano, in angustum coarctatis

» ecclesiam, si vniuersas subducitis gentes, vbi
 » erit illud quod filius Dei meruit? vbi erit
 » quod libenter ei largitus est pater? Dabo tibi
 » gentes hæreditatem tuam, & possessionem
 » tuâ terminos terræ. Vt quid tale infrin-
 » gitis promissum, vt à vobis quasi in quendam
 » carcerem mittatur latitudo regnorum? quid
 » tantæ pietati obstare contenditis? Quid con-
 » tra Saluatoris merita militatis? Permittite
 » filium possidere concessa, permittite patri
 » promissa complere. Cur ponitis metas? cur
 » figitis limites? cum à Deo patre Saluatori to-
 » ta terra promissa sit. Nō est quicquam in ali-
 » qua parte terrarum, quod à possessione eius
 » videatur exceptum. Tota est donata terra, cū
 » gentibus totius orbis. Christo vna possessio
 » est. Hoc probat Deus qui ait, Dabo tibi gen-
 » tes hæreditatem tuam, & possessionem tuam
 » terminos terræ, & dominabitur à mari vsque
 » ad mare, & ad flumine vsq; ad terminos ter-
 » ræ: Pater dum donat nihil excipit. vos vt cō-

Optat. li. 2.
cōtra Parm.

Pfal. 2.

Pfal. 71.

cedatis vnciam totā libram auferre conami-
 ni. Et adhuc nitimini suadere hominib. apud
 vos solos esse ecclesiam, auferētes meritum
 Christo, negantes præstitutum à Deo. O, ves-
 tra ingrata, & stulta præsumptio! Christus
 vos cum cæteris in societatem regni cælestis
 inuitat, & vt cohæredes sitis hortatur, & vos
 eum in hæreditate sibi à patre concessa frau-
 dare laboratis, dum Africæ (Angliæ) partem
 conceditis, & totum terrarum orbem, qui ei à
 patre donatus est, denegatis. Non ignoro quā
 tu hoc timidè affirmare soleas. Itaq; vt duas
 tibi elabendi vias faceres, modo nihil con-
 tra vos facere ais, etiam si orbis terrarum vni-
 uersus contra vestrum euangelium coniu-
 rarit, modò factum esse, quasi cantata pali-
 nodia negas, & tamen adeò tibi quod re-
 spondeas nihil occurrit, vt Campiano oras
 omnes, plagasque mundi proferenti, ne an-
 gulum quidem vnum Calviniana religio-
 ne imbutum obiicere potueris. Nestros fuis-
 se Campianus asseruit, qui idolis ora clau-
 serunt. Tu hic vererem nobis cantilenam, ro-
 ties & tam apertè confutatam renouas. Ac
 deinde, *ab Apostolis*, inquis, *virisque apostolicis*
idola olim deiecta sunt, & Dei regnū longè latèque
constitutum. hic tu mihi vnum, si potes, nomina Pa-
pistam, aut Iesuitam. Nihil est Vhitakere cur
 lirem hic nobis de nominib. rursum moueas
 de quibus antea abunde respondi. Id certum
 est eandem nobiscum religionem viros illos

Theod. lib.
5. cap. 20.

apostolicos tenuisse, qui idolis ora clauerunt. Constantinum dico & Theodosium, quorum alter idolorum templa occludi iussit, alter idola ipsa euerit. Quæ res apertior sanè est, quàm vt ab ipsis vestris centuriatoribus negari poterit. Nam cum de temporum doctrina ac religione scriberent, nihilque apud veteres illos qui tum maximo numero floruerunt scriptores, præter nostra dogmata inuenirèt, nostros eos fuisse vel inuiri testantur. Addis deinde. *Illi qui nunc apud Indos noua regna mouentur, non Christo, sed pontifici inserviunt, nec Christi regnum dilatant, sed Pontificis.* Rumperis nimirum inuidia, Christi regnum ita dilatari, vt ad gentes illas remotissimas nostra ætate penetrarit. Sed rumparis licet: nullum aliud populis illis Euangelium annunciatum est, quam quod à Christo atq; apostolis acceptum, in christiano hactenus orbe floruit. Quod & miracula tam multa tamque illustria abundè testantur, quibus illæ gentes ad Euangelij fidem adductæ sunt, & quorum viui adhuc testes plurimi existunt: quæ neque tu ignorare poteris, si illius historiæ scriptores legere libuerit, ex quibus etiam intelliges, vestri illius tenebricosi euangelij præcones aliquot, ad virus suum dispergendum, eo profectos, Christo illos populos miserante, re infecta Gebenam rediisse, vel redire potius voluisse, (Plerique enim, dum Gebenam meditantur, breuiori via Gehennam per medias vndas petierunt)

Centur. 4.
cap. 4.

tierunt) & dum ex eo populo quosdam à Christi fide quàm primum audierant, ad Calvinismum traduissent, resque ad arma tandem peruenisset, misso calitus igne deum pro catholicis pugnassee, & Calvinianos omnes, vt quodam Sodomæ & Gomorthæ incolæ, absumpsisse. Miro tamen consilio illos qui in India sunt, christianæ fidei præcones, pontifici Romano seruire aïs, vt postquam ex istis terris exaltus fuerit, locum ubi regnet à Lutheranis remotissimum præannuntiam. Sed mihi crede Vvhitakere, non est cur Lutheranorum vires sedes apostolica pertimescat, quæ iam toties de plurimis fidei hostibus, Luthero etiã longè fortioribus victoriam reportauit. Et Lutherus quidem iã crapula & ebrietate extinctus interit, meritaque perfidiæ pœnas dat: & illius quintum illud euangelium, diuisis in tot, tamque dissentientes sectas viribus languet miserimè, & magis in dies magisque hominibus vilescit. Sedes autem apostolica ita viget, ac floret: vt novos quotidie populos, noua regna Christi imperio subiiciat. Neque vero illius dignitati à Luthero ac Lutheranis omnibus quicquam esse periculi Lutherus ipse prophetauit. Nam vt Grego quoque, inquit, *prophetem semel, licet non audiat, quod scio, nisi Romanus pontifex redigatur in ordinem actum est de omni re Christiana: Et paulò post. At quis rediget eum in ordinem; Christus illustratione aduentus sui, & non alius. Domine quis credidit auditui nostro*

Luther. in
explicat.
art. 34.

qui habet aures audiendi audiatur. Pontificem ergo Romanum nunquam Lutherani in ordinem redigent, nisi pseudopropheta lutherus sit. Sed iam causa quasi deferta cum nihil Cápiano respōdere queas, Societatem nostram vniuersam inuadis, & Christum nos ais diuidere, quod dilemmate sane acuto concludis. *Est ne, inquis, aliqua Societas Iesu, certo euidē hominum generi propria à reliquis Christianis seimēta? Si est, ergo diuisus omnino Christus est. Si non est, vos nimium audaces Iesuitæ, qui nouam sectam excogitastis.* Perinde ac si hunc in modum differeres, Sunt ne aliqui christiani milites ad fidei hostium arma furoremque comprimendum instituti, qui equites Spiritus Sancti vocantur? Si sunt, ergo diuisus est omnino Spiritus sanctus. Si non sunt, nimium audax christianissimus Galliarum rex, qui nouā militū societatem instituit. Quis hic non facillē respondeat, omnes quidem christianos equites Spiritus sancti, adeoque totius Trinitatis equites esse, quibusdam tamē id nominis esse impositum, quia se Spiritui sancto singulari quadam, propriāque ratione dicarunt? Quis non statim intelligat, non ideo nomen hoc illis esse tributum, vt à Sanctissimi Spiritus Charismatibus cæteri omnes Christiani excluderentur, sed vt sui instituti memores, quod sunt, illud se esse palam profiterentur, semperque præ oculis Spiritum sanctum haberent. An tu propterea Spiritū sanctum diuisum esse pronuntiabis? Hoc si feceris hel-

leboro te certè curādum, omnibusque Hippocratis vinculis ligandum censeo. Est autem Societatis nostræ ratio non dissimilis. Tamen enim ad Seruatoris nostri Societatem, quotquot in ecclesia sunt Christiani pertineant: certī tamen homines hoc sibi præ cæteris nomen elegerunt, vt Societatis Iesu dicerentur, quia se huic nomini propagando, & pro viribus illustrando, longēque ac late diffundendo totos consecrarūt. Nimium ergo malitiosus es Vvhitakere, si ob hanc causam diuisum esse à nobis Christum dicis, nec minus certè hebes & obrusus, si tuo illo dilemmate hoc te conclusisse existimas, cum vel pueri intelligant christianos omnes, in varios licet ordines distributos, variisque nominibus insignitos, eundem Christum Iesum, eadem fide ac religione colere, neque nominum varietate Christum vllō modo diuidere. Quod si externo exemplo nondum satis intellexisti, domesticum accipe. An non Christi vos collegium in Academia Oxoniensi habetis? Quid igitur? num Christam propterea diuidere Oxonienses censendi sunt, aut collegia alia, Christi esse collegia negare? Nihil ergo tuo dilemmate insultius, nihil absurdius, nihil ad id quod volebas probandum ineptius dici potuit. De quo pluribus non disseram, cum non nostræ Societatis, sed ecclesiæ catholicæ causam hinc tuear. Tu si plura desideras, quæ de hac re

Fránciscus Turrianus Societatis nostrę theologus Bouquino vestro apostatę doctissime respondit perlege. Ad rem nunc redeo. Vera nos Christum religione colere firmissimo argumento Cápianus demonstrauit, quod hanc illi tenuerint, qui ex omnibus christiani orbis partibus, impium idolorú cultum, sustulerúnt. Verus enim ille Christus est, inquit, quo Dagon inuecto cernices fregit. Hic tu mirificę exultas, & *Hoc quidem*, inquis, *valde placet, cū primum enim Christus euangelio suo comitatus pedē vsquam posuit, vestri Dagonēs sine mora corruerunt, & crura, ac brachia, ac cernices fregerunt.* Ego verò nihil hic video cur tibi hęc optio tantopere placere debeat. Nam si Christi & sanctorú imagines, vt tu blasphemās, Dagonēs sunt, nunquam profecto Christus euangelio suo comitatus pedem hæctenus in orbe fixit. Sæper enim à primis ecclesię nascentis temporibus sacras imagines in orbe christiano extitisse, supra ostendimus. Quin & Dagonēs isti de iconomachis omnibus, parentibus scilicet vestris, victoriã reportarunt, sæpissimeque euenit, vt cū in sacras imagines fureretis, ex sacrilegis aliquot suo illę casu contererent, Deo facinus tam impium palam vindicante. Sed ineptę admodum hic tu nobis imaginum mentionem ingeris, cū id nunc solum agatur, vtra demum religio, vestrane, an catholica ex Paganis infidelibus christianos effecerit. Hic tibi si quid posses respon-

dendum erat. Sed nihil quod desperatam iuuare causam posset occurrit. Addis deinde, *Quales autem Patricius apud Hybernos, Palladius apud Scotos fuerint, non persequar*: Prudenter certę. Id enim si faceres, causam ipse tuã sciēs ac prudens oppugnares. Quis enim nescit patricium à Cælestino pontifice Romano episcopum Romę creatum, atque ad Hybernos missum, singulari vitę sanctimonia, multisque miraculis claruisse, gentemque illam totam ad Christi fidem conuertisse? Quo testimonio quodnam aliud illustrius aduersus vestrās hereses afferri potest? Vel enim christiani hæctenus Hyberni minimę fuerunt, vel ea certę christiana est fides, quam Patricius, Romę præsul creatus, & Romani pontificis auctoritate missus, illi populo prædicauit. Atque huic Patricio Palladium certę Episcopú Scoti debemus. Ille enim Scotus cū esset, & in fide catholica educatus, suamque cerneret patriam Pelagiana hæresi paulatim inquinati, ad apostolicam sedem, vt moris semper in ecclesia fuit, fidei zelo accensus proficiscitur, quo laboranti patrię opem à summo ecclesię totius pastore imperraret. Quã ille quidem sui memor officij, paterna sollicitudine sedulo præstitit, missó in Scotiam palladio viro sanctissimo, vt gentem nostram à Pelagiana hæresi tueretur. Quem cū nostrates, multo antea christianam fidē edocti, à Rom. pontifice missum tanta obseruantia

Hector
Boet. lib. 7.
hist. Scot.

Maior. lib. 2
cap. 2. hist.
Scot.

coluerint, dubitare nemo potest, nō nouā ab illo fidē in Scotiā fuisse inuectam, sed quam longa iā annorū seriē quasi per manus traditam acceperant : cuius antiquissimi doctores patrio tunc vocabulo *C V L D I*, id est, dei cultores appellabantur, vt historiae nostrae fidem faciunt : Neque verò Palladij charitas Scotiæ finibus sese cōtinuit, sed repressā hære sipelagiana & ecclesiastica disciplina in melius murata, Seruanum ille episcopum creauit, atque ad Orcadas insulas euangelij luce collustrandas misit. Ex quo nunquam Scotiæ defuit legitima Episcoporum successio, qui receptam ab initio fidem commissum suae curę populū docuerunt. Mox enim Kentigernum virum sanctissimum Sermanus Palladij discipulus, sacro baptismatis fonte abluit, qui postea Glasguensis ecclesię præful creatus, illo munere summa cum laude functus est, cuius legitimi successores etiam in hodiernum diem sedem illam tenuerunt. Nam & hodie diuino nobis munere, maximoque afflictissimæ principis, ac patriæ commodo superest Iacobus Etonius, Archiepiscopus Glasguensis Serenissimæ Scotorum Reginæ apud Christianissimum Galliarum Regem legatus, non minus illius fidei quam Kentigernus tenuit, quam sedis verus hæres, successorque legitimus. Illum Calvinianus furor patria pulsum, fortunisque in ea omnibus exutum, corpore quidē à suo grege auulsi, animo tamen ac voluntate auellere nun-

quam poterit. Ac mihi quidem rem hanc cū animo meo sæpe reputanti, summa dei bonitate ac clementia factum videri solet, vt vir tantus è cruentis Calvinianorum manibus ereptus, veluti semen quoddam pristinæ pietatis, ac Scotorum virtutis conseruaretur: essetq; qui non vnus modo Archiepiscop. sed totius etiam Scotorum gentis catholicas reliquias, quæ ex tam miserando fidei naufragio superessent, tāta cura ac sollicitudine colligeret, tanta charitate foueret, tam profusa denique liberalitate sustentaret. Quin & in Dunkeldensi sede, etiā hodie sedet Robertus Creichtonius, cuius viri constantia in retinenda catholice religionis integritate, inter tam diras ministrorum vestre secte minas, tamque diuturnos larratus, cuius animi magnitudo in contemnendis pro Christo amplissimi sacerdotij opimis prouentibus, cuius admirabilis fortitudo roburque animi inuictum, in perferendis sæpe carceribus, summæque paupertatis incōmodis, cum heroicis prischorum etiam confessorum virtutibus comparari meritò potest, qui cum hospitalitate, atque in pauperes liberalitate nemini cederet, ex opulentissimo diuite, vt de rauiliquondam episcopo August. dixit, voluntate pauperrimus, non suis modo ouibus, sed & omnibus in Scotia catholicis constantiæ exemplum præbet singulare. Et in dumblanensi cathedra etiamnum sedet Guilielmus.

Aug. li. 1. ca.
10. de ciuit.

Chesolmus episcopus, cuius in fide constantiâ, atque in Patriam & Principem pietatem ferre non potuerunt, qui in catholicam religionem, & clementissimam principem ea que nunc patimur mala moliti sunt. Quid de Ioane dicam Lesſeo Rosſensis ecclesie præfule dignissimo: cuius eruditionem & in patriæ monumentis posteritati commendandis diligentiam editi ab illo libri, in religionis verò, ac Principis defensione constantiam ferales etiam illi vestri carceres Londinenses abundè testantur. Quid de Aberdonensi sedecuius episcopus ad sua vsque tempora hector boetius edito etiam de hac re libello eleganti recensuit. Quid denique de aliis in Scotia episcoporum sedibus, quarum præfules multa à vestræ sectæ hominibus, ac dira perpeſsi, in catholicæ ecclesie unitate ad extremum vsque spiritum omnes perſiterunt, nulla ut eorum ouibus superesse queat tantæ leuitatis excusatio, cum pastoribus ad unum omnibus hæresim tam constanter detestantibus, suoque ad id exemplo eas hortantibus tam facile ab auita religione defecerunt, & in verorum pastorum locum rapacissimos sibi lupos asciverunt. Ad Aug. nunc Anglorum episcopum venio, de quo tu. *Aug. quidē ille monachus est si bona multa attulit, nonnulla tamen etiā mala ac superstitiosa aduexit. Id satis constat, ante hunc Aug. fidem Christianam multis seculis in Britania viguisse, quā ille suo ad uetū peiorē in meliorem effecerit non dicā.* Ingratus valde es Vvhitakere, dum Aug. Angliæ aposto-

lum tam grauius accusas, qui nullum pro vestræ gentis salute laborem recusauit, nec tu aliam eum fidem Anglos docuisse unquam ostendes ab ea, quam Palladius Scotos, & Hybernos Patricius docuit, quos viros sanctissimos, ne tu ipse quidem damnare audes. Et certe si quæ alia ante Augustinum fides in Britannia viguit, multaque ipse, ut tu ais, mala & superstitiosa inuexit, nemini dubium esse potest, quin veræ tum religionis cultores illius conatibus restitissent. At illi vel non restiterunt omnino, vel si quid aliter senserunt, non Augustinus sanè, sed illi ipsi omnium iudicio superstitiosi fuerunt. *Aug. ut longissime illos à Calviniana hæresi tum abfuisse, & Augustino penè in omnibus cōsensisse intelligas, Bedā consule: ex quo disces Aug. conuocatis Edilberti regis opera Britonum episcopis fraterna admonitione iis suauis, ut pace catholica secum habita communem euangelizandi gentibus pro Domino laborem susciperent. Quæ verò communem hanc animorum consensionem impederint, ex eodem Beda discere potes, apud quem hæc Augustini ad Britonum episcopos verba legimus.* In multis quidem nostræ consuetudini, immo vniuersalis ecclesie, contraria geritis, & tamen si in tribus his mihi obtemperare vultis, ut Pascha suo tempore celebretis, ut ministerium baptizandi, quo Deo renascimur, iuxta morem Romanæ, sanctæ, & Apo-

Bed. lib. 2.
histor. cap. 2.

Beda ibid.

stolicae Ecclesiae compleatis, ut genti Anglorum vna nobiscum praedicetis verbum Domini, caetera quae agitis, quamuis moribus nostris contraria, aequanimiter cuncta tolerabimus. Quod ille nunquam dixisset, si vel de Missae sacrificio, vel de hominis iustificatione, vel purgatorio, vel vilo denique fidei dogmate aliter Britones quam Romani sensissent. In his enim vniuersali ecclesiae cum Augustino consentiebant, & si proprios quosdam ritus habebant, quos Romanae licet ecclesiae contrarios, tolerandos tamen ob pacis vinculum iudicauit. Quamuis & eo tempore plurimi insigni illius miraculo commoti patrios illos ritus deseruerint. Sic enim Augustinus apud

” Bedam, Adducatur aliquis aeger, & per cuius
 ” preces fuerit curatus, huius fides & operatio
 ” Deo deuota, atque omnibus sequenda cre-
 ” datur. Quod cum aduersarij, inuiti licet, con-
 ” cederent, allatus est quidam de genere An-
 ” glorum, oculorum luce priuatus, qui cum
 ” oblatum, Britonum sacerdotibus, nil curatio-
 ” nis, vel sanationis horum ministerio perci-
 ” peret, tandem Augustinus iusta necessitate
 ” compulsus flectit genua sua ad patrem Do-
 ” mini nostri Iesu Christi, deprecans ut visum
 ” caeco quem amiserat, restitueret, & per il-
 ” laminationem vnus hominis corporalem,
 ” in plurimorum cordibus fidelium spiritalis
 ” gratiae lucem accenderet. Nec mora illumi-
 ” natur caecus, ac verus summam lucis praeco ab

Beda lib. 2.
 cap. 2.

omnibus praedicatur Augustinus. Hunc tamen virum eruditione clarum, vitae sanctimonia conspicuum, miraculis illustrem, supersticiosum appellare audes? *Vixit, inquis, sexcentis a Christo annis, saeculo, ut ego iudico, non satis puro, ut alij affirmant, vehementer corrupto.* O aequissimum iudicem, o sapientissimum! cuius vel solius iudicium ad saeculum etiam vniuersum, vel condemnandum, vel etiam absoluendum sufficiat. Verissimum esse experior, quod vulgo dici solet: *ἔρδδῆ τις ἡ ἐχέστος εἰδὲν τέχνην* Quod tibi Vvhitakere in primis faciendum erat, ut iudicium illud tuum, tam graue scilicet, & accuratum, intra Grammatices Rhetoricesque limites contineres, neque tam temere in re omnium grauissima de maioribus tuis, ac prioribus saeculis, tanquam caecus de coloribus, sententiam ferres. Iam ad illum testium cumulum, quem postremo Campianus citauit, Academiae, inquam, leges, mores vernaculos, Caesarum electiones, regum ritus, equitum ordines, clamides, fenestras, nummos, portas, domos, res omnes, & reculas, omnia denique ex quibus vlla peti testimonia poterant, nihil habes prorsus quod respondeas: adeo religionem nostram aperte confirmant. Itaque ad illud tories iam inculcatum redis, quod omnes omnino heretici eadem qua tu probabilitate respondere possent. *Si vel Angelus celestis aliud nobis Euangelium annunciet, quam illud ipsum quod Christus do-*

Ad Gal. I.

cuit, *Apostoli propagarunt, nostra Ecclesie profiterentur, cum summa detestatione recusamus.* Et nos Vvhirakere, quia Paulo credimus dicenti. Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit, Luthero, Caluino, cæterisque vestris prophetis credere non possumus. Longè enim aliud illi euangelizant quàm quod hætenus accepimus. Idem verò accepisse nos, quod Christus docuit, & Apostoli propagarunt, petitis vnde quaque testimonio toto hoc capite Campianus clarissimè demonstrauit. Neque enim fieri potuit vt euangelium quod apostoli propagarunt, ita repente extinctum fuerit, nulla vt illius vestigia in vlllo christiani orbis angulo remanserint, quod de vestro sanè euangelio fatearis necesse est, cuius nullum hætenus testimonium ex vllis veterum monumentis, imò ne ex vlla quidem re vel recula, vt Cápiani verbo vtat, proferre potuisti, adeoque illorum impudentiam superas, qui vt Augustinus refert, Christi nomen non nisi trecentis sexaginta quinque annis colendum dixerunt, vt vel centum quidem annos eius cultum durasse non audeas concedere. Huc enim illud pertinet, quod post apostolicam illam euangelij propagationem, relictis omnibus intermediis seculis, mox ad vestras ecclesias defiliis. *Quod Christus docuit, inquis, quod Apostoli propagarunt, quod nostra ecclesie profitentur.* Ni-

Aug. lib. 18.
de Ciuit.
cap. 53.

mirum ab apostolorum ætate (de qua nihil tamen præter deprauatas quasdam more vestro scripturarum sententias profers) ad nostra vsque tempora testimonium planè nullum inuenisti. Et tamen solita impudentia clamitas: *Nobis & academia florentissima, & leges antiquissima, & omnium generum vetustissima monumenta, non obscurum veritatis testimonium impartunt.* Nec vllam Academiam, quæ quidem ante Lutherum existerit, nec legem vllam, Luthero antiquiorem, nec monumentum aliquod illo vetustius, nec horum denique vel leuissimum proferre vestigium potes. Sed hic vt dixi sectæ vestræ genius est, hæc tua, Vvhirakere, iactatio verborum perpetua, vt cum te Iro pauperiorem sentias, Cræsi tamen diuitias simules. Quod quia tota hac responsione tua factum esse à te clarissime demonstrauit, non dubito quin & hoc loco te tui esse similem, id est vanissimum Salaconem, me etiam tacente omnes iudicent. Itaque nihil iam tuū illud de Campiani libello iudicium moror, dū ais. *Si nullis magis quàm nostris Academicis placuisti, magnā profectò laboris & spei iacturam fecisti.* Facile enim patior à te Campianum contemni, qui nihil nisi Caluini somnia soles admirari, cum certo sciam à doctissimis plerisque, etiam illorum hominum, quorum est in Romanam Ecclesiam, vel apertum odium, & implacabile, vel animus certè non


valde æquus extra Britanniaë insulam Campiani librū vehementer probari, non ob styli modo elegantiam, maximamque rerum utilissimarum varietatem aptissimo ordine connexam, ac singulari eruditione summamque breuitate explanatam, verum etiam propter animi candorem ingenium & conceptam de causæ suæ bonitate fiducia planè christianā. **Q**uod illorum iudicium vos ipsi in Anglia, nobis nec cogitantibus quidem haud mediocriter confirmastis, cum innotissimo homini exquisitis suppliciis, summamque crudelitate vitam eripuisstis. *Hac enim ratione factū est, Deo, vt arbitror illius labores remunerantē, vt qui eū prius vt doctum hominem, & eloquentem laudabāt, nunc quia traditam scripto doctrinam suo etiam sanguine fortiter obsignauit, etiam vt fortissimum catholicæ veritatis præconem, ac testem venerentur, & suspiciant.* Egregiè verò odium illud capitale, penitusque insitum hoc te verborum fuce dissimulare existimas. *Ego, etsi me in causa tibi aduersarium profiteor, te tamen ipsum diligo Campiane, quantum Iesuitam Christianus potest.* Amoris quidem in Campianum vestri signa sanè maxima dedistis omnes, qui quoniam vobis illo viuo vitam non satis fore iucundam credebatis, non prius conqueuisstis, quam illum de medio sublatū cerneretis, Sic agnos Vhikakere lupi diligunt, quorum sanguine auiffimè pascuntur. Atque hunc tu amorem

precibus etiam pro illo fufis cōprobas. *Precor autem Deum, inquis, & patrem Iesu Christi, vt oculos tibi mentis aperiat, suisque vias cōmestret.* Sed nec tuis illi precibus opus est, iam extra periculum constituto, & gloriosa fœlicissimi certaminis, corona donato, nec vita functus eas admitteret, quas viuus ad extremum vsque spiritum summoperè est auertatus.

CONCLUSIO CAMP.

MAberis à me, florētes Academici, hoc munusculum, contextum operis in itinere succisiuis. Animus fuit & argere me vobis de arrogantia, & satisfacere de fiducia, & interim dum ab aduersariis vnà mecum ad scholas inuitemini, quædam apponere degustanda. Si equum, si tutum, si honestum ducitis, haberi Lutherum, aut Calvinum, Canonem Scripturæ, Mentem Sancti Spiritus, Normam Ecclesiæ, Conciliorū Patrumque Pedagogum, omnium denique testium & seculorum Deum, nihil est quod sperem, vobis lectoribus vel auditoribus. Sin estis ij, quos apud animum formauim meum, Philosophi, oculati, amatores veri, simplicitatis, modestiæ: hostes temeritatis, nugarum, solphismatum, facillè diem in aprico videbitis, qui dieculam angusta rima dispiciatis. Dicam liberè, quod meus in vos amor, & vestrū periculum, & rei magnitudo postulat. Non

hoc nescit diabolus, vos istam lucem, si quando cæperitis oculos attollere, conspecturos. Cuius enim stuporis fuerit, antiquitati Christianæ Hammeros & Charcos anteponere? Sed sunt quædã illecebræ Lutheran. quib. suū ille regnum amplificat, quibus ille tendiculis hamatus multos iam vestri ordinis inescavit. Quænam? Aurum, gloria, delicia, veneres. Contemnite. Quid enim aliud ista sunt, nisi terrarum ilia, canorus aër, popina vermium, bella sterquilinia? spernite. Christus diues est, qui vos aler: Rex est, qui ornabit: Lautus est, qui satiabit: Speciosus est, qui felicitatū omnium cumulos largietur. Huic vos adscribite militanti, vt cum eo triumphos, verè doctissimi, verèque clarissimi reportetis. Valere. Cosmopoli. 1581.

ongeris hoc loco quæ pores whitakere vt sanctissimo martyri inuidiam facias: sed leuiora sunt quæ affers, quæ vt prudentes viros quæat commouere. Quid enim si ille in epilogo Academicos ita affatur habetis à me florentes academici hoc munusculū contextum operis in itinere succisuius, num tibi hoc incredibile, num absurdū videtur: *Veritas est, inquis, ne quid per ocium, accurate, ac meditate scripsisse videretur, in quo & causa palam diffudit, & ingenij sui leuitatem, vanitatemque prodit.* Nihil minus Vwhitakere, sed quod res erat ingenuè professus est, vt & breuitatis suæ rationem redderet, & quemadmodum ipse ait, purgaret se academicis de arrogancia, & satisfaceret de fiducia, & quædam illis quasi degustanda apponeret, interea dum à vobis illi, si quid animi ac viriū haberetis, ad scholas vna cum ipso inuitarentur, vbi latius ista, & accuratius corā disputare liceret. Quæ tu hic leuitatem, quam vanitatem pores ostendere? Causæ verò vsque adeo non est diffusus, vt pro ea quidquid tormentorum vestra excogitare crudelitas potuit, mortemque ipsam acerbissimā perferre nō dubitarit. *At, inquis, quod summa deliberatione iam ante perpolinerat, & secū Romam in Angliā attulerat, ad videri velle subito distulisse, & tanquam aliud ægerent in itinere*

profudisse, nec causam valde bonam, & arrogantiã certè arguit insolentẽ. Quasi verò qui Cápiani, vel eruditionem atque doctrinam, vel mores vitãque nouerunt, fidem illi in hac re maiorem quàm tibi adhibendam esse non intelligant, qui verò hæc ignorant, tibi profectò simpliciter affirmanti non credent, aduersario nimirum, à quo quidquid in Campianum dicitur, nisi firmissimis nitatur argumētis, ab ira atque odio profectum iure optimo videbitur. Verù hoc nõ agitur whitakere operisne in itinere subcisiuis, an longa maturãq; deliberatione libellũ ille suum conscripserit (qui si cum tuo conferatur, in quo tantum sudasti, accuratè profectò, diligentèrque, & cogitatè scriptus videri meritò potest) sed quàm firma ac solida fidei nostræ argumenta academicis expèdenda proposuerit, de quibus tu ita grauissimè pronúcias. Nãm ista rationes quid aliud sunt, quàm calumniarũ corpus exiguũ, è Lindani Sãderi, Canisi, Melchioris Cami, Bellarmini libris & prælectionibus concinnatã? Magnũ crimè scilicet eadè ad vestras hæreses refellèdas argumenta vsurpare, quæ ante ipsũ ab aliis fuere catholicis doctissimè vsurpata! Ego verò hoc illũ nomine non modo nulla reprehensione, verum etiam laude maxima & cõmendatione dignũ esse censeo. Est enim hæc res argumento lógè certissimo, eandem illi cum ceteris catholicis sententiam, eundem veritatis spiritum fuisse, cum ex iisdem quibus illi fontibus doctrinã catholicã hauserit, easdè scripturas sacras stu-

diõse legerit (quarũ sententiã non ipse sibi, vt vos facitis, quã voluit effinxit, sed adhibita fidei certissima regula, ecclesiastica nimirũ traditione, sedulò inuestigauit) veteres etiã ecclesiæ patres, vetera concilia, omnia deniq; antiquitatis monumenta diligèter perlustrarit. ex quib. quid mirũ si eadè fidei catholice testimonium proferat, quæ ante illũ tot viri omni doctrinæ ac virtutis laude præstãtissimi protulerunt? Vestrũ est, V whitakere, nec eadem fidei dogmata populo credèda proponere, nec iisdè argumētis proposita cõfirmare: sed vt suis cuique enthusiastus persuaserit, noua in lucem paradoxa edere, nouisq; eadè sophismatis cõprobare. Sed misũ nunc whitakerũ faciã academici, cuius vniuersam respõsionẽ ne minima quidè re dissimulata iam satis cõfutassè videor. Ad vos deinceps mea se cõuertet oratio, in quorũ gratiã hoc quidquid est laboris lubens sanè suscepi, eoq; etiã lubètius quod me sanctissimo martyri Cápiano gratũ esse facturum speraui. Sic enim mihi penitus persuadeo, amorè illũ salutis vestræ, quo ille tam ardentè in hac vita flagrauit, vt vestra de causa mortè etiã ipsam cõtempserit, non modo nequaquã esse diminutũ, verũ etiã incrementis maximis in cælo auctũ atq; cumulatũ. Quamobrem vos ego per salutem vestrà, per æternã illam regni cælestis gloriam, quã speramus omnes, ad quam tendimus, per summũ illud tribunal, ad quod omnes listemur,


per ipsum denique supremū, ac iustissimū iudicē, cuius equissimā sententiam effugere nemo poterit, ne in re omnium maximamobis ipsi desitis, neue grauissimo hoc fidei negotio prius quidquā, aut antiquius habeatis. Non enim hic de agrorum finibus, non de auro atque argēto, non de fluxarum rerum ac caducarum possessione cōtendimus, quarū iacturā æquiori animo ferre quis non posset? sed de fide ipsa ac religione, sine qua nulla cuiquā salutis spes atque ratio constare potest. Agite ergo, florētes Academicī, contēdite obsecro totis viribus, & quātum conniti animis potestis efficite, vt in tāra hēresum varietate, quantā, vt arbitror, nulla vnquā ætas vidit, catholicā fidem & sapienter agnoscat, & agnitā piē constanterque retineatis: neque vlla ratione permittite, vt whitakerus aliquis, Calvinus, Beza, Lutherus prauis artibus, summaque fraude ab ea vos religionē abducat, quā non modo in Britāniā nostrā, verū etiā in toto orbe christiano, ab ipsis ecclesię catholice incunabulis ad nostrā vsq; tēpora receptam, publicaq; professione probatā fuisse Cāpian, clatissimē demonstrauit: quamque tot firmissimis argumētis tot testimoniis signisq; omni luce clatioribus, ac suo demum sanguine confirmauit. Quod si feceritis, erit profecto, erit illud tēpus, & clucescet aliquādo ille dies, cum & suę illi perfidię pœnas dabunt, & vos vestræ cōstantiæ fructus suauissimos capietis.

FINIS.

RERVM PRÆCIPVARVM

INDEX.

A

 Brenunciatio Sabanae in baptismo.	273.
Ab solutio sacerdotis.	303.
Aerius hereticus paruum interpretationes reiecit.	451.
Altaria.	133.
Angolorum cultus quis prohibitus.	15.
Antonius eremita catholicus non Caluiniānus.	427.
Appellatio ad pontificem.	84. & 135.
Ariani de pallis altariū femoralia faciebant.	440.
Atheismus ex Caluiniismo nascitur.	432.
Augustinus Anglorū apost. cæco visum restituit.	461.

B

Baptismi necessitas	281. ceremon.	283.	
Beza euangeliū mutilat	23. cōtumeliosus in Hieron.	46. animam Christi cadaver appellat.	204.

C

Caluinus liberum arbitrium sustulit.	449.
Caluini. reginā Angliæ negat esse caput eccl.	9.
reiecit Ignat. 114. eius discipulorū barbaries.	29.
Caluinista se arabæi ex stercore monachorū nati.	430.
eorum nullus eremita hactenus fuit.	426.
Catholic. contrariæ opinionēs non in rebus fidei	431.
Ceremoniarum utilitas.	80.
Cereus paschalis benedici solebat.	440.
Certitudo gratiæ.	255. 26.
Christus.	134.
Christus in cæna vlt. sese patri obtulit in sacrifici.	359.
orauit pro Petro & eius successoribus	325. oues suas

INDEX.

Petro & eius successorib. comisit pascendas.	43.
Ciborum delectus stataque ieiunia.	375.
Celibatus sacerdotum.	205. 290. 315. 316.
Communio sub vnicâ specie.	161. 325. 391.
Conciliorum auctoritas.	78.
Confessio sacram. solis sacerdotibus rite fit.	302.
Confirmationis sacramentum.	267.
Constantinus Imperator à quo baptizatus.	443. quomodo sedit in concilio Niceno.
	445.
Corpus Christi in Euchar. adorandum.	329.
Crucis signum.	444. 448.

D

Descensus Christi ad inferos.	334.
Deus non est auctor peccati.	214.
Deus vno potius quam alio loco potentiam suâ ostendere an soleat.	435.
Domnica die non ieiunandum.	380.

E

Ecclesiâ fida statio aduersus hæresum tempest.	
70. eius nota certiss. 63. eius iudicium de verâ scripturâ sensu 41. quomodo de scripturis iudicat. 353. non apostat. aut. 203. Supra Petrum sumdata est. 153. visibilis.	178.
Epistola Iacobi catholica.	6.
Eremitæ.	135.
Eucharistia pura conscientia sumenda. 301. a ieiunis. 151. in ea est corpus Christi realiter. 51. 53. eam laicus non potest conficere.	275.
Extrema vñtionis sacramentum.	269. & 329.
Idem solam docuit Simon Magus.	449
Fides sola nõ iustificat. 10. etiãsi verâ fides sit. 13	

INDEX.

Filius ex patris substantia genitus.	227.
Fraus hæreticorum.	I.

H

Hæretici, in Anglia quâ crudeles in catholicos, & illorũ lex 29. fraudes 1. inconstãtia. 9.	
Hæretici ecclesiæ iudicium refugium 30. tergiversatur 176. libros catholicorum vel supprimunt, vel corrumpunt. 191. monachos nullos habent. 313. oderunt Scholasticam Theologiam. 313. castitatem 290. leges humanas 309. conuiciis pugnant, fœminarum more 310. virumque gladium concedunt mulieri 322. à signo crucis abhorrent 409. Theologiam habent negatiuam, ibid. vnciam dantes Christo libram auferunt.	456.
Hilarion catholicus non Caluiniãnus.	427.
Historia nullam veterem pro se nullam citare possunt Caluiniãni 174. & toto cap. de historia.	
Hora canonicæ.	307.
Hunfredus Iuellum reprehendit.	142.

I

Iacobi epistola catholica.	6.
Ieiuniũ 4. & 6. feria 379. non die domin. 380.	
Ignorantiam christi tribuunt Caluin.	233.
Imagines hæretici frangunt. 136. 155. 332. Epiphaniũ in hoc imitari se fingunt 389. quomodo eas catholici venerunt.	424.
Innocentii can. dist. 82. cap. propos. defenditur. 315.	
Iudæis cur Romæ habitare pontifex sinat.	438.

L

Liberum arbitrium negauit Simon magus.	449.
Liberum arbitrium defenditur.	21. 130.

INDEX.

Luminaria in templis interditi. 439.
Lutberus rem uxoriam tam necessariã cuique putat,
quam est esca & potus 289. *casum reservationem*
damnat 302. *à demone edoctus Missam oppugnat*
360. *Dionys. Arcopag. contemnit* 15. *Pauli episto-*
las rectius dici euangelium, quam scripta quatuor
euangelistarum ait 36. *Deum non curare opera*
nostra 299. *eos solos recte communicare qui*
perturbatas habent conscientias 301. *permit-*
tit marito ancillam admittere si nolit vxor.
287. *Bellum contra Turcas improbat.* 445. *Mi-*
chæam se prophetam facit ibid.

M

Mandata decalogi ad christi mos pertinēt 297
posūt à nobis seruari 333. *gratia nō sunt.* 297
Matrimonium est sacramentum. 271. 330.
Maria quomodo Spes nostra dicatur 353. *eius honor*
apud Christianos quantus. 355.
Merita operum. 340.
Missæ sacrificium 356. *pro matre Augustini oblatū*
425. *Nulla missa priuata.* 325.
Monachi & moniales nuptias post votum appetentes
damnationem acquirunt. 72.
Monastica vita laudatur. 128. 148.
Monachorum labor manuum 387. *eorum origo* 330.
Monachos non serunt heretici 313. *S. Monica ca-*
tholica non Caluiniãna. 425.
Mores mali cum fide bona consistere possunt. 197.

N

Natus hereticus negauit sacerdotes posse pec-
cata remittere. 450.

INDEX.

O

Officium ecclesiasticum Latine celebrari solitū
in eccles. occidentali. 158.
Opera nostra curat Deus. 299. 300
Opera bona non sunt peccata 240. 295. *is debetur*
merces. 341.
Oratio pro defunctis. 22. 390.
Ordinis sacramentum. 267.

P

Papa auctoritas in vniuersam ecclesiam. 82.
153. 419. *utrumq; gladiū quomodo habeat.* 321
de nomine Papistæ. 427.
Controversias maiores dirimit. 155.
Patres nō fidei auctores, sed testes habemus 122. 140
in rebus fidei non omnes errarunt 145. *Non vnius*
sententiam, sed multorum consensionem in fide se-
quimur. 146.
Paulus eremita catholicus non caluiniãnus. 427.
Peregrinationes ad loca sancta antiquissimæ. 434.
Petrus fuit Romæ. 201. *caput ecclesie.* 219.
Pœnitentiæ sacramentum. 70.
Presbyter significat eum qui offert sacrificium non
ex vi verbi sed ex vsu christianorum. 365.
Prima sedes à nemine indicatur. 323.
Purgatorium, 337.

Q

Quadragesimæ ieiunium 228. 378. *à Spiri-*
dione non neglectum. 387.

R

Religiosi noctu orant Caluiniſtis rem uxoriam
curantibus. 306.

INDEX.

Reliquias sanctorum veteres honorarunt. 417.

S

Sacerdotes soli possunt absolueret 302. sacerdotis nomen. 369.
 Sanctorum inuocatio. 90. 137. 148. 345.
 Sacri legi mors horrenda. 442.
 Sacrificium pro defunctis. 129.
 Satyrus ambrosii frater catholicus non caluinianus. 428.
 Scholastica theologia. 313. 396.
 Scotia fidem quando suscepit. 412.
 Scripturas canonicas discernere & definire ecclesie catholicae est. 31.
 Scripturae varii sensus. 45.
 Scripturas legere non est omnium. 327.
 Societas Iesu quomodo tribuatur quibusdam, aliis christianis minimè exclusis. 457.
 Susanna historia. 250.

T

Templa in stabula & horrea conuersa. 134. ea aedificari iubet Deus. 435.
 Tobiae liber canonicus. 20.
 Traditiones seruandae. 15. 336.
 Transsubstantiatio 328.

V

Vasa ecclesie pretiosa quando liceat in alios usus conuertere. 384. talia habuit ecclesia catholica aetate Sancti Laurentij. 440.
 à laicis non tangenda. 441.
 Victor Papa defenditur. 413.
 Virginitas praestat matrimonio. 290. 339.

INDEX

amanda est propter regnum caelorum. 291.
 Vocatione legitima carent haeretici. 374.
 Vota non violanda. 96.
Vrbitakerus Lutheri iudicium de Iacobi epistola reuic- cit. 7. Impudenter negat eam à Luthero reiectā. 8. Lutheri defensionem turpiter deserit. 10. laborat Spiritu vertiginis. 10. Nouam glossam verbis D. Iacobi affinxit. 12. Tobiae librum reuic- cit. 20. liberum arbitrium negat. ibid. librum Baruch reuic- cit. 24. Lutherum defendendo gratus accu- sat. 35. dissimulato pontificum Romanorum con- textu quadam ut reprehendat eligit. 45. pro scri- pturis citat quae in scripturis non sunt. 49. scri- pturis non intelligit. ibid. modo ait, modo negat. 64. Solacis. 87. propheta extraordinarius. 101. ad concilium venire recusat. 102. aut cum catho- licis disputare. ibid. Dionys. Areop. reuic- cit. & Hippolytum. 123. Cyprianum magicis artibus deditum fuisse fingit. 124. eundem cum ceteris il- lius aetatis patribus de Christi morte aliquid de- traxisse affirmat. 125. Chrysostomum ait iustitiam fidei obscurare. ibid. mentitur. 126. insinuat vñ Caluinum mille Augustinis, vñm Lutherū mille Cyprianis anteferendum. 126. Prudētium ut poë- tam fidei contraria scripsisse indicat. 135. Patres errasse dicit in inuocat. sanctorum, ibid. eos om- nes reuic- cit, cum nihil habet quod respondeat. 140. negat Petrum Romae fuisse. 201. à Caluino differit. 236. Christum ad inferos descendisse negat. 238. similis est imperito medico. 240. Peccatum vocat qualitatem aut accidens. 341. duo tantum sacra-

I N D E X.

menta agnoscit. 266. *Baptisium Christi & Ioannis eandem habuisse vim ait.* 279. *Decalogum conditionem diuinam vocat.* 297. *omnes actiones, etiam infortium habere in se aliquid quod Dei odium mereantur ait.* 300. *Luthero dum patrocinatur nocet.* 304. *eleganter Lutheri de ancilla admitenda sententiam excusat.* 287. *Peccata ait Deo placere.* 25. *Paulum dissuasisse virginitatem.* 292. *Horas canonicas christiano indignas putat.* 306. *Multa iactat, nihil prestat.* 310. *frustra sperat Lutheran & Calu. concordia.* 310. *Scholasticam theologiam sibi profus ignoratam vocat Sophisticam.* 313. *omnis catholicorum solidis argumentis quaedam alia quasi argumenta sophistica malitiose irridet.* 314. *vide & 312.* *patrum iudicium subterfugit.* 383. *vocis homonyma pueriliter ludit.* 384. *ciborum in ieiunio delectum statimque dies improbat.* 375. *Manicheorum armis catholicos oppugnat.* 378. *circumforancum phariseopol. imitatur.* *Negat reginam esse caput ecclesie Anglicane.* 410. *Augustinum ait errasse in re grati.* 426. *Scurram agit.* 427. *eius iudicium arrogans & superbum de ecclesia superioris etatis.* 431. *ait Augustinum & Monicam eius matrem errasse in oratione pro defunctis.* 426. *Pontificem Romanum Turca fautorem fugit.* 447. *Hieronymum tanquam hominem iracundum notat.* 451. *pro responsione firma, insulsum scisma obtrudit.* 452. *Augustinum Anglorum Episcopum vocat supersticiosum.* 462.

FINIS INDICIS.